IDEA
THEOLOGIÆ,
Tam
CONTEMPLATIVÆ
Quàm
ACTIVÆ,
Ad formam
S. SCRIPTURÆ
Delineata.

Operâ
THEOPHILI GALEI.

LONDINI,
Impensis *J. Robinson* ad insigne Leonis in Cœmeterio *Paulino*, & *R. Boulter* ad insigne Capitis Turcæ in Vico vulgò dicto Cornhil, 1673.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

9 V c

PROLEGOMENA.

IDeam Theologiæ aggreſſurus, ut fœlicior ſit progreſſus, quædam de *Theologia*, *Theologo*, ac S. *Scriptura* in genere ſunt præfibanda. Quoniam verò in Tyronum gratiam, è Philoſophorum Lyceo in Scholas Prophetarum tendentium, hanc Diatriben primariò conſignavimus, ideo non injucundum fore arbitramur, ſi non nulla è naturalium Theologorum *placitis* hauriantur, ex quibus accendantur animi, atque altiora ſpirent. *Theologiæ* quidem Idea pulcherrima ac penitus Divina eſt. Optima *Ideæ*, ſecundùm *Platonem*, *Phileb.* componitur, κάλλει καὶ συμμετρίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, è *Pulchritudine*, & *Symmetriâ*, & *Veritate*. Pulchritudo Animi interna eſt præſtantiſſima: Unde autem oritur interna Animi pulchritudo niſi à Theologia? Hoc etiam innuit *Plato*, *Leg.* 5. ubi docet, *veram Dei cognitionem eſſe pulchritudinis caput*. Qui enim ducem Theologiam ſequuntur, oculóſque mentis & cogitationis ad, τὸ ὄντος, *Primi Entis* contemplationem intendunt, veram

pulchritudinem ſoli acquirunt. Hanc Dei Cognitionem conſequitur præclarus Virtutum Chorus. In hac θεωρία & πρᾶξις emicat Theologiæ vis admiranda: Et in hac ſitum eſt ἀκήρατον καὶ ἀδιάφθορον illud τὸ καλόν. Theologia igitur, quæ Dei tum *Contemplativa*, tum *Affectiva* eſt, dat veram illam animi pulchritudinem; quæ, ſi ut eſt aſpiceretur, mirabiles ſui amores excitaret. Homines autem Theologiæ imperium detrectantes, veram illam pulchritudinem ignorant; cujus loco fœdas imagines comminiſcuntur, utì *Plato*. Deinde quid *luce* pulchrius? Et quænam lux magis virginea, illibata, ſplendida, glorioſa, affectiva, oculóque ſpirituali grata, quàm Theologia? Theologiæ lumen non modò informat mentem, ſed integram animam conformat, immo transformat in Imaginem Dei glorioſam, qui eſt, τὸ πρῶτον καλὸν, *primum pulchrum*. Porrò, *veritas* eſt res *illuſtriſſima*, *pulcherrima*, ac *ſuaviſſima*. Ubinam verò plus veritatis elucet, quàm in Theologiâ? Deus enim eſt *prima veritas*; quare & αὐτόκαλον θεὸν; immo, ut loquitur *Plato*, *primum pulchrum purum, &c. cujus contemplatio nos ſimiles reddit*. Ac veluti Lux & color ſunt ſplendor viſui cognatus; ita *Theologiæ* veritates

tes ſunt ſplendor illuſtriſſimus animo cognatus. Animi τὸ καλὸν, *pulchrum*, conſiſtit in veritatis contemplatione; Veritatis autem contemplatio pulcherrima ad Theologiam ſpectat. Verum eſt, Philoſophia veritatem *quærit*, ſed Theologia ſola eam *invenit*, ac *poſſidet*. Philoſophia umbras quaſdam tenebricoſas veritatis præbet; ſed Theologia ipſam pulcherrimam veritatis faciem contemplatur. Unde concludit *Plato*, *Conv.* 205. ἔστι γὰρ καλλίστων ἡ σοφία, *Sapientia*, i.e. *Theologia*, *eſt omnium pulcherrima*. Denique *ſymmetria ſive proportio eſt pulchritudinis principium*, uti *Plato*, *Timæo*, ἀρχαὶ ὁ κάλλος συμμετρία. Et quid plus ſymmetriæ ſive proportionis habet quàm Theologia? Omnes enim ejus partes tam accuratè ſunt connexæ, ut una ex altera facilè deduci poſſit. Immo, nonne Theologia Animæ *muſica*, & συμφωνία rectè à *Platone* ſtatuitur?

Theologia etiã ſcientia *Nobiliſſima* eſt. *Ariſtoteles*, *Rhet. l.* 1. *c.* 11. ait, ἢ τὸ σοφὸν δοκεῖν εἶναι ἡδὺ· ἀρχικὸν γὰρ τὸ φρονεῖν· *Etiam videri ſapientem eſſe*, *jucundum eſt*: *Imperatorium enim eſt ſapere*. Et ubi plus ſapientiæ eſt, quàm in Theologia? Philoſophorum genus, ſi *Platoni* fides

adhibeatur, nobiliſſimum eſt: ſed, eheu! quantò nobilius eſt Theologorum genus? Excelſa ſanè ac generoſa res eſt Theologia: Altum quiddam, regale ac invictum eſt. Εὐγένεια *Nobilitas*, definiente *Platonico*, eſt, ἀρετὴ εὐγενῶς ἤθους, *virtus morum generoſorum:* & unde hæc virtus, niſi à Theologia? *Ierum*, Nobilitas definitur, ἐναγωγία ψυχῆς πρὸς λόγους ἢ πράξεις, *manuductio animæ ad ſermones & actiones:* & nonne hæc manuductio à Theologia provenit? Dixit *Zeno*, referente *Laertio*, οὐκ ἐὰν ταῦ μεγάλου τὸ εὖ κείμενον ἔῃ, ἀλλ' ἐὰν ταῦ εὖ τὸ μέγα, *Non ſi magnus fueris bonus eris; ſed ſi bonus, magnus fueris.* Omnis autem Bonitas vera à Theologia oritur. Hominem non accipit bonum & nobilem Theologia, ſed facit. Nemo, inquit *Seneca*, altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius: Eadem omnibus principia, eadémque origo: Theologia ſola nobilitatem affert. Qui imagines in atrio exponunt, *noti* magis quàm *nobiles* ſunt: Deum contemplari, eſque parere ſumma eſt Nobilitas: & unde hoc niſi à Theologia? Generoſos animos Theologia & parit, & nutrit. Nonne magni animi eſt magna contemnere? Et quis magna contemnit magis, quàm verè Theologus? *Gradus nobilitatis*

&

& vilitatis in omnibus attenditur ſecundùm propinquitatem ad Deum, & diſtantiam ab eo, ut *Aquin. contra Gent. l. 1. c. 70.* Ille igitur magnus & nobilis eſt, qui Dei magnam habet cognitionem & amorem; qui in ſe minimus eſt, & pro nihilo habet ſummum honoris faſtigium; qui aliena ſepoſuit, & nunquam iiſdem ſpatiis, quibus hæc continetur vita, cogitationes ſuas terminat: Et quid hæc præſtat niſi Theologia? Res ſordida ac ignobilis eſt, flagitioſam vitam degere: Puſillus ac degener eſt, qui ſuis obtemperat cupiditatibus: Ille ſolus nobilis eſt, qui ſibi imperat: Hoc etiam Theologiæ effectum eſt. Humilitas maximum eſt generoſi animi indicium: nulli enim magis abjiciunt animos, quàm qui improbè tollunt. Et quinam quæſo humiliores ſunt eis, qui verâ Theologiâ ſunt imbuti? *Maximum*, inquit *Seneca*, *argumentum eſt animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc, in quibus verſatur, humilia judicat & anguſta; ſi exire non metuit: ſcit enim quò exiturus eſt, qui unde venerit meminit.* Et quis tali magnanimitate indutus eſt, niſi verè Theologus? qui ſublimis eſt, & tamen humilis; maximus, & tamen minimus in ſuiipſius ſpeculo.

Hinc etiam Theologia maximam ſecum affert Animæ *Amplitudinem* ac *Libertatem. Liberum* eſſe, ſecundùm *Ariſtotelem, Rhet. l.* 1. eſt, τὸ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν, *non ad alium vivere, ſed ſui eſſe juris. Platone* definiente, ἐλευθερία, ἡγεμονία βίου, αὐτοπρέπεια ὅτι παντί· ἐξουσία τοῦ καθ' ἑαυτὸν ἐν βίῳ· ἀφέδρα ἐν χρήσει ἢ ἐν κτήσει οὐσίας, *Libertas eſt principatus vitæ: Plena in omnibus poteſtas, &c.* Ita *Cicero:* Quid eſt, inquit, *Libertas? Poteſtas vivendi ut velis.* Stoici inſuper ſtatuerunt, libertatem eſſe, ἐξουσίαν αὐτοπραγίας, *poteſtatem faciendi quod vis.* Unde autem hæc poteſtas niſi à Theologia? Nemo ſanè *vivit ut vult*, niſi qui S. Theologiæ principiis tum *Activis* tum *Contemplativis* imbutus eſt. Homo quantò magis Deo adhæret, tantò efficitur magis liber: Vinculum autem, quo homo Deo connectitur, eſt Theologia & Fides; quæ non revera differunt. Deus Animæ hominis *finitæ* inſeruit capacitatem *infinitam*, ad ſui-ipſius fruitionem; & quò magis homo adhæret Deo, eò magis liber eſt; quò longiùs recedit à Deo, eò magis ſervituti & miſerrimæ neceſſitati peccati ſubjacet. Perit libertas, inquit *Seneca*, niſi illa contemnimus, quæ jugum nobis imponunt:

imponunt: Hæc eſt vera libertas, nulli rei, nulli neceſſitati, nullis caſibus ſervire: Et Theologiæ ſervias oportet, ut tibi contingat talis libertas. Libertas *quoad ſtatum* importat animi optimam Diſpoſitionem ac Rectitudinem; quæ eſt quaſi *profundum* & felix in animo *Pondus*; & habet eandem originem, progreſſum, & conſummationem, quare & intimam ac eſſentialem connexionem cum fide & pietate. Homo enim ad immenſam quandam Amplitudinem natus eſt: Et hæc Amplitudo, quæ libertatis eſt ratio formalis, oritur ex Adhærentia ad Deum. Unde autem hæc Sancta Deo Adhæſio ortum ſuum trahit, niſi à Theologia? Indicium Libertatis eſt, nullo privato affectu cieri: Averſio enim à Deo, & converſio ad ſeipſum, & ad inferiora, eſt abjectio Libertatis. Qui Deo ſervire renuit ſeipſum tyrannum patitur: ſed qui Deo ſervit, ſummâ amplitudine & libertate gaudet. Hoc etiam S. Theologiæ privilegium eſt.

Porrò, Theologia, Animi *medicina*, *ſanitas*, & *firmitudo* eſt. *Plato*, *Timæo*, *fol.* 90 ait, Θεραπεία ὴ δὴ πάντη παντὸς μία, τὰς οἰκείας ἑκάστῳ τροφὰς, ἣ κινήσεις ἀποδιδόναι. ταῦ ὴ ἐν ἡμῖν θείῳ ξυγγενεῖς εἰσι κινήσεις, αἱ

τῦ παντὸς διανοήσεις καὶ περιφοραί· *Sanatio cujuſque eſt una, nempe, ei propria pabula propriósque motus tribuere; proprius autem Animi motus eſt contemplatio Dei*: Hoc verò ad Theologiam ſpectat. *Iterum Plato, Repub.* 4. ἀρετὴ ἄρα ὡς ἔοικεν ὑγίειά τε τις ἂν εἴη καὶ κάλλος, καὶ εὐεξία τ῀ ψυχῆς· κακία δὲ νόσος, καὶ αἰσχρότης, καὶ ἀσθένεια· *Virtus igitur videtur eſſe ſanitas, & pulchritudo, & bona diſpoſitio Animæ: malum autem morbus, & deformitas, & infirmitas.* Omnis autem virtus eſt Theologiæ effectum. Denique, *Plato, Repub.* 4. *fol.* 444. ἔστι δὲ τὸ μὲν ὑγίειαν ποιεῖν, τὸ ἐν τῷ σώματι καὶ φύσιν καθίσάναι, *Sanitatem afferre corpori eſt, omnia ad ſuum ordinem naturalem reſtituere.* Et quid in Anima omnia ad εὐταξίαν & εὐεξίαν reſtituit, niſi Theologia? Nonne Actus animæ maximè naturalis eſt Deo adhærere? Ac unde hæc Adhærentia niſi à Theologia? Summa eſt: Theologia ſola in Divinis omnia elaborat: Humanis etiam Scientiis multum luminis ac ſplendoris tribuit: Voluptates præbet puriſſimas, ſuaviſſimas, ſtabiliſſimas, ac animæ humanæ cognatiſſimas: Eſt Animæ Harmonia ac Muſica: Cœleſte munus eſt, quod terrena vitia procul fugat; Affectus inordinatos fortiſſimè domat; immortalia

lia dona liberè largitur; mortalibus muneribus ordinatè utitur; Sermones noſtros gratos ac utiles reddit; Vitam humanam ad Divinum exemplar componit: Menti ſubtilitatem ac acumen; Voluntati Divini Amoris pondus; Affectibus modum ac ordinem, totíque homini perfectionem præbet. Tot ac tanta ſunt Theologiæ privilegia.

Sed non quilibet qui in Theologiæ ſtudiis verſatus eſt, *Theologi* titulo illuſtri inſigniri meretur. Theologiæ majeſtas paucos habet Candidatos & Præcones: Illi ſoli veri ſunt Theologi, qui vitam degunt Theologicam & divinam. Theologiam in animum non purgatum infundere, nihil aliud eſt, quàm aquam in puteum cœno plenum immittere, cœnúmque perturbare. Theologus Theologiam, Theologiæ duntaxat gratiâ, ſtudiosè quærat; contemnat corporis voluptates, & ad animam exornandam ſe convertat; non aliter agat, quàm loquitur; nec aliter loquatur, quàm ſentit; nec aliter ſentiat, quàm ipſa veritas docet. Ita *Seneca*, *Epiſt.* 75. 'Hoc unum planè tibi 'approbare vellem, omnia me illa ſentire quæ 'dicerem; nec tantùm ſentire, ſed amare. 'Quod ſentimus loquamur, quod loquimur ſin-

'ſentiamus: non delectent verba noſtra ſed
'proſint. Theologum decet eſſe liberalem;
aut potiùs erga ſe avarum, erga alios pro-
digum: mundo pauperem, ſed Deo divi-
tem. Theologus nec illiberalis eſt nec ſor-
didus; rei familiaris penuriam ac paupertа-
tem non formidat, ut ille qui pecuniæ eſt ſtudi-
oſus; nec ignominiam & contemtum impro-
borum timet, ut ambitioſi; nec ex judiciis
quorumlibet lætitiæ doloríſque cauſas capit:
hoc enim eſt Ambitioni ſacramentum dixiſſe.
Theologi munus eſt Deum, réſque Divinas
contemplari, ſeipſum accuratè inſpicere &
cognoſcere, Affectus ſuos moderari, alios
in rebus divinis inſtruere, totámque vi-
tam ſuam ad normam exemplaris Divini
componere. Character, quem *Socrates*
de ſapiente tradidit, apprimè convenit Theologo: *Sapientis*, inquit, *os quaſi oſtium Templi eſt, quod cùm aperueris, apparent ſanctarum rerum ſimulachra.* Optima ſanè Theologi Idea eſt, ut ſe præſtet vivum fidei ac pietatis exemplar. Hoc benè notavit *Minucius Fœlix*, de primævis Chriſtianis: *Non magna*, inquit, *loquimur ſed vivimus.* Pia quidem Theologorum exempla ſunt maximæ efficaciæ, ad ſimiles diſpoſitiones ſectatoribus ſuis imprimendas.

mendas. Talia enim exempla pietatis non modò docent, ſed & ſuaviſſimè trahunt alios: confirmationem & demonſtrationem præbent veritatis, quam docent: præjudicia, quæ maleſani fovent contra Theologiam Chriſtianam, abluunt: Alios ad Theologiæ tum ſtudia tum praxin proritant & alliciunt. Sancta Theologorum exempla documenta ſunt non ſolùm auribus, ſed & oculis adaptata. Et, inquit *Seneca*, *Homines amplius oculis, quàm auribus credunt: longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla.* Homo eſt, ζῶον μιμητικὸν, *Animal Imitationi maximè deditum*; quare exemplis, pluſquam præceptis regitur. Theologiæ principia, quæ in *Idea* ſunt obſcuriora, bonis Theologorum exemplis redduntur quaſi *ſenſibilia*, & eò magis familiaria. Exempla enim corpus quoddam, & *vitam*, & *ſenſum* Doctrinæ generali tribuunt. Vivum Theologiæ activæ exemplar eſt altera lex, immo lex animata, legibus ipſis efficacior: mores enim Theologorum aliquando plùs poſſunt, quàm ipſorum Inſtitutiones: immo iiſdem vim dant aut adimunt. *Mores leges perduxerunt in poteſtatem ſuam*, inquit *Campanella*, Polit. Magna vis eſt Theologiæ, quam Theologorum vita ſancta & Auctoritas commendat. *Multum*

aliis

'ſentiamus: non delectent verba noſtra ſed 'proſint. Theologum decet eſſe liberalem; aut potiùs erga ſe avarum, erga alios prodigum: mundo pauperem, ſed Deo divitem. Theologus nec illiberalis eſt nec ſordidus; rei familiaris penuriam ac paupertatem non formidat, ut ille qui pecuniæ eſt ſtudioſus; nec ignominiam & contemtum improborum timet, ut ambitioſi; nec ex judiciis quorumlibet lætitiæ doloríſque cauſas capit: hoc enim eſt Ambitioni ſacramentum dixiſſe. Theologi munus eſt Deum, réſque Divinas contemplari, ſeipſum accuratè inſpicere & cognoſcere, Affectus ſuos moderari, alios in rebus divinis inſtruere, totámque vitam ſuam ad normam exemplaris Divini componere. Character, quem *Socrates* de ſapiente tradidit, apprimè convenit Theologo: *Sapientis*, inquit, *os quaſi oſtium Templi eſt, quod cùm aperueris, apparent ſanctarum rerum ſimulachra.* Optima ſanè Theologi Idea eſt, ut ſe præſtet vivum fidei ac pietatis exemplar. Hoc benè notavit *Minucius Fœlix*, de primævis Chriſtianis: *Non magna*, inquit, *loquimur ſed vivimus.* Pia quidem Theologorum exempla ſunt maximæ efficaciæ, ad ſimiles diſpoſitiones ſectatoribus ſuis imprimendas.

mendas. Talia enim exempla pietatis non modò docent, ſed & ſuaviſſimè trahunt alios: confirmationem & demonſtrationem præbent veritatis, quam docent: præjudicia, quæ maleſani fovent contra Theologiam Chriſtianam, abluunt: Alios ad Theologiæ tum ſtudia tum praxin proritant & alliciunt. Sancta Theologorum exempla documenta ſunt non ſolùm auribus, ſed & oculis adaptata. Et, inquit *Seneca*, *Homines amplius oculis, quàm auribus credunt: longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla.* Homo eſt, ζῶον μιμητικὸν, *Animal Imitationi maximè deditum*; quare exemplis, pluſquam præceptis regitur. Theologiæ principia, quæ in *Idea* ſunt obſcuriora, bonis Theologorum exemplis redduntur quaſi *ſenſibilia*, & eò magis familiaria. Exempla enim corpus quoddam, & *vitam*, & *ſenſum* Doctrinæ generali tribuunt. Vivum Theologiæ activæ exemplar eſt altera lex, immo lex animata, legibus ipſis efficacior: mores enim Theologorum aliquando plùs poſſunt, quàm ipſorum Inſtitutiones: immo iiſdem vim dant aut adimunt. *Mores leges perduxerunt in poteſtatem ſuam*, inquit *Campanella*, Polit. Magna vis eſt Theologiæ, quam Theologorum vita ſancta & Auctoritas commendat. *Multum*

aliis

aliis dabis, etiamsi nihil dederis præter exemplum. Bonus præceptor, inquit *Plato, est quasi musicus; vita respondet verbis.* ἦθος πείθει ἢ λόγος, *mores plus suadent quàm sermones*, secundùm *Menandrum.* Vita bona potentissimus est orator, sicut & mala pessimus corruptor. Certè multùm potest vita Theologi ad ædificationem, si bona sit; sin mala, ad destructionem: Nam sicut à bonis Theologis pietas fluit in populum, ità à malis impietas. Unde vel ex ipsa lege canonicâ 15. Dist. contumeliis onerantur [*Minister debet esse forma Gregis, ad quam se debent subditi reformare: & ministri debent esse in exemplum, quasi signa posita ad sagittandum.*] Sic *Aquinas: Qui non est perfectus in virtutibus moralibus, indignè sumit officium prælationis, vel prædicationis.* Quibus convenit illud Hebræorum, ואחר בך קשט אחרים קשט עצמך, *orna teipsum, ac postea orna alios.* Theologo non licet, quod populo privato, & in angulo degentibus licet. Optimè *Seneca*, *Epist.* 108. de Philosopho, quod Theologo maximè convenit: 'Sic, inquit, 'ista discamus, ut quæ fuerunt verba, sint ope-'ra: nullos autem pejus mereri de omnibus 'mortalibus judico, quàm qui philosophiam 'velut aliquod artificium venale didicerunt: 'qui

'qui aliter vivunt, quàm vivendum eſſe præ-
'cipiunt. Exempla enim ſeipſos inutilis diſ-
'ciplinæ circumferunt, nulli non vitio, quod
'inſequuntur obnoxii: Non magis mihi poteſt
'quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm
'gubernator in tempeſtate nauſeabundus.
Homines plùs credunt operibus quàm linguæ,
aut libris Theologorum: quare optimè con-
ſulit *Caſſander*, *Conſult. Art.* 14. 'Illud, in-
'quit, cavendum erit, ut idonei tantùm ad
'Eccleſiæ miniſterium eligantur, qui non
'verbis tantùm, ſed etiam exemplis populo
'præire poſſint. Nihil enim nocentius, tum
'in republica, tum in Eccleſia, quàm ut, qui
'alios docent, eadem culpent & faciant. Re-
'ctè itaque *Innocentius*: *Integritas præſidenti-*
'*um ſalus ſubditorum*: melius enim eſſe, Do-
'mini ſacerdotium paucos habere miniſtros,
'qui poſſint dignè opus Dei exercere, quàm
'multos inutiles.

Ac qualis vita Theologi debet eſſe, talis etiam oratio, nimirum ſimplex ac pia. *Oratio*, inquit *Seneca*, *vultus animi eſt: ſi circumtonſa eſt & fucata, & manufacta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti: non eſt ornamentum virile concinnitas.* Iterum: *Argumentum eſt luxuriæ publicæ orationis laſcivia.*

via. Itaque ubicunque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque à recto desciviſſe non erit dubium. Theologo non convenit garriendo aures oblectare, ſed *vera*, *ſancta*, *Divina*, ac *utilia* docendo, conſcientias ſtabilire, & vitas hominum componere.

Quædam verò ſuperſunt, Lector, quæ tibi, de hoc primo Theologiæ libro, communicanda eſſe cenſui. Et primùm advertendum eſt me totam Theologiæ Ideam generalem uno capite curſim pervolâſſe. Ubi quædam forſan nova & inaudita videantur; quæ tamen talia revera non ſunt. Quòd enim Theologia *Chriſtiana* intra cancellos Doctrinæ *ſupernaturalis* coarctetur, non mirandum eſt, quum omnis Theologia *Naturalis* ad fœdus Naturæ, quòd jam dudum violatum fuit, pertineat. Neque hoc novum eſt; quippe inter Scholaſticos idem agnoſcitur, & demonſtratur. Concluſerunt enim, *Theologiam non eſſe Diſcurſum ſcientificum, ſed creditivum.* Ita *Ariminenſis* in *Sent. Part.* 1. *Q.* 1. *A.* 4. ubi probat, *Quòd totus Theologiæ eſt creditivus.* Et inde concludit, *Theologiam non poſſe ab Infideli acquiri.* Item *Joan. Duns Scotus, Prolog. Sent. Quæſt.* 3. Sicut, inquit, Theologia Beatorum habet terminum,

'terminum, ita & noſtra, ex voluntate Dei 'revelantis: terminus autem præfixus à vo- 'luntate Divina, quantùm ad revelationem 'generalem, eſt eorum, quæ ſunt in S. Scri- 'ptura, &c. Igitur Theologia noſtra de facto 'non eſt, niſi de his, quæ continentur in ſcri- 'ptura, & de his, quæ poſſunt elici ab ipſis.

Secundò, paucis monendum eſt, me in hiſce Apicibus Theologicis quamplurimas Theologiæ practicæ notiones activas hîc & illic ſparſiſſe. Nullam enim Theologiam piâ animâ dignam eſſe cenſeo, quæ non ſit etiam *Activa*, perinde ac *Contemplativa*. Porrò, in tota hac Theologiæ Idea, ad varios S. Scripturæ textus enucleandos ac illuſtrandos quid impenderim, Lectori patebit. Maximè enim mihi arridet aureum illud effatum, *Bonus Textuarius eſt bonus Theologus.*

Tertiò, de S. Scriptura fuſiùs ac operoſiùs tractare, inceſſit mihi Animus; idque ob varias rationes. Nam (1) *In Atrii Gentilium* (Anglicè ſcripti) ipſo Titulo, ſcopus primarius, quem mihi propoſui, fuit, *S. Scripturæ perfectionem omnibus numeris abſolutam demonſtrare.* Ad hoc igitur penſum accuratiùs elaborandum, inceſſit animum ardor, ut nihil elabatur, quod ad S. Paginæ perfectionem demonſtrandam

via. Itaque ubicunque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque à recto deſciviſſe non erit dubium. Theologo non convenit garriendo aures oblectare, ſed *vera*, *ſancta*, *Divina*, ac *utilia* docendo, conſcientias ſtabilire, & vitas hominum componere.

Quædam verò ſuperſunt, Lector, quæ tibi, de hoc primo Theologiæ libro, communicanda eſſe cenſui. Et primùm advertendum eſt me totam Theologiæ Ideam generalem uno capite curſim pervolâſſe. Ubi quædam forſan nova & inaudita videantur; quæ tamen talia revera non ſunt. Quòd enim Theologia *Chriſtiana* intra cancellos Doctrinæ *ſupernaturalis* coarctetur, non mirandum eſt, quum omnis Theologia *Naturalis* ad fœdus Naturæ, quòd jam dudum violatum fuit, pertineat. Neque hoc novum eſt; quippe inter Scholaſticos idem agnoſcitur, & demonſtratur. Concludunt enim, *Theologiam non eſſe Diſcurſum ſcientificum, ſed creditivum.* Ita *Ariminenſis* in *Sent. Part.* 1. *Q.* 1. *A.* 4. ubi probat, *Quòd totus Theologiæ eſt creditivus.* Et inde concludit, *Theologiam non poſſe ab Infideli acquiri.* Item *Joan. Duns Scotus*, *Prolog. Sent. Quæſt.* 3. Sicut, inquit, Theologia Beatorum habet

terminum,

'terminum, ita & noſtra, ex voluntate Dei 'revelantis: terminus autem præfixus à vo- 'luntate Divina, quantùm ad revelationem 'generalem, eſt eorum, quæ ſunt in S. Scri- 'ptura, &c. Igitur Theologia noſtra de facto 'non eſt, niſi de his, quæ continentur in ſcri- 'ptura, & de his, quæ poſſunt elici ab ipſis.

Secundò, paucis monendum eſt, me in hiſce Apicibus Theologicis quamplurimas Theologiæ practicæ notiones activas hîc & illic ſparſiſſe. Nullam enim Theologiam piâ animâ dignam eſſe cenſeo, quæ non ſit etiam *Activa*, perinde ac *Contemplativa*. Porrò, in tota hac Theologiæ Idea, ad varios S. Scripturæ textus enucleandos ac illuſtrandos quid impenderim, Lectori patebit. Maximè enim mihi arridet aureum illud effatum, *Bonus Textuarius eſt bonus Theologus.*

Tertiò, de S. Scriptura fuſiùs ac operoſiùs tractare, inceſſit mihi Animus; idque ob varias rationes. Nam (1) *In Atrii Gentilium* (Anglicè ſcripti) ipſo Titulo, ſcopus primarius, quem mihi propoſui, fuit, *S. Scripturæ perfectionem omnibus numeris abſolutam demonſtrare.* Ad hoc igitur penſum accuratiùs elaborandum, inceſſit animum ardor, ut nihil elabatur, quod ad S. Paginæ perfectionem demonſtrandam

ſtrandam conduceret. (2) Dum ſensûs noſtri, & non Spiritûs S. dictamen audimus, humano noſtro palato, utpote vitiato, dura & inſipida videtur S. Paginæ majeſtas & ſuavitas. Quare ejuſdem originem, penitus divinam, Autoritatem, ac perfectionem abſolutiſſimam explicare & demonſtrare conſultum duxi. (3) Omnis noſtra Theologia, immo & Gentilium Philoſophia maximâ ex parte, originem ſuam à S. Scriptura traduxit; (utì prolixiùs, in *Atrio Gentilium* demonſtravimus) nonne igitur nobis eandem penitiùs & attentiùs introſpicere maximè incumbit? (4) In omni Eccleſiæ curriculo ſuos ſemper habuit Satanas emiſſarios haud paucos, qui ad impugnandam S. Scripturæ Autoritatem, ac perfectionem, variâ doctrinâ, ac dolo malo inſtructi prodierunt. Et nunc temporis, quot & quantæ agitatæ ſunt controverſiæ, de S. Scripturæ *Origine*, *Canone*, *Autoritate*, *Puritate*, ac *Perfectione*? Immo omnes ferè controverſiæ Pontificiæ hodie ad S. Scripturæ Autoritatem & perfectionem impugnandam diſponuntur. Sunt ſanè controverſiæ quædam ſatis involutæ, de S. Scriptura, quibus plurimùm exercentur ingenia Theologica: Inter has eminet illa de S. Scripturæ Autoritate. Quæſtio ſanè ob hoſtium

ſtium argutias expeditu difficilis; cui enodandæ & expediendæ quantum invigilaverim alii videant. Et iſthuc contemplationes meas omnes collimavi, ut natâ inſultandi nobis anſam contrà nitentibus præciderem. Hîc occurrere videbam duas ſententias extremas ex diametro oppoſitas; nimirum *Pontificiorum* & *Socinianorum*. Utriuſque ſententiæ Dogmata ſeorſim expendere, & examini ſubjicere mihi propoſui; ut uterque Adverſarius minus ſubſidii habeat, ad cauſam ſuam promovendam. Verbo dicam; S. Scripturam, ab omnibus, quibus impetitur criminationibus & oppugnationibus liberare velim: Sed quàm fœliciter mihi ſucceſſerit, alii judicârint.

Pontificii, virium ſuarum fiduciâ elati, vice S. Scripturæ Autoritatem Papalem ſectatoribus ſuis imponunt: ac abunde ſibi proviſum eſſe judicant, ſi ſpecie quâdam Autoritatis Vicariæ auditores compeſcant, & ora iis obſtruant, nè contrà hiſcere quidem audeant. Nec tamen argumentis inſtructi accingunt ſe ad Autoritatem ſuam Papalem ſtabiliendam; ſed pro audacia, & Autoritate neſcio quâ fictâ, tanquam principium indubitatum ponunt, *Papam eſſe caput Eccleſiæ miniſteriale, cujus Autoritati innititur tota S. Scripturæ Autoritas quoad*

quoad nos. Bella quidem Hypotheſis! quam, quòd probare non poſſunt, tanquam conceſſam, aut ab omnibus concedendam præſtruere conſultum duxerunt. Et ſanè rariſſimè contendunt argumentis; ſed ſententias ſuas tanquam oracula ἀξιόπιστα ſatis magiſtraliter proponunt. Ego, in his refellendis, Davenantium, Cameronem, Baronium Scotobritannum, & alios Veritatis Divinæ propugnatores, κατὰ πόδας, ſecutus ſui; quia Provinciam hanc à nemine diligentiùs, quàm ab his adminiſtratam comperiebam. Haud ſum neſcius, aliquos, novæ methodi ſtudioſos, ſatis operosè tentâſſe, autoritatem S. Scripturæ, rejectis ejuſdem criteriis internis, argumentis ſolummodo externis, nimirum *Traditione univerſali, miraculis*, & *ſimilibus motivis fidei communibus*, ſtabilire. Sed mihi nequaquam arridet talis Inſtitutio: Ego quidem, omnia *argumenta externa*, & *motiva communia*, quibus S. Scripturæ autoritas, contra Atheos, & Hæreticos demonſtrari poſſit, lubenter admiſi, & promovere operam navavi: Sed cùm de *primo credibili*, aut *principali* ac *fundamentali* S. Scripturæ *Autoritate* agendum eſt, ingenuè confiteor; rejectâ αὐτοπιστίᾳ & ἀυθεντίᾳ S. Scripturæ, nuſquam ego reperirem in quo acquieſcerem.

eſcerem. Immo nonne dicam, amotâ ἀξιοπιςία S. Scripturæ, tota ejus Autoritas divina ſubruetur, & religio Chriſtiana funditus extirpabitur? Nam ego ſanè haud video, quomodo illi fidem divinam & infallibilem aſtruere poſſint, qui totam S. Scripturæ Autoritatem externis ſolùm argumentis niti volunt. Hoc audacter aſſeram, nullum eſſe efficacius antidotum contra *venenoſas* Pontificiorum *Infuſiones*, quàm explorata, & antiqua illa defendendæ veritatis methodus, à primis noſtris Reformatoribus, nimirum *Rainoldo*, *Whitakero*, *Chamiero*, &c. uſurpata, quæ ſimul connectit argumenta, cùm externa tum interna, ad S. Scripturæ Autoritatem explicandam, & demonſtrandam. Hæc fuſiùs tractavi capite 4.

Majus autem acumen in S. Scripturæ *Autoritate* & *perfectione* impugnanda præ ſe ferre videntur *Sociniani:* quorum monſtroſam hac ex parte ſubtilitatem diſcutiendam ac refellendam eò animoſiùs aggreſſus ſum, præſertim *cap.* 7. *Sect.* 2. quòd in S. Scripturis obliquandis & depravandis Artifices ſe præſtant ſubtiles. Verbo dicam; mihi nimis infauſta videtur horum ἀγχίνοια, qui paſſim aut rhetoricantur aut ſophiſtas agunt. Et hîc haud

ſatis

ſatis mirari poſſum, quid Novatores quoſdam impulerit, ut, hac ex parte, à veritatis tramite, ad Socinianorum caſtra deflexerint. Horum nomina, ne invidiam illis crearem, ſilentio tranſilivi: ſed inter hos meritò recenſendi ſunt ad unum omnes, qui Rationem humanam S. Scripturas Interpretandi *Judicem primarium*, aut Fidei *Normam* conſtituunt. Valde plauſibiliter, confiteor, & ſatis pomposè procedunt: ſed re diligentiùs inſpectâ, latere anguem ſub herba patebit. Quis enim non videt, eò tendere illorum Hypotheſim, ut quàm compendiariam viam aperiat, ad S. Scripturæ Autoritatem Divinam, Spiritûſque S. illuminationem ſpecialem evertendam?

Quod ad me attinet, facilè quidem patior, quòd in hiſce apicibus mihi magis diſcere, quàm docere; ac aliorum ſententiam expectare, quàm meam interponere conveniat. Nec ignoro, me tot Judices habiturum quot Lectores; nullúmque eſſe Scriptorem, qui Lectori ſuo, utcunque propitio, undequaque poſſit ſatisfacere; nedum contrà nitentium cavillas declinare: reperiet tamen candidus Lector, utì ſpero, me haud obſtinatum futurum eſſe, ubi quis me vel minimùm errâſſe coarguerit.

Elenchus

Elenchus Rerum.

PROLEGOMENA.

Theologia eſt, 1. Pulchritudo Animæ. *Pag.* 1
2. Nobilitas Animæ. *p.* 3
3. Libertas Animæ. *p.* 6
4. Sanitas Animæ. *p.* 7
Theologi characteres illuſtres. *p.* 9
Theologiæ ſupernaturalitas. *p.* 14
De S. Scriptura, ac variis controverſiis de eadem. *p.* 15—20

CAP. I.

De Theologia in Genere.

Theologiæ Definitio. *P.* 1
Theologiæ Genus eſt *Doctrina.* *p.* 2
Theologia differt à Scientiis naturalibus. *Ib.*
Theologia eminenter comprehendit alias Diſciplinas. *Ib.*
Theologiæ *Supernaturalitas.* *p.* 3
Theologiæ *Certitudo.* *p.* 4,5,6
Theol. *objectum* primarium eſt, *Deus.* *p.* 6
Theol. ſubjectum eſt, *Homo fidelis.* *p.* 7
Theol. officium eſt *Dirigere.* *p.* 8

Theol.

Theol. Finis eſt, *bene beatéque vivere.* *Ib.*
Corollaria. *p.*9 —18
Triplex Deum cognoſcendi modus. *p.*9
Nulla datur *Theologia Naturalis.* *p.*10
Diſcrimen inter Theologiam & Philoſophiam. *Ib.*
Theologia quò minùs Philoſophica eò perfectior eſt *p.*11,12
Theologia *Myſtica* & *Scholaſtica* Pontificiorum. *p.*12
Ratio humana non eſt menſura rerum Theologicarum. *Ib.*
Theologia eſt *Sapientia Myſtica.* *p.*13
Fides & Theologia idem habitus. *p.*14
Theol. Non-fidelium æquivoca tantùm. *Ib.*
Theol. eſt ſcientia *Affectiva* & *Activa.* *p.*15
Theol. eſt omnium Donorum ſpiritualium complexio. *Ib.*
Inter Theolog. partes datur Analogia. *Ib.*
Theol. eſt Diſciplina præſtantiſſima. *p.*16,17

CAP. II.

De S. Scripturæ Origine & Neceſſitate.

S. Scripturæ Definitio. *p.*18
S. Script. eſt divinitus inſpirata. *p.*19
(1) Probatur ex ipſa S. Scriptura. *p.*19——23
(2) Rationibus probatur *p.*23——25
S. Scripturæ Neceſſitas Rationibus demonſtratur. *p.*26——29

CAP. III.

De S. Scripturæ Canone.

S. Script. officium *Canonicum.* *P.*30
Reſolutio Quæſtionum de S. Scripturæ Canone quouſque neceſſaria. *p.*31

Unde

Unde Dubitatio de aliquibus S. Canonis libris. *p.*32
S. Canonis conſtitutio & conſignatio divinitus fuit inſpirata. *p.*33,34
Perfectio Canonis non pendet ab Eccleſia, ſed à Dei Autoritate. *p.*35,36

CAP. IV.

De S. Scripturæ Autoritate.

AUtoritas quid, & quotuplex. *P.*37
S. Script. Autoritas demonſtratur ex ſeipſa. *p.*38.
S. Script. Autoritas non pendet ab *Eccleſia*. *p.*39,40
S. Script. Autoritas non oritur ex *Univerſali Traditione*. *p.*41
S. Script. Autoritas non nititur *miraculis*. *p.*42,43
S. Script. Autoritas non poteſt certò ſtabiliri, niſi à ſeipſa. *p.*44
Reformati admittunt omnia media S. Scripturæ demonſtrandæ. *p.*45
Media *externa*, quæ multùm valent ad ſuadendam S. Script. Autoritatem. *p.*46
S. Script. notæ *Internæ*. *p.*48
S. Script. Autoritas eſt, ejus *αὐτόπιστία* & Divinitas. *p.*51
S. Scripturæ Divinitas eſt *Innata*, vel *Adnata*. *p.*53
Quomodo verbum Dei creditur *propter ſe*. *p.*54
Uſus Præpoſitionum *Per* & *Propter* hac in re. *p.*55
Script. Autoritas quoad nos maxima. *p.*57
Script. probatur per ſcripturam *ratiocinativè*. *p.*58
Neceſſitas Illuminationis Divinæ ad S. Scripturæ Autoritatem percipiendam. *p.*59,60

CAP. V.

De S. Scripturæ perfectione, ratione ſtyli.

1. S. Textûs *Puritas & Integritas.* P.61,62
Non eſt æqualis puritas in Verſionibus, ac in Fontibus. p.62
S. *Apographa* ſunt pura, perinde ac *Autographa.* p.64
Quænam mutatio admitti poteſt in S. Literatura. p.65,66
Textûs *Hebræi* puritas. p.66
Maſora Hebraica. p.68
Hebræorum cura ad Textum Hebraicum purum conſervandum. p.69
Mendæ Textûs Hebræi leviſſimæ. p.70
Textûs *Græcanici* varietas. p.71,72
Textûs Græcanici puritas. p.73,74
2. *Efficacitas* S. Styli p.76
3. *Simplicitas* S. Styli. p.77
4. *Majeſtas* S. Styli. p.81
5. *Humilitas & Comitas* S. Styli. p.82
6. *Evidentia* S. Styli. p.83
7. *Brevitas* S. Styli. Ib.
8. *Plenitudo* S. Styli. p.84
9. *Caſtitas* S. Styli. p.85
10. *Proprietas* S. Styli. p.86
Synopſis omnium characterum. p.87

CAP. VI.

De S. Scripturæ perfectione, quatenus eſt Regula in genere.

TRaditiones *Judaicæ.* P.89.
Traditiones *Pontificiæ.* p.90
Scriptura eſt Regula,

1. *Adæquatiſſima.* p.91——95
2. *Prima*, ordine Temporis, Naturæ, Dignitatis, & Cognitionis. p.97——99
3. *Authentica & Autoritativa.* p.100
4. *Rectiſſima.* p.102——105
5. *Infallibilis & certiſſima.* p.105——109
6. *Uniformis*, (1) Ratione ſuiipſius. p.110——113
(2) Ratione rectæ Rationis. p.113——117
7. *Perſpicua.* p.117——121
8. *Determinata.* p.122
9. *Directiva & Correctiva.* p.124

CAP. VII.

De perfectione S. Scripturæ, quatenus Credendorum Regula eſt.

1. Prop. *Eccleſiæ Teſtimonium non eſt Regula fidei.* Pag.116——130
2. Prop. *Ratio humana non eſt Norma fidei.* p.131
1. Arg. A ſublimitate objecti. p.133——137
2. Arg. Ab imperfectione ſubjecti. p.138——141
3. Arg. A Fine Evangelii. p.142
4. Arg. A Natura fidei. p.143
5. Arg. A Fundamento fidei. p.145
6. Arg. A certitudine fidei. p.147
7. Arg. A praxi Chriſti & Apoſtolorum. p.148
3. Prop. *Scriptura eſt perfecta regula Dogmatum fidei.* p.149
(1) Arg. A formali Regulæ Idea. *Ib.*
(2) Arg. A Fine S. Scripturæ. p.150
(3) Arg. A Relatione, quam habet fides ad verbum Dei. p.151
(4) Arg. Ex fidei objecto materiali ac formali. *Ib.*
(5) Arg. Ex fidei ſubjecto. p.154
(6) Arg. A certitudine fidei. p.154
(7) Arg. Ex ipſa S. Scriptura. p.155
. Prop. *S. Scriptura eſt perfecta Regula ac Judex omnium Controverſiarũ, circa fidei Dogmata.* p.156
Variæ de *Regula* ac *Judice* diſtinctiones. p.157

Argumentæ, tum Artificialia tum Inartificialia, quibus confirmatur propositio. *p.*160——168

CAP. VIII.

De S. Scripturæ perfectione, quatenus Agendorum Regula sive Lex est.

VAriæ Legis Divinæ voces synonymæ. *P.*169—171
1. *S. Scriptura est Lex Æquissima.* *p.*171
Omnes Leges Humanæ ἐπιεικίᾳ, sive Lege corrigente indigent. *p.*172
2. *S. Scriptura est Lex Augustissima.* *p.*174
Leges Dei maximè Regiæ sunt,
(1) Quia æquissimæ. *Ib.*
(2) Quia potestatem habent ligandi conscientiam. *Ib.*
(3) Quia via Regia ad Cœlum. *p.*175
(4) Quia sunt vinculum unionis inter animam piam ac Deum. *p.*176
(5) Quia omnes alias leges judicant. *Ib.*
3. *S. Scriptura est Lex maximè universalis.* *p.*177
Legis Divinæ, tum *moralis*, tum *positivæ*, Amplitudo & universalitas patet in genere,
(1) Ex ejusdem convenientia naturæ Humanæ. *Ib.*
(2) Ex ejus objecto. *p.*178
(3) Ex subjecto quod dirigit. *Ib.*
(4) Ex Fine. *p.*179
(5) Ex spiritualitate. *Ib.*
Speciatim, Leges Dei *positivæ* esse adæquatam regulam Cultûs Divini, demonstratur. *p.*179,180
4. *S. Scriptura est Lex Immutabilis.* *p.*181
Omnes Leges humanæ sunt mutabiles. *Ib.*
Legis Ceremonialis mutabilitas unde. *p.*182
Legis Dei Immutabilitas demonstratur. *p.*183,184
5. *S. Scriptura est Lex Dulcissima.* *p.*185
(1) Arg. Ex ipsa S. Scriptura. *Ib.*
(2) Arg. Ex communi sanctorum experientia. *p.*186

Legis

Legis Divinæ Dulcedo plenius demonstratur
1. A *Causis.* *Ib.*
(1) Ex Fœdere Gratiæ. *Ib.*
(2) Ex eo quòd Cordi Inscribatur. *p.*187
(3) Ex Sympathia inter Legem Dei ac Animam piam. *Ib.*
(4) Ex Unitate inter Legem ac cor sanctum. *p.*188
(5) Ex Spiritûs Adjutorio. *Ib.*
(6) Ex Legis fine salutari. *p.*189
(7) Ex Meditatione pia. *Ib.*
2. Ab *Effectis.* *p.*190
(1) Sapientia Divina. *Ib.*
(2) Divitiæ spirituales. *p.*191
(3) Honor summus. *Ib.*
(4) Pax Conscientiæ. *Ib.*
(5) Solamen in miseriis. *Ib.*
6. *S. Scriptura est Lex sanctissima.* *p.*192

CAP. IX.

De S. Scripturæ perfectione, ratione ejus Influentiæ & Effectorum.

DE S. Scripturæ *Efficacitate.* *P.*193——198
S. Scriptura est *Lumen,*
1. *Informativum.* *p.*199——202
2. *Convictivum & Dispositivum.* *p.*203——213
3. *Persuasivum.* *p.*214—224
4. *Conversivum.* *p.*225—228
5. *Purgativum.* *p.*229—232
6. *Conservativum.* *p.*233,234
7. *Animans.* *p.*235,236
8. *Cor liquefaciens & Amplificans.* *p.*237
9. *Libertatem adducens.* *p.*238—240
10. *Consolans, & Satians.* *p.*241—243
11. *Nutritivum.* *p.*244,245
12. *Fructiferum, & Fructificans.* *p.*246,247
13. *Conformativum.* *p.*248
14. *Transformativum.* *p.*249—251

15. *Directivum.* p.253
16. *Perfectivum.* p.254

CAP. X.

Corollaria ex S. Scripturæ Definitione, & Explicatione deducta.

S. Scripturæ Præstantia. p.255—258
Verbum Dei est medium salutis efficacissimum p.259
S. Scriptura est fons omnis Notitiæ Divinæ, ac adplurimum humanæ. p.260
Bonus Textuarius est bonus Theologus. p.261—264
In rebus Fidei non debemus esse sapientiores S. Scripturâ. p.265—267
Verbi Annunciati *simplicitas*. p.268—271
S. Scripturæ *Lectio* diligens. p.271,272
Attentio, quæ debetur S. Scripturæ. p.273,274
S. Scripturæ *Examinatio*. p.275—277
Verbi Dei *Retentio* practica. p.278—281
De *Consequentiis* S. Scripturæ. p.282—296
Quod sequitur à verbo Dei est verbum Dei. p.287—292
Assensus fidei, consequentiis S. Scripturæ, est certus. p.293—296
De *Judicio Discretionis* omnibus fidelibus indulto. p.297—305
S. Scripturæ non indigent *Judice*, aut *Interprete* humano Infallibi. p.306—312
De S. Scripturæ *Sensu* ac *Interpretatione*. p.314
De sensu *Literali* ac *Mystico*. p.315
Sensus S. Scripturæ est unicus. p.318
Sensus Script. diversas admittit explicationes. p.320
De sensu *Allegorico*. p.322
De sensu *Typico*. p.325
De sensu *Parabolico*. p.326
Media ad Scripturam interpretandam. p.328
Medium externum primarium est Spiritus. *Ib.*
Inter Media interna, primum est ἐρμηνεία, sive Interpretatio Grammatica p.332 —335

. Σύγκρισις five collatio Textuum. *p.*336
S. Textuum collatio eſt duplex, 1. cum aliis textibus. *Ib.*
(1) Cum contextu. *Ib.*
(2) Cum textu disjuncto. *p.*337
2. Cum fidei Analogia. *p.*338
Canones de collatione textuum. *p.*339——344
Fidelibus maximè arridet S. Scriptura. *p.*345——351
Infideles maximas inimicitias fovent contra S. Scripturam. *p.*352
Contemtus Scripturæ in ipſum Deum cadit. *p.*353
Dei Judicia contra verbi ſui contemtores. *p.*354, 355
Providentia Dei ad Scripturam conſervandam. *p.*356
S. Scripturæ *Impreſſio* cordi eſt optima. *p.*357
Verbum Dei eſt vinculum ac medium efficaciſſimum *Unionis*, ac *Communionis* cum Deo. *p.*358
1. Unio piæ animæ cum Deo per verbum promovetur. *Ib.*
2. Verbum Dei eſt medium efficaciſſimum communionis cum Deo. *p.*359
(1) Quatenus Fidem paſcit ac promovet. *Ib.*
(2) Quatenus Meditationis pabulum eſt. *p.*360
(3) Quatenus *fortiter* ac *ſuaviter* inclinat voluntatem erga Deum. *Ib.*

Sylloge

Sylloge Locorum S. Scripturæ, quæ in hoc Libro explicantur.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
	Geneseos.	
9	27	215,219
	Exodi.	
16	8	54
27	20	246
34	30	210
	Numerorum.	
12	2	19
15	39	271
	Deuteronomii.	
4	2	93
6	6	187
30	11	117
30	14	118
32	2	245,247
	1 Samuelis.	
8	7,8	354
15	29	56
	Nehem.	
8	9	340
	Psalmorum.	
Psal.		
12	7	192
19	8	62,107,118,2 6
19	9	102,173
19	11,12	189
37	31	234
43	3	253
45	6	248
45	7	103
45	9	187
45	16	219
46	5	243
50	2	256
51	9,10	345
63	6	243
73	17	258
110	2,3	219,238,239
119	9	219
119	11	233,187
119	15,16	190
119	19	253
119	20	188
119	24	124,190
119	39	191
119	45	240,241,176
119	48	188
119	54	191
119	56	189
119	70,77	241
119	72	191
119	77	350
119	88	235
119	89	183
119	93	236
119	96	92,181
119	97	190
119	98,99,100.	199,261
119	109	348
119	111	191

Pſal.	*Verſ.*	*Pag.*
119	113	266,190
119	117	189
119	118	256
119	127	191
119	128	103,266
119	129	314,351
119	130	118,199,314
119	131	315,188,351
119	136	349
119	138	104
119	139	350
119	140	192
119	141	347
119	142	107
119	143	347
119	148	
119	152	108
119	158	350
119	160	108
119	161	274
119	165	191
138	2	256

Proverbiorum.

Cap.		
14	15	297
24	7	140

Cantici Cantic.

2	7	254
3	3	241,247
4	4	220
5	9	221
6	10	222
7	1	223
8	5	237
	16	186

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
	Eſaiæ.	
8	1	119
8	20	98,99
11	6	227
42	21	191
55	10,11	197
59	12	213
	Jeremiæ.	
15	16	278
23	28	111
23	32	78
	Ezechielis.	
20	37	224
	Hoſeæ.	
2	14	216,360
11	4	224
	Joelis.	
2	23	245
	Matthæi.	
5	17,18	184
7	29	38,81
11	30	185
13	11	134
15	9	90
16	19	175
	Marci.	
4	24	277

Cap.	Vers.	Pag.
	Lucæ.	
7	3,5,7,8	90
12	36	21
1	1,4	109
1	6	169
8	15	280
14	23	197
16	29	64
16	31	259
24	32	238
	Joannis.	
5	39	300,331
5	47	38
6	63	236
10	27	59
15	3	229
17	17	230
	Actorum.	
5	4	38
9	22	332
10	5	257
15	28	313
17	4	219
17	11	331
18	4	219
19	8	219
28	23,24	219
	Ad Romanos.	
3	19	204
4	15	205
5	20	205
6	17	249,251
7	8,9	206
7	9	207
7	11,13	208
10	4	210
10	17	155
11	32	211
12	6	15,112,338
14	5,23	298,299
15	16	227
16	25	134
	1. Ad Corinth.	
1	17,18	78,270
2	4	6,294
2	6	352
2	7	13
2	13	78
2	14	3
2	15	299
2	16	329
4	5	251
9	21	188
13	12	200
	2. Ad Corinth.	
1	12,13	110
1	18,19,20	57
2	16	242
2	17	79
3	2,3	357
3	18	251,252
4	7	196
10	4,5	248,249
10	13	30
11	2	358
11	3	111

Pag.	Cap.	Verſ.	Pag.
		Ad Galatas.	
206	1	11,12 22	
207	3	1	200
208	3	19,22	211
155	3	24	211
211	6	16	30,104
3,338			
3,299			
227		**Ad Epheſios.**	
134	1	9	13,135
	1	13	108
	2	1,2	195
3,270	2	20	145,155
5,294	3	4,5	13
352	3	6,7	194
13	5	15	234
78	5	17	230
3			
299		**Ad Philippenſes.**	
329			
251	1	10	299
188	3	16	31,104
200			
		Ad Coloſſenſes.	
	3	6,7	195
110	3	16	273,278
57			
242		**1. Ad Theſſalonicenſes.**	
79			
357	2	13	53
1,252	4	8	354
196			
8,249		**1. Ad Timoth.**	
30			
358	3	20	267
111			

Cap.	Verſ.	Pag.
	2. Ad Timoth.	
1	13	338
3	15,16,17.	201,202.262
	Ad Hebræos.	
1	1	19
1	8	194
2	1	278
4	2	281
4	12	230,231,232
11	1	291
	Jacobi.	
1	18	227
1	21	252
2	8	147,175
4	12	175
	1 Petri	
1	23	227
2	2	111,244
4	6	232
	2 Petri.	
1	19	199
1	20,21	19
	1 Joannis.	
2	14	234
4	1	300
5	3	186

ERRATA.

Ad

ERRATA.

PAg.4.lin.2,3.lege minoribus. p.13.l.17. l.Eph.1
9. p.14.l.2. l.τελειότης. p.31.l.17. l.διοπτεύω
p.33.l.16. l.commorabantur. p.36.l.18. l.fabulosa. p
37.l.12.l.liberos. p.39.l.7.dele in. Ib. l.14.pro est,
sit. p.40.l.28.l.Ecclesiæ. Ib.l.29.l.Ecclesia. p.44.l.21
l.infallibiliter. p.57.l.13.pro חזק l.חזק. p.63.l.16
l. *solummodo*. p. 87. l. 12. l. propiùs. p. 102. l. ult.
מקודי. p.110.l.ult. l. ἐκ ἐν.p.120.l.19.*ac*, ante *studi*
um, post pone.p.140.marg.l.20.l.Prov.24.7. fol.165
p.2. l.23. l. respondet. fol.180.p.2.l.19. l. adinventi
onibus. p.200.l.31. pro *ab*, l. *ob*.p.203. Sect.2. l.12.
præparativæ. p.214.l.15.l.Disposítivum. p.266.l.1
l.carnalis. p.234. l.7.l. בלבו. p.236.l.8. l.vivifica
di. p.253.l.16. l.animæ.p.256.l.ult.pro *perfectionis*,
pulchritudinis. p.289. l.1,2. l. particulares. p.298.
6. l. errari. p.304.l.ult.l.materiam.p.309.l.30.l.infa
libile. p.315.l.16. l.fœliciùs.p.323.l.32. l.Lyranus.
325.l.5.l.quæ.

IDEA THEOLOGIÆ.

Liber. I.

De Theologia in genere: & ejus objecto Notionali, Sacra Scriptura.

CAP. I.

De *Theologia in genere.*

SECT. I.

De *Theologiæ Definitione.*

(a) THeologia, *eſt* (c) *Supernaturalis,* & (d) *Certa* (b) *Doctrina de* (e) *Deo; quâ* (f) *homo fidelis* (g) *dirigitur* (h) *ad bene beatéq; vivendum.*

(a) THeologia, ratione nominis, eſt θεοῦ λόγος, *Dei ratio*; quarum vocum prior *eſſendi*, poſterior *cognoſcendi* principium denotat. 1 Theſ. 2. 13. λόγον θεοῦ.

Theologiæ Idea *Generica* exprimitur ſub notione (b) *Doctrinæ*: quâ voce indicatur, illam à cæteris Diſciplinis diſtinctam, & tamen earundem ſuo modo comprehenſivam eſſe.

Theologia differt à Scientiis, & artibus naturalibus ratione tum *Materiæ*, quam tractat, 1 *Cor.* 2. 7, 8, 9. tum *Principiorum*, quibus innitur, 1 *Cor.* 2. 6. tum *Luminis*, quo acquiritur, 1 *Cor.* 2. 5.

Theologia tamen, cùm ſit Doctrina maximè univerſalis, ratione ſuæ *Amplitudinis*, comprehendit ſub ſe *eminenter* & *unitè*, quicquid in alijs Diſciplinis, tum Theoreticis, tum Practicis, ſeorſim,& modo inferiori continetur. Unde Theologia, ratione ſuæ *certitudinis*, dicitur *Scientia*; quatenus mores componit, *prudentia* nominatur; quatenus bonum à malo diſcernit, *habitus diſcretivus* dicitur, *Heb.* 5. 14. Nuncupatur etiam *Doctrina*, *Intellectus*, *Senſus*,&c. Sed inter omnes habitus intellectuales, nullus cum Theologia magis conſpirat quàm *Sapientia*; per quam ſæpius exprimitur, ut 1 *Cor.* 2. 7. σοφίαν. Cùm enim in quolibet genere ille *Sapiens* nominetur, qui contemplatur altiſſimam cauſam illius generis; Theologus, qui conſiderat Deum, ſimpliciſſimam & altiſſimam totius Univerſi cauſam, maximè *Sapiens* jure optimo audit.

Hinc patet, Theologiam nullis alijs Scientiis aut Diſciplinis Subordinari. Una Scientia alteri Subordinari dicitur, quando ab ea ſua *principia* mutuatur; adeo ut quæ ſunt principia in inferiori Scientia, in ſuperiori ſint concluſiones. Sed nihil tale in Theologia invenitur.

Theo-

Theologiæ Idea *Specifica* & *Formalis*, elicitur ex ejus *Attributis*, *Objecto*, *Subjecto*, *Officio*, & *Fine*.

Primum Theologiæ Attributum est ejus (*c*) *Supernaturalitas*: quæ duplex est, (1) ratione *objecti*: (2) ratione *principij*. Ratione *objecti* Theologia requirit *Revelationem Supernaturalem*, eò quòd hominem disponat & ordinet ad Deum, tanquam ad *primum Dependentiæ principium*, *& ultimum Fruitionis finem*, qui rationis captum transcendit. Omne autem principium, omnisq; finis debet præcognosci ab iis, qui suam Dependentiam, suasq; Intentiones & actiones in tale principium, talemq; finem ordinant. Sed nemo Deum salutariter cognoscere potest nisi per supernaturalem Revelationem. Deum rectè cognosci haud posse, nisi per ipsum Deum, *i. e*, suiipsius revelationem supernaturalem, est commune ἀξίωμα, luce meridianâ clarius, *Psal.* 36. 9. *In lumine tuo videbimus lumen.*

Supernaturalitas etiam Theologiæ facilè demonstrari potest ex parte *Principii*. Facultas enim naturalis non potest vi propriâ attingere veritates Supernaturales: ideo opus est lumine quodam supernaturali interiori & intelligibili, mentem elevante ad percipiendum veritates Supernaturales; quas intellectus humanus, per lumen suum naturale attingere non potest: unde dicitur, 1 *Cor.* 2. 14. *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritûs Dei*, &c. 1 Cor. 2. 14

Bene hic notat *Grotius*, quòd ψυχικὸς non est idem ac σαρκικὸς, qui corporis affectibus gubernatur; sed est is, qui humanæ tantùm ra-

tionis luce ducitur. De hoc naturali homine dicitur, ὁ δὲ οὐ δύναται, *non est capax*: Metaphorâ à minoribus vasis depromtâ, quæ majus quippiam ipsorum proportione capere nullâ ratione possunt. Homo *Animalis* non percipit res Spiritûs; quia nulla est proportio inter capacitatem *ejus naturalem*, & res *Supernaturales* aut Spirituales. Immo sequitur; καὶ οὐ δύναται γνῶναι, *nec potest ea cognoscere*; est res plane impossibilis: & quare? ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται, *quia Spiritualiter dijudicantur*, i. e, *percipiuntur*. Quasi dixisset: Heu! quid mirum est, hominem *animalem* non capacem esse rerum Spiritualium? quomodo enim potest Intellectus naturalis percipere res supernaturales? quænam proportio est inter facultatem animalem, & res spirituales? Ex his Theologiæ supernaturalitas satis evincitur.

Hinc alterum Theologiæ emergit Attributum, nempe (d) *Certitudo*. Sicut enim lumine naturali Intellectus redditur certus de primis principiis, & de conclusionibus necessariis, exinde necessariò *pullulantibus*; eodem modo de iis quæ supernaturali lumine apprehendit, certitudinem habet. Certitudo hæc nihil aliud esse videtur, quàm immutabilis quædam *Firmitudo* sive *Infallibilitas veritatis*; quæ, prout est in rebus quæ apprehenduntur, dicitur *Certitudo objectiva*; prout autem est in Intellectu, dicitur Certitudo *subjectiva*: & certitudo hæc ex parte *subjecti*, nunquam separatur à certitudine objecti; sed eandem aliquo modo præsupponit: Judicium enim idcirco certum est, quia res circa quas versatur certæ sunt. Hæc certitudo ratione objecti, dicitur *Firmitudo*, Rom. 4. 16. εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν, *ut firmam*

mum sit promissum; & *Immutabilitas*, Heb. 6. 17, 18. τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ. *Immutabilitatem ejus consilij* &c. Ratione autem *Subjecti*, hæc certitudo Theologiæ dicitur πληροφορία, ut *Col.* 2. 2. *Heb.* 6. 11, quæ significat talem certitudinem mentis, quæ omnem dubitandi locum excludit. Metaphora a navibus plenis ventis agitatis. Hæc iterum *plerophoria* mentis duplex est, una *directa* & *Adhæsiva*: altera *reflexa* & *Applicativa*: πληροφορία *directa* & *Adhæsiva* est firmissima animi persuasio, de veritate & certitudine objecti cui assentitur, ut *Luc.* 1. 1. περὶ τῶν πεπληροφορημένων, &c. *earum rerum, quarum plena fides nobis facta est* & *Rom.* 4. 21. πληροφορηθεὶς, *i. e*, firma & constanti fide statuens. Hæc πληροφορία est aliquo modo essentialis fidei, & Theologiæ Christianæ. Altera autem πληροφορία, quam *reflexam* & *Applicativam* nominamus, est certa persuasio de statu bono, & jure hæreditario, quo donati sunt fideles: de qua loqui videtur ἀγόγγυστος, *Heb.* 10. 22. ἐν πληροφορίᾳ πίστεως. *Hæc plerophoria*, utcunq; optimè conducit ad consolationem & pietatem Christianam, non est tamen essentialis fidei, aut Theologiæ; sed tam ab unâ quàm alterâ sæpissimè divulsa.

Certitudo Theologiæ, tum *objectiva*, tum *subjectiva*, oritur ex infallibili *veracitate* Dei verbo suo applicata, quæ habet se, ut *objectum formale*, sive *motivum proprium*, & fundamentum principale fidei. Unde sequitur certitudinem Theologiæ ex parte *objecti* firmiorem esse, quàm cujuslibet scientiæ naturalis. Immo ex parte *subjecti* certitudinem, suâ naturâ firmiorem, fidelibus ingenerat Theologia, quàm *scientia*

entia naturalis: & ratio eſt evidens; quia certitudo hæc Theologiæ nititur certiori fundamento, nimirum infallibili veracitate Dei; & oritur ex efficaciori Demonſtratione, utpote potentiſſima Spiritûs S. Illuminatione: Ita 1 *Cor.* 2. 4. ἐν ἀποδείξει πνεύματος, καὶ δυνάμεως. i. e. 1 Cor. 2. 4. *in potentiſſima ſpiritûs Demonſtratione:* ἐν διὰ δυοῖν. *Mathematici* ſuas habent Demonſtrationes oculares ac certiſſimas; Dialectici ſuas; Sed Theologia ſacra potentiſſimo Spiritûs S. afflatu inſpirata, efficaciores & firmiores Demonſtrationes præbet. Nec hoc latuit aliquos inter Scholaſticos ſaniores, qui aſſerunt, *Theologiam eſſe certiorem ſcientijs naturalibus; etiam quoad concluſiones, ex una præmiſſa de fide, & altera naturali, erutas*, Sto Joſeph. Theſ. Theolog. c. 1. Haud diffitendum eſt, quam plurima dubia circa aliquos Theologiæ apices occurrere: Hæc autem ortum ſuum trahunt, non ex incertitudine objecti, ſed ex infirmitate intellectûs humani. Et hoc porro addendum eſt, minimam certitudinem in rebus Theologicis, quæ maximæ ſunt, invenire, multò præſtantius eſt, quàm maximam in alijs ſcientijs, quæ ratione Theologiæ minimæ ſunt, obtinere.

Theologiæ (*e*) Objectum *primarium*, à quo ſolo denominationem ſuſcipit, eſt ipſe Deus: *Secundarium* autem quæ ſunt à Deo, & ad ipſum referuntur. Et quò majorem cum Deo ſimilitudinem res habent, vel propinquiùs ad eum accedunt, eò altiorem in Theologia Sedem occupant. Ita omnia in Theologia tractantur ſub ratione Dei; vel quia ſunt ipſe Deus, vel quia πρόσιν ſeu habitudinem habent ad Deum, ut *primum principium*, & *finem ultimum*. Unde patet, Deum eſſe

esse proprium & adæquatum Theologiæ objectum, utî Aquinas *part.* 1. *Q.* 1. *Art.* 7. Ariminensis, *Sent.* 1. *Q.* 4. *Fol.* 16.

Nec Dei Infinitudo impedit, quo minus cognoscibilis sit à facultate finita. Utcunq; enim subjectum finitum nullum habeat medium cognoscendi objectum infinitum, ei perfectè proportionatum; potest tamen habere medium secundùm *illationem* proportionatum: quod nihil aliud est, quàm esse medium conveniens ad Deum cognoscendum. Sic creaturæ sunt medium *naturale*, & verbum Dei medium *supernaturale* Deum cognoscendi. Potest enim esse proportio creaturæ ad Deum, in quantum se habet ad ipsum ut effectus ad causam, & ut potentia ad actum: Et secundùm hoc intellectus creatus proportionatus esse potest ad Deum cognoscendum, ut *Rom.* 1. 19, 20. διότι τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. *&c.*

Subjectum Theologiæ (*f*) est *homo fidelis*. Fides enim & Theologia sunt à parte rei unus & idem habitus; neq; differunt nisi ratione. Divinarum enim rerum cognitio in fidelibus, quatenus Divino Testimonio innititur, dicitur fides: eadem autem doctrina, quatenus variis donis spiritualibus adornatur, & homines reddit διδακτικὸς καὶ ἱκανὸς ad docendum alios, dicitur Theologia. Theologia in abstracto, sive *objectiva*, est doctrina μυστηριώδης Evangelii; in concreto, seu *subjectiva* est lumen fidei menti à Spiritu S. inditum. Hinc omnes fideles sunt suo modo Theologi; & nulli sunt veri Theologi, nisi qui sunt re verâ fideles, ut ex sequentibus Corollarijs 8, 9, 10. patebit.

Theologiæ *officium* eſt, (g) *Dirigere.* Theologia enim non ſolùm *contemplativa* eſt, ſed etiam *Affectiva* & *Activa.* Hoc aliqui, inter philoſophos, de ſua philoſophia aſſeruerunt. Ita *Socrates* voluit, totam philoſophiam eſſe *Activam.* Et ſecundùm *Platonem*, *Philoſophia eſt via ad veram felicitatem; cujus duo ſunt maximè munera, Deum contemplari, & animum à corporeis ſenſibus ſejungere.* Unde *Plutarchus*, l. 1. de placit. philos. *Oportet*, inquit *virum beatum*, οὐ μόνον θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων, ἀλλὰ καὶ πρακτικὸν τῶν δεόντων. Et pleniùs *Seneca: Quid*, inquit, *philoſophia niſi vitæ lex?* Iterum; *Philoſophia autem & contemplativa eſt & activa, ſpectat ſimulq; agit.* Deniq;, *Non eſt*, inquit, *beatus qui ſcit illa, ſed qui facit.* Immo tantum ſcimus, quantum operamur. Hæc, gradu eminentiori, Theologiæ conveniunt.

Hinc *Finis* Theologiæ eſt (h) *bene, beatq; vivere.* Primarius & ultimus Theologiæ finis eſt εὐπραξία. Theologus enim non magna loquitur, ſed agit; non *Suadæ*, ſed *Gratiæ* medullam; non rorem Achaicum ſed *Manna* Judaicum; non flores ſpeculationis, ſed fructum pietatis, producit. Theologia non auribus ſolis, ſed animis loquitur; non verba, ſed mores componit; non ſcientiam format, ſed conſcientiam informat, animam tranſformat, & vitam reformat; Unde nuncupatur, 1 *Tim.* 6. 3. κατ' εὐσέβειαν διδασκαλία, *doctrina ſecundum pietatem.* Sic *Plato*: ἐπιστήμη βασιλικὴ σοφοὺς ποιεῖ καὶ ἀνθρώπους καὶ ἀγαθούς. *Scientia Regalis*, [i. e. *Theologia*] *ſapientes reddit homines & bonos.* Huic εὐπραξίᾳ, individuo connexu adjungitur εὐδαιμονία. Nam *bene agere* eſt *beatè*

tè vivere. Qui bene agit nunquam malè ſe habet. Bonus miſer videri poteſt, ſed non poteſt eſſe.

SECT. II.

Πορίσματα, *ſive Corollaria.*

1. DAtur *via, per quam intellectus humanus ad Deum cognoſcendum aſcendere poteſt.* Quum enim hominis ſummum bonum in Dei *cognitione, contemplatione,* & *fruitione* conſiſtat, dedit ei Deus triplicem librum, per quem ad hunc finem, aſſiſtente Divino afflatu, attingere poſſit, (1) *Librum Naturæ,* (2) *Librum Gratiæ,* (3) *Librum Gloriæ. Ex Libro Naturæ,* utcunq; multùm ſit per peccatum obliteratus, Theologus aliquo modo aſcendit ad Dei cognitionem. Nam quia omnes creaturarum perfectiones, ordine quodam à ſummo earum Creatore deſcendunt, ideo homo ab eis gradatim aſcendit ad creatoris contemplationem. Sed ex *libro Gratiæ* exactiorem Dei cognitionem acquirit Theologus. Quoniam enim homo per *librum Naturæ* haud poſſit aſcendere ad ſalutarem Dei contemplationem, ideo Deus ipſe deſcendit ſupernaturali revelatione, ut hominem inſtrueret, & manuduceret ad ſui ipſius cognitionem. Eſt igitur veritas Dei revelata, ſive verbum divinum αὐτόπτον, ipſiſſima Theologia objectiva *Viatorum.* Liber autem *Gloriæ* eſt ipſa *Divina eſſentia,* quatenus eſt ſpeculum viſionis beatificæ;

& hujus libri contemplatio, eſt Theologia *comprehenſorum*, ſive *Beatorum*. Unde,

2. *Nulla datur Theologia Naturalis propriè dicta.* Theologia enim θεῖόν τι in ſe comprehendit, quod nullis naturæ ergaſtulis coarctari poteſt. Deinde omnis Theologia Fœderi alicui innititur: & ſicut Theologia Adami ante lapſum naturalis, fœdere Naturæ comprehenſa fuit, ita Theologia noſtra fœdere Gratiæ ſupernaturali limitata eſt. Theologia hæc ſupernaturalis fundamen ſuum habuit in primo promiſſo evangelico, *Gen.* 3. 15. & ſic differt à Theologia Adami naturali, tum *principiis*, tum *mediis*, tum *proprietatibus*, tum *effectis*. In aliquibus tamen conveniunt, ſcilicet in *fine ultimo*, & *objecto*, utpote Dei contemplatione & fruitione, utî *Owen*, de *Theolog.* lib. 2. cap. 1. p. 131.

3. *Theologia non habet unam ac eandem ideam cum Diſciplinis philoſophicis, multò minùs eis ſubordinatur.* Diſciplinæ enim philoſophicæ nituntur fundamentis rationis humanæ; ſed Theologia fundamentis Revelationis Divinæ innititur. Scientiæ philoſophicæ, fundantur in principiis, quæ Rei inſunt, aut Senſui aut Intellectui objectis: ſed Theologia fundatur in principio extrinſeco, nimirum autoritate Divina; nec ullo principio nititur, quod non eſt omni modo ἀξιόπιστον, & divinum. Chriſtiana igitur Theologia intra cancellos verbi Dei conſcribitur, eiq; totam autoritatem tribuit; non quia una propoſitio ex altera evidentibus rationibus aſtruitur; ſed omnes veritates, ob revelationem divinam certâ fide amplectitur. Verum eſt, Theologos aliquando quaſdam propoſitiones à ſcientiis naturalibus ſumere, ſed tantùm ut ab in-

inferioribus & ancillaribus Disciplinis. Hinc,

4. *Theologia quò minùs Ideis philosophicis est admista, eò magis illibata ac pura est.* Concedendum est, veritates Theologicas in methodum, seriem & classes, secundùm Logicæ regulas, & terminos disponi posse: Datur enim inter Theologiæ partes ἀναλογία, sive, harmonia quædam & dependentia. Inde Theologi aliquando terminos logicos, notionesq; philosophicas cum Theologia admiscent. Sed distinguenda est ipsa Theologia à Theologo; vel Theologia *objectiva*, à Theologia *subjectiva*: Theologia in *objecto* longè purior, simplicior, ac præstantior est Theologiâ in *subjecto*: Et utcunq; Theologus, ob iniquitatem Temporum, aliquando cogitur terminis ac notionibus philosophicis uti, ad explicandam, & demonstrandam suam Theologiam, ipsa tamen Theologia non est inde auctior aut emendatior. Immo, si sine necessitate, talis artificiosa compositio ambitur, Theologia inde deterior evadit. Quò enim simplicior, eò melior est Theologia. Quare, non sine premente necessitate, & maxima cum cautela, Theologus contemperet notiones philosophicas cum veritatibus Theologicis; nec tales admittat, nisi suis principiis consentaneas, & ut de illis judicet Theologia. Theologus enim philosophiam Theologiâ, non Theologiam philosophiâ mensuret; & quò perfectior evadet Theologia eò minùs humanâ indigebit philosophiâ, ut 1 *Cor.* 2. 4, 10. Unde,

5. *Spinosa & rixosa Scholasticorum Theologia, sicut & Mystica Monachorum ad plurimùm spuria & inutilis est.* *Theologia mystica* Monachorum ortum suum traduxit, è philosophia *Pythagorica*,

gorica & Platonica, quæ in Schola Alexandrina floruit, circa annum 250. Primus hujus Theologiæ compositor fuit *Origenes*, *Ammonij* Magni, (qui caput fuit aureæ successionis,) Discipulus. Origenis successores fuere monachi *Origenistici*; qui in *Ægypto* vitam monasticam degentes, multum tum otij, tum adjumenti invenerunt, ad Theologiam hanc mysticam sive philosophicam perficiendam.

Theologia *Scholastica* Spiritum suum traduxit à philosophia *Aristotelica*, quatenus enucleata, & commentis illustrata fuit per *Averroem* & alios. Primi ejus Autores fuere *Petrus Lombardus*, *Thomas Aquinas*, *Jo. Scotus*, & ejusdem farinæ quamplurimi alij. Hujus *Theologiæ Scholasticæ* combinatio cum philosophia Aristotelica, ac ejusdem abusus, optimè demonstratur à Cornelio Jansenio, *Augusti*. Tom. 2. lib. procem. cap. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, *&c.* Sic cap. 8. fol. 8. *Quis dubitare potest, plerasq; notitias genuinè Scholasticas non nisi puras abstractiones esse, depuratasq; Aristotelicæ Metaphysicæ eliquationes*, &c. Sic *Owen* de *Theolog.* l. 1. c. 2. Hinc etiam sequitur,

6. *Ratio humana non est mensura rerum Theologicarum.* Hunc canonem inter Scholasticos magis orthodoxi ita exprimunt: *Discursus Theologicus non est scientificus, sed creditivus.* Hoc strenuè demonstrat *Ariminensis*, Sentent. 1. dist. 1. Q. 1. fol. 8. Facilè patimur Rationem humanam, sive Intellectum, esse Instrumentum, quo percipiuntur veritates Theologiæ; sed earundem mensuram esse pertinaciter negamus. Immo conclusiones Theologicas, ex verbo Dei discursu Theologico deductas non ratione sed fide percipiendas esse, communis est orthodoxorum

thodoxorum persuasio, uti *Camero.* fol. 49, *&c.* Et ratio est validissima: Nam verbum Dei, & consequentiæ inde deductæ sunt unius ac ejusdem naturæ. Optimè *Jansenius*, (August. *tom.* 2. *lib. proœm. c.* 9. *fol.* 9.) 'Cancelli igitur non alij Theologiæ Scholasticæ Christianæ ponendi sunt, nisi quos ipse Deus ei fixit: 'Nam ex omnium Theologorum sensu, Deus 'ipse principia Scientiæ rerum divinarum, quæ 'ante in abditissimos recessus ab hominum 'cognitione abstrusæ erant, nobis revelavit. Unde,

7. *Theologia est sapientia* μυστηριώδης. Ita, 1 *Cor.* 2. 7. σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ. *Sapientiam Dei latentem in mysterio*, i. e, Sapientiam arcanam, & quam ne suspicari quidem homines unquam potuissent, ut *Ephes.* 1. 26. & 3. 4, 5. Ita apud *Ethnicos* μυέω, & inde μυστήριον, aliquid absconditum, & à scientijs naturalibus, penitus abstractum perpetuò significat. Sic *Phavorinus*: Μυστήρια ἐκλήθη παρὰ τὸ τοὺς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα, καὶ μηδενὶ ταῦτα ἐξηγεῖσθαι; μύειν δὲ ἐστὶ τὸ κλείειν τὸ στόμα. Iterum, Μυστήρια θεωρία πνευματικὴ, τὴν τῶν πολλῶν κατάληψιν διαφύγουσα, *Mysteria sunt Theoria spiritualis, vulgi capacitatem transcendens.* Porro, μυστήριόν ἐστιν ἄρρητον σέβας, *Mysterium est ineffabilis cultus Divinus.* Μυέω est *sacris instituo*, & μεμυημένος est, *sacris initiatus*: qui etiam dictus fuit τέλειος *perfectus*: unde *Paulus* (ut aliqui volunt) alludens ad hanc acceptionem vocis, dicit Commate 6. *loquimur sapientiam* τελείοις, *perfectis*, i. e. ijs, qui per Spiritûs sancti illuminationem, perfectè initiati sunt in arcanis sacræ Theologiæ mysteriis: τελειῶ enim est *consecro*, *initio*,

1 Cor. 2. 7.

initio, unde apud antiquos Baptiſmus nuncupatur τελετὴ. Immo, apud *Platonem* τέλη ſunt *Myſteria*. Quare Theologus apud *Paulum* eſt τέλειος, ſive arcanis Divinæ voluntatis myſterijs initiatus. Immo, Theologiam eſſe ſapientiam quandam μυστηριώδη, *i. e.* non cancellis ſcientiarum naturalium, non regulis rationis humanæ circumſcriptam, ſed divinitus inſpiratam & traditam, ipſos Ethnicos (ſaltem eos qui in Traditionibus Judaicis verſati fuere) non latuit, ut bene *Owen*. Theolog. l. 1. c. 6.

8. *Fides & Theologia, ſunt ex parte rei unus ac idem habitus.* Notiones enim Theologicæ, quatenus nituntur Dei Teſtimonio dicuntur fides: eædem, quatenus in ſyſtemate methodicè diſponuntur dicuntur Theologia. Hinc ſequitur,

9. *Omnes fideles ſunt Theologi.* Omnibus enim fidelibus indultum eſt *lumen fidei*, quod eſt ipſa *ratio formalis* Theologiæ: nec ullum inter Theologos & fideles diſcrimen invenitur, niſi quod *graduale* eſt; quippe ex varia inter illos donorum ſpiritualium diſtributione exſurgens. Unde etiam,

10. *Theologia omnium non-fidelium, ſive irrenatorum impropriè, & æquivocè tantùm Theologia dicitur.* Hoc bene explicatur à *Roberto Baronio*, *Exercitat.* 3. de fide & c. Art. 30. 'Notitia inquit, rerum Theologicarum, quâ præditi ſunt 'impij & non-renati, non eſt Theologia proprie dicta, ſed *æquivocè* dicitur Theologia: 'Quemadmodum homo pictus *æquivocè* vocatur homo; ſic notitia rerum moralium, quâ 'præditi ſunt homines improbi, *æquivocè* dicitur philoſophia moralis. Ratio, quia Theologia

'logia est virtus *practica*: at illa cognitio con-
'troversiarum Theologicarum, quâ præditi
'sunt impij, non est virtus *practica*. Hinc,

11. *Theologia est scientia affectiva, & activa.* Hoc aliquos philosophos oculatiores non latuit. Ita *Plato*: ἐπιστήμη (inquit) βασιλικὴ σοφοὺς ποιεῖ καὶ ἀνθρώπους καὶ ἀγαθούς: *Scientia regia homines reddit sapientes & bonos.* Immo idem asserit de philosophia: *Philosophiæ tela magis animum vulnerant & mordent quàm vipera*, inquit *Plato*, conviv. fol. 218. Et *Seneca*: *Philosophia*, (inquit) *& contemplativa est & activa: spectat simulq; agit.*

12. *Theologia est omnium donorum Spiritualium complexio.* Omnia enim χαρίσματα spiritualia, vel immediatè, vel mediatè in animum à Spiritu S. infusæ, Theologiam Christianam componunt; quâ *sapientes* & *intelligentes* reddunt fideles in *mysterijs* fidei. Secundùm autem diversos Donorum Spiritualium gradus diversos in Theologia gradus obtinent fideles, *Ephes.* 4. 8. *& dedit dona hominibus*, &c.

13. *Inter omnes Theologiæ partes datur ἀναλογία & harmonia quædam.* Sic Rom. 12. 6. κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *secundum analogiam fidei.* Rom. 12. 6

Ἀναλογία, *Analogia*, definiente *Phavorino*, est, ὁμοίωσις ἑτέρου πρὸς ἕτερον κατά τι, *similitudo unius ad alterum secundum quid.* Sicut in Scriptis viri alicujus prudentis datur Analogia, & Harmonia quædam inter omnes partes ac periodos, quæ multùm luminis & claritatis toti confert; ita gradu multum sublimiori, inter partes Theologiæ exquisitissima datur Analogia & Connexio, quæ maximam claritudinem & perfectionem eis indit.

14. *Theo-*

14. *Theologia omnium Disciplinarum est simpliciter præstantissima.* Hoc etiam philosophos penitus non latuit: *Aristoteles* enim mentionem facit Θεολογικῆς ἐπιστήμης, eamq; præstantissimam τῶν διωρητικῶν ἐπιστημῶν esse docuit, uti *Owen* de *Theolog. l.* 1. *c.* 2. *p.* 5. Unde *Aristoteles*, *Metaphysicæ*, *Sapientiæ*, & *primæ philosophiæ*, unam atq; eandem Ideam ascribit ac *Theologiæ*. Hinc *Pythagoras* & alij, qui inter philosophos magni fuerunt nominis, titulo *Theologorum* maximè gloriabantur. Et apud *Platonem* Theologia nominatur ἐπιστήμη βασιλικὴ, *Scientia Regalis*. Sic *Plato*, Repub. 6. *dicit* ἰδέαν ταγαθὸν, i. e, *Theologiam*, esse μέγιστον μάθημα, *maximam Disciplinam*, &c. Hoc quoq; ipsa ratio confirmat: Utcunq; enim scientiæ naturales evidentiam quandam rationalem habent, quâ non gaudet Theologia; hæc tamen perfectior est qualibet scientiâ simpliciter & absolutè; idq; varias ob rationes: (1) Ratione *objecti*: Theologia enim versatur circa nobilissimum objectum, quippe circa magnum illud & tremendum Mysterium pietatis, *Deum incarnatum*, &c. (2) Ratione *fundamenti* cui innititur: Theologia enim nititur Dei ipsius Testimonio, qui est veritas ipsa; quiq; nec fallere nec falli potest. Fundamentum autem cui innititur scientia naturalis, est medium demonstrationis, quod convincit Intellectum per evidentiam rei, causas ejus aperiendo; quas percipere difficillimum est. (3) Ratione *Certitudinis*: Theologia est certior scientijs omnibus naturalibus, tum certitudine *Cognitionis*, tum certitudine *Adhæsionis*; quia nititur

nititur certiori fundamento, utpote Dei veritate & autoritate; quæ est longè certius fundamentum, quàm optima ratio, cui innititur scientia naturalis. Optimè hac ex parte *Aquinas* (*Sum. p.* 1. *Q.* 1. *Art.* 5) ‘Sacra ‘Doctrina omnium scientiarum simpliciter dig‘nissima est; quæ omnes speculativas ut specu‘lativa, & omnes practicas ut practica, longè ‘excedit. *Speculativarum* enim scientiarum ‘una altera dignior dicitur, tum propter certitu‘dinem, tum propter dignitatem materiæ: & ‘utrinq; hæc scientia alias scientias speculativas ‘excedit. *Practicarum* vero scientiarum illa ‘dignior est, quæ ad ulteriorem finem ordi‘natur: Finis autem hujus Doctrinæ in quan‘tum est practica, est Beatitudo æterna, ad ‘quam, sicut ad ultimum finem, ordinan‘tur omnes alij fines scientiarum practica‘rum.

CAP.

CAP. II.

De ſacræ ſcripturæ Origine, & Neceſſitate.

SECT. I.

De S. Scripturæ Origine.

THeologiæ (uti ſcientiæ naturalis) principium duplex eſt, vel *complexum*, vel *ſimplex*: Principium *complexum* eſt *verbum* Dei; *incomplexum* eſt ipſe Deus: prius *cognoſcendi*, poſterius *eſſendi* principium eſt; ſicut ipſum nomen *Theologiæ* indicat.

Verbum Dei, quatenus norma fidei & pietatis eſt, intra Cancellos ſacræ ſcripturæ comprehenditur. *Sacra Scriptura eſt verbum Dei* Θεόπνευστον, ἔνγραφον, & ἀξιόπιστον; *quo homo, tanquam canone neceſſario, authentico, & perfecto, adſpirante ſpiritûs ſancti afflatu, ad fidem ac obedientiam Deo præſtandam, infallibiliter dirigitur, & efficaciter adjuvatur.* Definitio hæc S. Scripturæ *Originem*, *Neceſſitatem*, *Autoritatem*, *Officium*, *Perfectionem*, *Influentiam*, & *Effecta* continet.

1. Ratione

1. Ratione *Originis*, S. Scriptura dicitur *verbum Dei* θεόπνευστον, *divinitus inſpiratum, ſive revelatum*, Ita 2 Tim. 3. 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, *omnis Scriptura, quæ à Deo inſpirata eſt*, uti Syrus. Scriptores S. Scripturæ Dei ſpiritu fuiſſe afflatos quamplurimis argumentis, tum *Inartificialibus* tum *Artificialibus*, demonſtrari poteſt. Ad *Inartificialem* Demonſtrationem componendam, varij ſacræ paginæ textus, undiq; conquiſiti, urgeri poſſunt. Sic Num. 12. 2. *An tantùm per Moſem loquitur* Num. 12. 2
Jehovah? במשה ubi præfixum ב notat primariò *In*; & ita emphaticè ſignificat Dei *Inhabitationem* ſingularem in *Moſe*, ſicut in cæteris prophetis, ad librorum ſacrorum inſpirationem & compoſitionem. Ita exprimitur, *Hebr.* 1. 1. Deus locutus patribus, ἐν τοῖς προφήταις, *in prophetis*, pro διὰ τῶν προφητῶν, *per prophetas*. Heb. 1. 1.
Hebraiſmus eſt maximè emphaticus; quo innuitur, Deum quaſi prophetis ipſis inſediſſe, immo inhabitaſſe, & mentes linguaſq; eorum divino quodam afflatu inſpiraſſe, ut interpretatur *Petrus*, 2 Epiſt. 1. 20, 21. *Sì illud* 2 Pet. 1.
primùm noveritis, nullam prophetiam Scripturæ 20, 21.
eſſe propriæ explicationis, ἰδίας ἐπιλύσεως; quid vult hoc? Pontificij, & inter nos aliqui, per hoc excludunt *privatam*, propriamq; Scripturæ explicationem à quibuſlibet Chriſtianis; ſed malè: Nam *Petrus* loquitur hic, non de ſcripturarum *Interpretatione* propriè dicta, ſed potiùs de earum *origine*: nec *propriam* ſeu *privatam interpretationem* opponit *communi* ſive *publicæ*, ſed *Divinæ revelationi*. Ad quod enucleandum, præmonendum eſt, *Petrum* allegaſſe, *v.* 18. ſe, & alios Apoſtolos, nempe

Joannem

Joannem & *Jacobum* fuiſſe cum Jeſu in monte ſancto, & illic audiviſſe vocem hanc, *Hic eſt filius ille meus, dilectus ille, in quo acquieſco*: ſed quoniam teſtimonium hoc fuit tantùm *privatum*, & trium hominum, adjungit ille, *v.* 19. *Et habemus firmiorem illum propheticum ſermonem*, &c. Quibus, præfert teſtimonium ſcripturarum, illi, quod *Jacobus*, *Joannes*, & ipſemet reddiderunt de Chriſto: eo quòd eorum teſtimonium erat tantùm *privatum* & *particulare*; Scripturarum autem teſtimonium *publicum* & *authenticum*. Scripturæ enim non ſunt teſtimonium quorundam particularium & privatorum, ſed ipſius Dei, uti *v.* 20. *nullam prophetiam ſcripturæ eſſe propriæ explicationis*. Sicut in civitate aut Regno, *ſcriptura privata* eſt ea, quæ cives aut populi privatim fecerunt: Regis autem, & Senatûs *conſtituta*, publica & *Authentica* dicuntur: eodem modo Scripturæ S. quatenus Dei ſunt conſtitutæ, publicæ & authenticæ, non privatæ interpretationis eſſe dicuntur. *Petrus* nomine, ἐπιλύσεως, *Interpretationis*, ſive *declarationis*, utitur, quoniam prophetæ Dei *Interpretes* fuere, & *organa*, per quæ ejus voluntatem, priùs incognitam, declaravit & interpretatus eſt. Unde doctiſſimus interpres *Impulſum*, ſive *afflatum* ἐπιλύσεως interpretari mavult; ut ſit ſcriptum ἐπιλύσεως; quæ ſententia Bezæ etiam placet. Ita verba hæc *privatæ Interpretationis*, non exprimunt *actum* eorum, qui ſcripturam legunt & explicant, uti volunt *pontificii*; ſed *actum prophetarum*, qui primò ſcripturam compoſuerunt. Et hunc eſſe verum ſenſum verborum, evidenter patet ex eo quod *Petrus* opponit, *v.* 21. *Non enim libitu hominis allata*

eſt

est olim prophetia, sed acti à Spiritu sancto, locuti sunt sancti Dei homines. φερόμενοι, quâ voce confirmatur prioris commatis interpretamentum, de spiritûs S. impulsu, sive afflatu: exprimit enim *actum* & *modum* quo Scriptura S. a prophetis fuit composita. (2) Idem confirmatur, ex ὃ γίνεται, *v.* 20. *facere enim prophetiam*, non est eandem, postquam facta est, interpretari. Hoc bene observavit Cajetanus in hæc verba, ἰδίας ἐπιλύσεως: *Inter scriptas scientias & scriptas prophetias differentiam tangit penes hoc, quòd vir doctus ea quæ in lumine Intellectûs Agentis apparent, juxta propriam interpretationem & docet & scribit; propheta autem ea quæ sibi sub lumine divinæ revelationis apparent, non secundùm proprij judicij interpretationem, & dicit & scribit.* Plura videas apud *Mestrezat.* liv 3. de l'. *Eglise* c. 8.

Veteres Testamenti scriptores esse θεοπνευστούς, ex quamplurimis alijs textibus satis luculenter patet. Ita dicitur de *Davide*, Marc 12. 36. Mar. 12. 36
Nam ipse David dixit per Spiritum S., &c. ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, *in Spiritu S.* Est quædam in hoc loquendi genere efficacia potentissima: significatur enim non tam *Davidem* locutum fuisse, quàm Spiritum S. qui quodammodo *Davidem* ipsum possederit, & in ipso, tanquam organo, locutus fuerit. Videtur sane ἐμφατικώτερον dictum, *Davidem in Spiritu*, quàm *Spiritum in Davide locutum fuisse.* Sic Act 1. 16, *Oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit Spiritus S. per os Davidis*: ubi *os Davidis* inducitur ut organon, per quod Spiritus S. locutus fuerit.

Novi

Novi etiam Testamenti scriptores non minùs divinitus inspiratos esse æquè liquet. Hoc
Gal. 1.11, Paulus de seipso evincit, *Gal.* 1. 11. *Notum autem*
12. *vobis facio fratres, evangelium illud, quod est à me evangelizatum, non esse secundùm hominem,* οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον, *i. e.* non esse doctrinam quandam humanitus inventam; vel, quam ego ab hominibus acceptam, ex eorum autoritate annunciem. Prior expositio à præcedente commate, posterior à proximè sequente pendet. *Grotius* sic explicat: *Non est secundùm hominem*, i. e. *Nihil humani affectûs admistum habet*: quod verum est, sed non plenum sensum explicat. Sequitur autem, *v.* 12. *Neq; enim ab homine id accepi, neq; edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi:* παρέλαβον hîc, ut alibi, videtur referre ad Hebræum קבל *Cabal accepit*, unde *Cabala* Judaica: Sicut enim Doctoris officium fuit מסר *tradere*; ita Discipuli officium fuit קבל *accipere* doctrinam a doctore suo traditam; quæ inde *Cabala* dicta fuit. Ita mens Apostoli videtur esse talis: Gloriantur Judæi suâ *Cabalâ*, sive Traditionibus à Doctoribus suis acceptis: nos etiam nostram *Cabalam Evangelicam* habemus, nempe Evangelium; quod non παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον; non ex *Hillelis*, aut aliûs doctoris *Cabalistici* traditione hoc accepi. Unde sequitur, οὔτε ἐδιδάχθην, *neq; edoctus fui*, nimirum à præceptore meo *Gamaliele*, vel ullo Doctore Evangelico; ἀλλὰ δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *i. e.* per Revelationem Christi supernaturalem & miraculosam, ut 2 *Cor.* 12. 1. *Christum* hic opponit *Paulus* omnibus hominibus; & revelationem extraordinariam, per quam evangelium suum à Christo accepit

cepit, omni inſtructioni humanæ, tum *naturali*, tum *Judaicæ*, tum *Apoſtolicæ*. Sed hactenus de demonſtratione Scripturali.

Sacram Scripturam eſſe, Θεόπνευστον, *divinitus inſpiratam*, rationibus etiam evidentibus demonſtrari poteſt. Scriptores enim ſacræ paginæ potentiſſimo ſpiritûs Divini afflatu fuiſſe correptos, inde facilè pateſcit, quòd in iis libris ſint æternæ divinitatis & veritatis characteres. Deus quidem tam conſpicuas & infallibiles divinitatis ſuæ notas S. Scripturæ indidit, ut nemo, niſi qui penitus cæcutit, negare poſſit ejus originem omnimodo cœleſtem & divinam eſſe. Scripta enim Prophetarum & Apoſtolorum tantam præ ſe ferunt, tum *formæ* tum *materiæ Majeſtatem* & *Divinitatem*, ut fieri non poſſit ea aliunde, quàm à Deo, originem ſuam traduxiſſe. Ratione *Formæ* ſive ſtyli, quanta *Majeſtas* cum humilitate; quanta ſimplicitas cum varietate; quanta brevitas cum perſpicuitate; quanta evidentia cum proprietate; quanta Δεινότης, & *efficacia*, cum familiaritate; quanta plenitudo cum harmonia & cohærentia; quanta deniq; certitudo cum profunditate in S. Scripturæ charactere eſt ſimul conjuncta? Ratione autem *Materiæ*, quantum *Pondus* rerum; quanta *Altitudo* myſteriorum eſt? Quàm purum & ſanum; quàm rectum & immutabile, quàm certum & verum eſt quodlibet in ſacra pagina? Quantam vim habet ad percellendum, ſimul ac demulcendum animum legentis? Aculeos habet ad pungendum, & oleum ad leniendum auditorem. Quàm admirabilis eſt conſenſio & Analogia inter veteris ac Novi Teſtamenti libros? Annon prophetiæ eventis, ac eventa prophetijs exactiſſimè quad-

quadrant? Nonne inter res & Typos optima eſt conſpiratio? Breviter; ut in mundo viſibili, ſive *libro Naturæ*, tot ſunt viſibiles characteres divinitatis, ut quilibet oculatus poſſit Deitatem illic contemplari; eodem modo *in libro Gratiæ*, ſacrâ ſcilicet paginâ, quilibet, oculo ſpirituali donatus, characteres & notas Divinitatis ei impreſſas intueri poſſit.

Sed ad divinam S. ſcripturæ originem aliquid penſiculatiùs trutinandam, ſciendum eſt non ſolùm ipſas res, ſed & ipſas voces ſpiritûs S. afflatu inſpiratas fuiſſe. De prophetarum ſcriptis luculenter patet: Nam cùm prophetæ raptu quodam *ecſtatico* acti fuere, ſpiritus S. non tantùm res, ſed & ipſas voces ſuggerebat; adeo ut impii quidam prophetæ, quamplurima contra propriam ſuam voluntatem effutire coacti fuerint; tam efficax & planè irreſiſtibilis erat vis ſpiritus prophetici illis impreſſa. Neq; etiam ſemper, quandocunq; volebant, prophetabant; ſed tunc ſolummodo, quando à Spiritu correpti fuere. Hinc inter ipſos tyrannos nemo, niſi qui omnibus flagitiis involutus fuit, in prophetas ſævire voluit. Quippe omnibus bene notum fuit, eos à Spiritu prophetico ita *correptos*, & quaſi poſſeſſos fuiſſe, ut non potuerint ſibi temperare, & à prophetando abſtinere. Hoc non bene notatum fuiſſe videtur ab iis, qui *Eſaiæ* ſtyli *majeſtatem* ideo tribuunt, quia eſſet è ſtirpe regia; *Amoſo* verò *humile* loquendi genus, quoniam paſtor eſſet. Nam ſi ſpiritus S. non modò res, ſed ipſas voces prophetis dictabat, varium tale dicendi genus, pro varietate ingeniorum, prophetis haud concedendum eſt. Nec ſanè ipſe *Eſaias* ſtylo ſublimi ſemper gaudet: aliquando

aliquando enim humili & ſimplici dicendi genere utitur. Eâdem etiam varietate gaudet *Amoſus*; qui in aliquibus adeo elegans eſt, ut nihil magnificentiùs dici poſſit; immo ipſam *Demoſthenis* eloquentiam ab eo ſuperari, bene notavit *Camero*, fol. 435.

Peſſimè igitur hac ex parte *Grotius* (in voto ſuo pro pace, *pag.* 135) aſſerit, *à Spiritu S. dictari hiſtorias, nihil fuit opus: ſatis fuit ſcriptorem memoriâ valere circa res ſpectatas, aut diligentiâ in deſcribendis veterum commentariis*, &c. Quid hoc eſt, niſi totam S. Scripturæ divinam originem, & Autoritatem ſubvertere?

Ut huic de Divina ſacræ paginæ origine Demonſtrationi finem imponamus, non notatu indignum eſt, ipſos *Ethnicos* agnoviſſe, res Divinas non niſi divinâ revelatione nobis notas eſſe. Sic *Homerus*, Il. 1.

οὐ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν,

Somnium ſive prophetia non eſt niſi à Deo. Ita *Socrates* agnovit, ſe omnes ſuas divinas notitias à ſuo *Dæmonio* traduxiſſe; ſuamq; Divinam inſpirationem Δαιμονίου φωνὴν vocavit, utî *Plato*, pro *Socr. Apol.* Iterum mentionem facit βεβαιοτέρου ὀχήματος, ἢ λόγου θείου πυθοῦ, *Divini verbi*, &c. (*Plato*, *Phædo.* fol. 85) quod vix de alio, quàm de ſacra ſcriptura intelligi poſſit.

C SECT.

SECT. II.

De Sacræ Scripturæ Neceſſitate.

SEcundum, quod in S. Scripturæ definitione tractandum occurrit, eſt ejus *Neceſſitas*: dicitur enim *Canon neceſſarius.* Scripturæ autem Neceſſitas ex ſequentibus propoſitionibus patebit.

1 Prop. *Homo, cum ſit Animal rationale, ad Deum tanquam finem ultimum cognoſcendum ordinatur.* Verum eſt, omnes creaturas quodammodo in Deum, tanquam finem ſuum ultimum, tendere: Sed, ſi homo cum irrationalibus creaturis conferatur, ſolus ipſe Deum in ſeipſo proximè & immediatè attingit, per cognitionem & Amorem. Creaturæ enim inferiores non intrinſecè & ex propria intentione agunt, ſed extrinſecè aguntur; & ita non *activè* ſe ordinant, ſed *paſſivè* ordinantur ad Deum tanquam ultimum finem. Homo autem, cum ſit creatura intellectualis, capacitatem, ſaltem remotam, habet, ſe *intrinſecè* & *activè* ordinandi ad Deum. Atq; ita peculiari modo Deus eſt finis ultimus humanæ naturæ; cùm aliæ creaturæ inferiores tantùm *remotè, paſſivè*, & ſecundùm quandam *imitationem* in Deum tendant.

2 Prop.

2 Prop. *Impoſſibile eſt, Intellectum creatum, præſertim ut nunc peccati tenebris obrutum, per lumen ſuum naturale, Dei cognitionem ſalutarem attingere.* Omnis enim cognitio ſupponit Ideam cogniti in cognoſcente exiſtentem: omne autem cognitum eſt in cognoſcente ad modum cognoſcentis, nimirum ſecundùm ſuam naturam. Cùm igitur eſſentia divina naturam Intellectûs humani infinitè tranſcendat, impoſſibile eſt, ut ipſe, per lumen ſuum naturale, Dei Ideam reciperet. Unde ſequitur,

3. Prop. *Præter lumen naturæ neceſſe eſt, ut ſit lumen aliquod Supernaturale, & divinitus revelatum, per quod homo ad Deum, ut Supernaturalem ſuum finem ordinetur.* (1) Quia enim homo ordinatur ad finem Supernaturalem, nimirum beatificam Dei viſionem & fruitionem, quæ tranſcendit proportionem Intellectûs humani naturalem, Ideo neceſſe eſt ut ſit indutus aliquo lumine *directivo*, divinitus revelato, ut eundem finem ſupernaturalem attingeret. Lumen autem hoc *objectivum* & *directivum* nihil aliud eſt quàm S. Scriptura. (2) Deinde cùm *formalis* hominis *Beatitudo* in perfectaDei viſione conſiſtat, ad quam lumen naturale proprio ductu aſcendere nequeat, neceſſarium fuit, ut ad eam, per Diſciplinam fidei aſcendat: Fidem autem homo non attingat, niſi per modum addiſcentis à Deo Doctore. Dei autem Doctrina non niſi revelatione divinâ traditur. *Fides enim ex auditu provenit, & auditus a verbo Dei*, Rom. 10. 17. & ratio ipſa hoc evincit: Ea enim quæ homo per ſe non videt, intelligere haud queat, niſi per eum, qui ipſa videt. *Fides autem eſt de iis quæ non videmus*, Heb. 11. 1. neceſſe igitur

eſt, contemplationem eorum, de quibus eſt fides, ab eo derivari, qui ea per ſe videt: Nemo autem videt quæ ſunt Dei, niſi ipſe Deus. Ea igitur, quæ per fidem de Deo percipimus, non niſi ab ipſo Deo revelari poſſunt. (3) Sicut per lumen *naturale* Intellectus redditur certus de primis principiis ſcientiarum naturalium; Ita requiritur lumen aliquod objectivum *ſupernaturale* & *infallibile*, per quod Intellectus certitudinem acquirat rerum ſupernaturalium: lumen autem hoc non aliud eſt quàm S. Scriptura. (4) Natura intellectualis inquantùm intelligit ἰδέαν ἀγαθοῦ, (uti *Plato* loqui amat) *univerſalem ſummi boni Ideam*, immediatum ordinem ad idem *eſſendi* principium & bonum univerſale acquirit: Quare ejus perfectio non modò conſiſtit in eo, quod ei convenit ſecundùm ſuam naturam; ſed in iis, quæ ei ex ſupernaturali divinæ Bonitatis participatione communicanda ſunt. Talis autem communicatio ſupernaturalis non fit niſi per revelationem divinam. (5) Deniq; Scripturæ *S.* neceſſitas ex *Inſtitutione* divina patet. Nam ſicut mors in mundum per *Auditum* introivit; ita Deus voluit, ut vita per eandem januam introiret: & ſane Inſtitutum æquiſſimum fuit, ut homo, qui peccavit fidem Diaboli verbo adhibendo, à lapſu ſuo reſtauraretur, fidem verbo Dei adhibendo: Ita contrarium contrario expellitur. Unde patet, in lumine ſolum Dei revelato nos videre poſſe *Lumen vitæ*, uti Pſal. 36. 9. *In lumine tuo videbimus lumen.*

4 Prop. *Aliquo modo neceſſe fuit, verbum hoc divinitus revelatum eſſe* ἔγγραφον, *ſive Scriptum.* Neceſſitas hæc non eſt *abſoluta*, ſed *moralis*, ratione

ratione *finis*, & Dei ineffabilis Bonitatis, per eandem ſcripturam communicandæ. Verum eſt, initiò verbum Dei fuit ſolum ἄγραφον, & vivâ voce traditum: Sed memoriâ tenendum eſt, tantam vitæ longitudinem primis hominibus à Deo indultam fuiſſe, ut quemlibet patriarcharum *ambulantem* poſſes *Bibliothecam* ſalutare; ideo ſcriptione non tantum opus fuit: poſtea verò, ob vitæ humanæ brevitatem & memoriæ infidelitatem, vivâ voce conticeſcere juſſâ, placuit Deo, ex inæſtimabili ſua bonitate, ſcriptis voluminibus per ἁγιογράφους, doctrinam fœderis, tum veteris, tum novi conſignare; perq; illos, tanquam publicum & authenticum inſtrumentum, verbum ſuum divinitus revelatum mundo communicare; ut hoc medio mens Dei erga homines clariùs eluceſceret, & mens hominum ad Deum infallibiliter dirigeretur.

CAP. III.

De S. Scripturæ Canone.

PRoximum in S. Scripturæ definitione explicandum eſt ejus *officium*, quod ſub notione *Canonis* exprimitur. Hæc enim vox ſcripturæ S. officium, quatenus eſt fidei & morum menſura, ſive regula, optimè exprimit. Hujus vocis mentio ſemel ac iterum in S. pagina invenitur. Ita *Gal.* 6. 16. *& quicunq; ſecundùm hanc regulam incedent.* τῷ κανόνι. Κανὼν, *canon*, propriè eſt *funis*, per quem Agrimenſores cuiq; poſſeſſori ſuas terrarum partes aſſignant: Hôc loco ſignificat novæ creaturæ regulam ſive menſuram; quæ etiam ſub notione *Canonis* propriè latet: ideo habemus unam ac alteram vocem ſimul conjunctas, 2 *Cor.* 10. 13. κατὰ τὸ μετρον τοῦ Κανόνος, ſecundum *menſuram Canonis:* ubi μέτρον & κανὼν pro uno ac eodem *menſorio* inſtrumento accipi videntur. Inde *Phavorinus:* Κανὼν ἐστι νόμος ἀπαράβατος, καὶ μέτρον ἀδιάψευστον. *Canon eſt Lex, quæ errare non poteſt, & menſura infallibilis.* Hanc eſſe *Canonis* in hoc loco ſignificationem, ex voce ſequente στοιχήσωσι, conſtat: στοιχεῖν enim aliquid ampliùs, quàm πειρατεῖν innuere videtur; nimirum, ita procedere, ut certum ordinem teneas, & quaſi lineam non tranſilias: quod optimè convenit cum *Canonis* notione.

Gal. 6. 16.

2 Cor. 10. 13.

notione. Bene *Grotius*, in hunc locum *Gal.* 6 16. κανὼν hic dicitur via quasi ad regulam facta, i. e, *planè recta, ad rigorem, ut dicunt, Mensores.* Quod optimè quadrat cum *S.* scripturæ officio *Canonico*, Idem tum quoad voces, tum quoad sensum invenimus, *Phil.* 3. 16. *Attamen in eo ad quod usq; pervenimus, eâdem incedamus regulâ,* τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι. Quasi dixisset: utcunq; de aliquibus inter nos dissensus sit; attamen omnes secundùm eundem canonem evangelicum vitam componamus. στοιχεῖν hic, ut antea, perpetuum & regularem vitæ *tenorem* significat; & sic respondet הלך: Ex quibus patet, officium Scripturæ *S.* ut norma fidei & obedientiæ est, optimè voce *Canonis* exprimi. Phil. 3.16.

Ex hoc *Canonico* sacræ scripturæ officio veteres ecclesiæ Doctores libros θεοπνεύστος, κανονικὸς, *Canonicos* appellarunt. Ita *Athanasius*; *Synops. Script. Biblia S.* κεκανονισμένα, & κανονιζόμενα nominavit: ratione cujus, libri *Apocryphi* nuncupati fuere ἀκανόνιστοι. Ita concil. Laodicenum opponit βιβλία ἀκανόνιστα τοῖς κανονικοῖς. Libri *Canonici*, quatenus Dei Testamentum vetus, & novum hominibus exhibent, à veteribus etiam ἐνδιάθηκοι nominantur. Sed quia aliqua fuit in veteri ecclesia dubitatio, & nunc temporis acris est inter aliquos disputatio, de sacræ scripturæ *Canone*, ideo totum aliquibus propositionibus absolvemus.

1 Prop. *Resolutio Quæstionum de librorum canonicorum numero & Auctoribus, nec fidei essentialis est, nec fidelibus absolutè necessaria.* Quamvis enim verum sit, singulos libros Canonicos suæ Divinitatis characteres sibi impressos habere; & proinde nos singulos libros percurrendo,

facilè integrum librorum *canonicorum* numerum colligere poſſe: ſi tamen quæratur; *Quinam fuere autores librorum quorundam Canonicorum?* Iterum, *An in S. Bibliis, quibus nos utimur, extent omnes libri Canonici, quos Apoſtoli eccleſiæ commendarunt?* Deniq;, *An eccleſia primitiva ſemper uſa fuerit eodem Canone, quo nos utimur, ſine vel ſubſtractione, vel additione?* Hæ & ſimiles queſtiones non ſunt fidei *eſſentiales*. Maximè enim inter ſe diſtant, intelligere, *quod*, & *quid* ſit Dei verbum; & intelligere quibus autoribus id primò revelatum, quibuſve libris conſignatum fuerit? Harum quæſtionum prima ad fidem ſimpliciter & abſolutè neceſſaria eſt; poſterior tantum *hypotheticè*. Fides enim & ſalus noſtra abſolutè dependent ex perceptione veritatum ipſarum, (ſaltem fundamentalium) quæ in *S.* ſcriptura continentur; ex certiſſima autem dijudicatione ſinguli libri Canonici, ejuſq; autoris fides non niſi hypotheticè pendet. Sicut ille *Platonicus* dicitur, non qui rectè enumerare poſſit, quinam ſunt *Platonis* libri legitimi, quinam ſpurii; ſed qui doctrinam *Platonis* menti ejus impreſſam habet: ſic fidelis ille dicitur, non qui accuratè dijudicat, quinam libri ſunt *Canonici*, quinam non; (utcunq; hoc etiam eſt ex hypotheſi neceſſarium) ſed qui Doctrinam *S.* ſcripturæ, á prophetis & Apoſtolis traditam, *aſſenſu* & *conſenſu* ſalutari amplexus eſt; uti optimè, hac ex parte, *Camero*, fol. 475. *Baronius*, de *objecto formali fidei*, Cap. 6. Quæſt. 4. pag. 631. & *Amyraldus*, *Theſ. Salmur.* par. 1. pag. 133. (edit. 1.)

2. Prop. *De ſacri Canonis quamplurimis libris nunquam, & de cæteris non diu in eccleſia dubitatum.*

bitatum fuit. Libri enim, qui *S.* Canone comprehenſi ſunt, duorum ſunt generum: Alii ſunt, de quibus nemo unquam dubitavit, an divinæ eſſent Autoritatis. Tales ſunt veteres Teſtamenti libri ad unum omnes; & Novi Teſtamenti haud pauci. Alii autem ſunt, de quibus eccleſiæ primitivæ pars aliqua aliquandiu hæſitavit: & ratio dubitationis fuit hæc: Primitivæ eccleſiæ Chriſtiani per totum terrarum orbem diſperſi fuerunt: Quare *Apoſtoli* ſuas Epiſtolas ad eccleſias particulares ſcripſere; quæ ab iis, ad quos ſcriptæ fuere, & apud quos autographum ſive Inſtrumentum *authenticum* remanſit, pro verbo Dei ſemper habitæ fuere: eædem autem Epiſtolæ, ab iis qui remotiùs commorabuntur, non tam citò & certò agnitæ fuerunt; ideoq; apud hos non tantum autoritatis initiò habuere; præſertim ubi hæreticorum quorundam fraudes prævalebant. Tandem verò ſpiritu ſancto, cujus eſt verum a falſo diſcernere, majori cum lumine afflante & affulgente toti eccleſiæ, omnes ſacri codicis libri admiſſi, & in *canonem* non immeritò relati fuere. Unde patet, de nullis Canonicis libris dubitatum fuiſſe ab univerſa eccleſia; ſed tantùm a quibuſdam particularibus eccleſiis; quod infirmitati humanæ, & hæreticorum fraudibus imputandum eſt: quæ dubitatio Spiritu *S.* lumen affundente citò evanuit.

3. Prop. *Pluſquam probabile videtur integrum Canonem veteris & Novi Teſtamenti à viris* Θεοπνεύστοις *conflatum fuiſſe.* Hoc optimè demonſtrat *Amyraldus*, Theſ. Salm. part 1. pag. 129. Spiritus, inquit, ille διακρίσεως, quem Deus electis indulget, in tribus gradibus

'considerandus est. Primus gradus eorum esto,
'qui primi canonem constituerunt, *i. e.*, redegerunt in unum corpus omnes eos libros,
'ab instinctu spiritus Dei profectos, ad quorum
'normam usq; ad mundi finem doctrinæ religi-
'onis exigerentur. Is autem nostro quidem
'judicio, longè maximus esse debuit, atq;
'adeo talis ut quibus indultus est, nullum peri-
'culum esset errandi, in re tanti momenti, &
'quæ unicè pertinet ad Dei gloriam, ac saluter
'ecclesiæ sempiternam. Itaq; & canonem li-
'brorum propheticorum à propheta, & cano-
'nem Apostolicorum condi oportuit ab Apostolo,
'aut ab eo saltem, qui eodem cum prophetis
'& Apostolis ἀναμαρτησίας spiritu donatus esset.
'Certè seu canon ille paulatim constitutus est,
'unoquoq; libro divino ad eum accedente prout
'ab auctore θεοπνεύστω prodibat: cujus fuit
'librum divinum edere in lucem, ejusdem fuisse
'videtur illum reponere in numero divinorum:
'seu libros omnes divinos hic illic variè dissi-
'patos recolligi, & in unum systema referri ne-
'cesse fuit, rem tantam haud præstari potuisse
'existimandum est, nisi ab eo, qui spiritum
'sapientiæ, supra humanam sortem consecutus
'esset: ita *Amyraldus*. Integrum *veteris Testamenti* Canonem ab *Ezra* & suis sociis propheticis, efficacissimo spiritus *S.* afflatu & ductu assistente, constitutum fuisse, non parùm verisimile videtur. *Novi* autem *Testamenti* Canonem integrum à *Joanne* Theologo, eodem spiritu *S.* adspirante, stabilitum esse admodum probabile est, idq; ex *Apoc.* 22. 18, 19. *Siquis addet his Deus addet suis plagis scriptis*, &c. Aliqui volunt *Joannem* hâc denunciatione gravissimâ suum tantùm

tantùm librum obſignaſſe; tamen perquam probabile eſt, illum ad totum canonem reſpexiſſe, utî *Ames. Bellarm. Enerv. Tom.* I. *l.* I. *c.* 6. Hinc ſequitur,

4. Prop. *Eccleſia non poteſt impertire canonicam autoritatem aliquibus libris ſcripturæ, quam ex ſeipſis non habuerunt.* Autoritas enim *S.* ſcripturæ eſt *prior* & *notior*, etiam quoad nos, autoritate eccleſiæ: Nam priuſquam certitudinem obtineamus de autoritate eccleſiæ, neceſſe eſt, ut certum aſſenſum præbeamus ſcripturæ, ex qua omnis autoritas eccleſiæ oritur. Haud diffitendum eſt, eccleſiam diſtinxiſſe Canonicos libros ab Apochryphis, aſſiſtente *ſpiritu diſcretionis ſacro*; ſed non ſuâ propriâ Autoritate. Bene *Auguſtinus*, de libris Novi Teſtamenti dicit, *libros accepiſſe autoritatem per eccleſias ab Apoſtolis conſtitutas.* i. e, per *eccleſias particulares*, quæ inſtinctu & ductu ſpiritûs *S.* tandem adductæ fuere, admittere libros *S.* ſcripturæ θεοπνεύστους, quos antea non admiſerunt. Sic libri ſacri Autoritatem acceperunt per *eccleſias*, ut *organa* & miniſtros ſpiritûs Dei. Ita *Camero*, fol. 476. 'Negari non poteſt, ec-'cleſiam diſtinxiſſe canonicos libros ab Apo-'cryphis, adhibito judicio, proindeq; depre-'henſis quibus notis hi libri à ſe invicem ſe-'cernuntur. Si enim autoritate ſuâ eccleſia 'adducta fuerit, ut ſic conſtituerit, omnino ne-'ceſſe eſt id primum, ut idem ſeipſo ſuperius 'ſit: nam autoritas ſuperioris eſt. Unde

5 Prop. *Perfectio canonis ſcripturæ pendet a perfectione rerum quæ canone continentur, & ab Autoritate Divina eundem per eccleſiæ, vel virorum divinitus inſpiratorum miniſterium ſtabilente.*

Optimè

Optimè Auguſtinus, Civit. Dei l. 11. c. 3. *Scriptura canonica dicitur eminentiſſimæ autoritatis, cui fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit, nec per noſmetipſos noſſe idonei ſimus.* Libri hi Canonici ſplendida encomia habent, quæ eorum perfectionem indicant. Dicuntur enim *Eſa.* 34. 16. *Liber Jehovæ.* Dan. 9. 2. *Libri κατ' ἐξοχὴν* Rom. 1. 2. *Sacræ Scripturæ*, 2 Tim. 3. 15. *ἱερὰ γράμματα*, &c.

6. Prop. *Apocryphi libri nullo modo ut canonici, ſive inſtrumentum authenticum, habendi ſunt.* Hi enim ad unum omnes poſt Babylonicam captivitatem, compoſiti fuere, ab incertis, vel ſaltem ſpiritu prophetico non donatis autoribus; nec à Chriſto, nec ab eccleſia, vel *Judaica*, vel *Apoſtolica* accepti fuerunt ut Canonici. Immo in libris iſtis *Apocryphis*, quàm multa occurrunt penitùs ridicula, tabuloſa, inania, cumq; Veritate, & Sanctitate parum convenientia? de *S.* ſcripturæ officio, quatenus eſt *Canon* ſive regula perfectiſſima fidei, morum, ac cultûs divini plurima dicenda ſunt, capite 6. & 7.

CAP.

CAP. IV.

De S. Scripturæ Autoritate.

S. Scripturæ *Origine*, *Neceſſitate*, & *Canone* trutinatis, ſequitur ut ejus *Autoritatem* explicemus, & demonſtremus. Definitur enim ſcriptura *verbum Dei* ἀξιόπιστον, & *canon Authenticus*: quibus ejus Autoritas exprimitur. *Autoritas*, quatenus vivæ voci aut ſcripturæ applicatur, eſt *imperandi*, *monendi*, aut *perſuadendi* facultas; ab ὑπεροχῆ, ſive *eminentia* quadam ortum habens: unde dicitur apud Græcos ἐξουσία. *Imperandi* Autoritas, ab eminentia quadam *Naturæ*, aut *officii* oritur: prior in parentibus erga libros, poſterior in legibus & magiſtratibus erga ſubditos locum habet. *Monendi* & *perſuadendi* Autoritas, ab excellentia quadam prudentiæ ac fidelitatis ortum; & apud eos, quibus conſilio opus eſt locum habet. Unde prudentibus Autoritas tribuitur in jure; quoniam in cognitione æqui & boni præſtantiam quandam habere ſupponuntur; utcunq; extra jus Autoritatem non habent. S. ſcripturæ tum *imperandi*, tum *monendi* & *perſuadendi* Autoritatem habent; eamq; ab infinita ὑπεροχῆ, ſive Excellentia & Autoritate Dei exſurgentem. Quod facilè demonſtrari poteſt tum ex ipſa ſcriptura, tum ex argumentis artificialibus.

Primo

Primo S. ſcripturæ Autoritas ex ſuiipſius teſti-
Joan. 5.47. monio evinci poteſt. Sic Chriſtus, *Joan.* 5.47. *Quod ſi ſcriptis illius non creditis*, [i. e. ſi libris *Moſis* tam receptæ autoritatis non creditis] *quomodo verbis meis credetis?* Quid vult per hoc Chriſtus? an quod major eſſet *Moſis*, quam *Chriſti* Autoritas? non: ſed Chriſtus hîc orationem ſuam ad eos attemperat, quibuſcum loquitur: Nam Judæis ſancta erat Legis Autoritas, & *Moſes* Chriſto, apud ipſos multò ſuperior habebatur. Inde igitur infert, non mirum eſſe quòd ſuis verbis non credebant, cùm etiam *Moſis* ſcriptis, tam publicis & authenticis, & divina auctoritate conſignatis, non crederent. Deinde, hoc etiam addendum eſt, hîc non de *Perſona Moſis*, ſed de ejus *Doctrina* agi: Chriſtus enim non dicit, *ſi non creditis Moſi*, ſed *ſi illius ſcriptis non creditis* nequis id ad *Moſis* perſonam referendum putet, & non potiùs ad doctrinam, quæ Dei autoritate donata fuit. Et hac ratione vult Dominus noſter, quod una ac eadem Autoritas libris *Moſis*, ac ſuis verbis attribuenda erat. Chriſti verborum Autoritas ex-
Mat. 7.29. preſſis verbis aſſeritur, *Mat.* 7. 29. *Docebat enim eos ut habens Autoritatem, non autem ut Scribæ:* ἐξουσίαν, i. e, Autoritatem tum *jubendi*, ut Magiſtratus, tum *docendi*, ut Doctor. Chriſti verba majeſtate quadam regali & penitus divinâ veſtita fuere; adeo ut animæ medullam penetrarent, ad electorum converſionem, & malorum convictionem. Dum *Scribarum* doctrina nec *Majeſtatem*, nec *Autoritatem* habuit. Verbi Divini per Apoſtolos annunciati Autori-
Acts 5.4. tas evidenter patet, *Acts* 5. 4. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Quid vult hoc? Quomodo

modo dicitur *Ananias mentiri Deo*, & *non hominibus*? An fuerunt Apoſtoli pluſquam homines? Immo, quatenus fuere Dei Legati, ejuſq; Autoritate donati: Et hoc reſpectu dicitur *Ananias mentiri Deo* Apoſtoli enim hic conſiderantur ut *Legati*, ſivè *præcones* Dei, cujus in nomine officio ſuo fungebantur: Et bene nota eſt regula inter Juriſperitos, *Quod honor vel contemtus legato exhibitus, redundat in legantem, cujus autoritate indutus eſt.* Ita negativa particula *Non* οὐξητικὴ potiùs quàm ἐκλογιστικὴ eſt hoc loco: non tam negat, quàm exaggerat crimen læſæ Majeſtatis Divinæ per Ananiam Commiſſum; eò quòd mentitus eſt, non tam hominibus, quàm Deo, cujus Autoritate Apoſtoli, prout verbum ejus annunciabant, donati fuere. Unde patet, verba Apoſtolorum eſſe verba Dei, quippe ejus Autoritate veſtita.

Sed ad S. Scripturæ Autoritatem explicandam, ac demonſtrandam, propoſitiones quaſdam, tum *negativas* tum affirmativas deponemus.

1. S. *Scripturæ Autoritas non pendet ab Eccleſiæ Teſtimonio.* Teſtimonium Eccleſiæ *inſtrumentale* & *declarativum*, de Scripturæ Autoritate haud rejicimus: Sed idem eſſe *fundamentum principale*, quo nititur S. Scripturæ Autoritas apud nos, pertinaciter negamus. (1) Omne enim Teſtimonium naturâ poſterius eſt eâ re, de qua Teſtimonium eſt; & eò uſq; verum aut falſum eſt, quò magis aut minùs accedit ad naturam rei ipſius: Si igitur Eccleſiæ teſtimonium de Scriptura verum ſit, ſequitur Scripturæ veritatem & Autoritatem ex ſe, non ex Eccleſiæ

cleſiæ Teſtimonio dependere. (2) Deinde, Eccleſiæ Teſtimonium eſt tantùm *Doctrinale*: Omnis autem Doctoris Autoritas & Infallibilitas oritur ex infallibilitate & Autoritate Doctrinæ quam tradit. Cùm enim omnis doctrinæ veritas & Autoritas conſiſtat in conſenſione doctrinæ ipſius, cum rebus, quæ doctrinâ explicantur, & conſenſio iſta ex ipſa rerum Idea ſive natura immutabili emanet, neceſſe eſt, ut veritas Doctoris à veritate Doctrinæ fluat. Hoc autem clariùs & firmiùs de Scripturæ Autoritate & veritate, quàm de aliis Diſciplinis conſtat: Cùm enim Scriptura ſit Dei verbum penitus abſolutum & perfectum, neceſſe eſt, conſenſionem inter illam & res ipſas, quæ in illa traduntur, eſſe maximam & infallibilem; & inde talem ex qua Oritur omnis Infallibilitas Eccleſiæ docentis. (3) Porro ſi Autoritas Scripturæ penderet ex Teſtimonio Eccleſiæ, Teſtimonium Eccleſiæ eſſet primum fidei principium, primumq; *Credibile*; quod impium & Monſtroſum eſt. Conſequentia patet: Primum enim fidei principium, eſt id cui primò fides aſſenſum præbet, & in quod ultimo reſolvitur. Hoc autem de Eccleſiæ Teſtimonio aſſerere haud minùs eſt, quàm ei Deitatem aſcribere, *&c.* (4) Scriptura ſacra, reſpectu Eccleſia, habet ſe ut *Lex Divina*, cui ſubjicit ſe Eccleſiæ: ergo non habet ſuam Autoritatem ab Eccleſiæ Teſtimonio. Conſequentia evidens eſt: nullum enim Inferius, quà tale, dat Autoritatem ſuperiori: Subditi non dant Autoritatem principis legibus: multò minùs Eccleſia Dei Legi. (5) Eccleſia totam ſuam Autoritatem habet à S. Scriptura: ergo nullam

ei

ei tribuit. Sic enim committeretur *circulus* vitiosus, ex quo pontificii nunquam sese extricare possunt. *Hinc*,

2 Prop. *Scripturæ S. Autoritas non oritur ex universali Traditione. Universalis Traditio* ampliorem latitudinem habet, quàm Ecclesiæ Testimonium; includit enim paganorum & inimicorum narrationes: quas omnes, ut Argumenta & *Motiva* fidei *communia* lubenter agnoscimus, sed non ut *Motiva propria*, sive *fundamenta principalia*, quibus nititur Scripturæ S. Autoritas. Rationes sequntur,

(1) Fundamentum cui innititur Scripturæ Autoritas debet esse θεῖον ἦι, *quid Divinum*: Omnis autem Traditio non Scripta, utcunq; maximè Universalis, est tantùm humana; & ideoq; ingenerat tantùm humanam fidem. (2) Traditio universalis præbet tantùm *certitudinem moralem*, quæ non est ab omni erroris possibilitate immunis. Autoritas autem S. Scripturæ certitudinem quandam *physicam*, (utî loqui amant Scholastici) *i. e*, *necessariam*, quæ omnem errandi possibilitatem excludit sibi adjunctam habet. (3) Sanè necesse est, ut credamus traditionem illam universalem verè esse *divinam*, priusquam propter illam traditionem credamus Scripturam esse Divinæ Autoritatis: cui autem fundamento Divino inniti possit eorum fides, qui credunt illam Traditionem Uuiversalem non-scriptam esse Divinam? certissimum est, Tradititionem Universalem non-scriptam esse tantùm *humanam*, & ideo non posse esse principale fundamentum fidei nostræ, quâ credimus Scripturæ S. autoritatem Divinam, utî optimè *Baronius* de *object. form.* fidei Tract 8. Quæst. 2. 3. Prop.

3. Prop. S. *Scripturæ Autoritas non miraculis, ut principali fundamento, innititur.* Hæc propoſitio ex priori ſequitur: miracula enim, ſecluſo Scripturæ Teſtimonio, non niſi Traditione nobis nota ſunt. Deinde δεδόμενον eſt, miracula a Deo collata eſſe Eccleſiæ, tum veteris, tum evangelicæ primordiis, non ut eſſent fidei *principale fundamentum*, ſed ut per ea hominum animi diſponerentur, & *attentiores* redderentur; quiq; non adhuc crediderant, verbum Dei ſibi propoſitum non aſpernarentur, ſed reverenter de eo ſentirent, idemq; credibile eſſe concluderent. Ita cum miraculis ſemper conjuncta fuit Doctrinæ veritas & Autoritas; idq; non ſine magno fructu. Miracula enim & veritas doctrinæ evidentiam & confirmationem reciprocam ſibimet contulerunt. Miracula à Prophetis & Apoſtolis edita, homines diſpoſuerunt judicare, doctrinam ab iis annunciatam prudenter credi poſſe: At veritas & Autoritas doctrinæ fide divinâ receptæ certam perſuaſionem dedit, miracula, ad doctrinam illam ſtabiliendam edita, eſſe verè Divina. Ex quibus patet, miracula eſſe tantùm Doctrinæ *ſigilla* ac *teſſeras*, eorumq; autoritatem & certitudinem à certitudine ac autoritate doctrinæ depromtam eſſe. Sicut enim *ſigillum* à literis avulſum nihil valet, ita nec miracula ſine doctrina. Hinc eſt, quod Chriſtus noluit miracula edere, ubi Doctrinæ ſuæ nulla fides adhibita fuit, uti Marc. 6. 5. *Neq; potuit illic virtutem ullam edere.* Chriſtus non *potuit*, quia *noluit*. Et noluit miracula illic edere, quia infidelitatem eorum prævidebat: miracula enim, cum ſint ſigilla Doctrinæ, omnino invalida & ineffi-

inefficacia sunt eis, qui doctrinam Dei pertinacitèr rejecerunt. Ex quibus liquet, miracula non esse principale fundamentum, sed tantùm media dispositiva, & *sigilla* verbi Divini: unde jussit Deus, *Deut* 13. 1, 3. Nullam fidem adhibendam esse pseudoprophetarum miraculis. Quo monstrat, miracula dijudicanda esse per doctrinam, non autem doctrinam per Miracula. Hoc docent Hebræi Doctores. Sic *Maimonides, Misn.* in *Jesud. Hat.* C. 8. S. 1. *Israel* inquit, *Credebat in Mosem magistrum nostrum, non propter signa quæ fecit. Qui enim credit ob signa, habet animum suspensum & dubium, ne signa facta fuissent incantatione. Omnia autem signa, quæ fecit Moses in deserto, ob necessitatem facta fuere. Cibo opus fuit, & manna attulit,* &c. *Cur igitur credebamus in illum? Quia stantes in monte Sinai videbamus nostris oculis, & audiebamus auribus, Vocem eum alloquentem*, ut *Exod.* 19. 9. *Tunc dixit Jehovah Mosi, ecce ego venturus sum ad te in densa hac nube, ut audiat hic populus, quum alloquar te, etiamq; tibi fidant in seculum. Hæc statio in monte Sinai, ex se sola evidens fuit confirmatio suæ prophetiæ; adeo ut antea non crediderint in eum tali fide, quæ manet in seculum, sed fide tantùm dubiâ.* Maximum miraculorum usum fuisse tantùm dispositivum & infantili Ecclesiæ statui proprium, acutè demonstrat August. de Civit. Dei l. 22. c. 8. *Cur, inquiunt, nunc illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt? possem quidem dicere, necessaria fuisse priusquam crederet mundus: Quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui, mundo credente, non credit.* Optimè hanc controversiam statuminat

minat Baronius, de *objecto form. fidei*, Tract. 8. Quæſt. 1. Aſſert. 5. ‘Certum eſt, & fatentur ‘omnes, miraculorum donum, a Deo in Pro‘phetas & Apoſtolos ideo collatum fuiſſe, ut ‘eorum divina miſſio, veritaſq; doctrinæ ab iis ‘prædicatæ per miracula credibiles fierent. ‘Hæc aſſertio exprimit verum & proprium fi‘nem doni miraculorum: miracula enim a ‘Deo inſtituta ſunt, non ut iis nitatur infallibilis ‘certitudo de veritate doctrinæ, ad quam con‘firmandam illa fiunt. Nam, ut fatetur *Bellar‘minus*, *Miracula non poſſunt mentem omnino ‘convincere*: Sed ut illi qui non adhuc credi‘derunt attentiores, & dociliores reddantur; ‘utq; doctrinam ſibi propoſitam non aſpernen‘tur. Et in iis quæ ſequuntur; *Miracula* igitur ‘(ut vult Bellarm.) *demonſtrant veritatem ‘Doctrinæ tantùm quoad certitudinem credibili‘tatis: At ex veritate Doctrinæ, demonſtratur ‘miraculum quoad certitudinem rei*, i. e, certò ‘& infallibiter probatur, id verè eſſe divinum.

4. Prop. *S. Scripturæ Autoritas non poteſt certò ac infallibiliter cognoſci aut ſtabiliri niſi ex ipſa Scriptura S.* Hæc propoſitio partim *negativa* partim *affirmativa* eſt: pars *negativa* a prioribus ſimul collectis patet. Nam ſi Scripturæ Autoritas nec ab eccleſiæ Teſtimonio, nec a Traditione Univerſali, nec a Miraculis, ut a principali fundamento, pendet, ideo a nihilo niſi ipſâ ſcripturâ pendet. Idem ita exprimit & demonſtrat *Amyraldus*, Theſ. Salmur. De Autoritate Scripturæ S. p. 47. ‘Si ‘aliunde certò ſciri poſſet verbum Dei Scrip‘turâ contineri, quàm ex ipſa Scriptura, ſcire‘tur procul dubio ab Eccleſiæ Teſtimonio.

‘Scire

‹ Sciri autem id certò ab Eccleſiæ Teſtimonio ‹ quipote? Hoc ulteriùs demonſtrat ex eo quòd eccleſia, vel in partibus ſigillatim conſideratis, vel tota ſimul ſumta, non eſt ab errore immunis. Propoſitionis hujus pars affirmativa ex ſequentibus patebit. Hactenus de negativis propoſitionibus.

5. Prop. *Omnia Media Scripturæ agnoſcendæ & demonſtrandæ admittunt Reformati; iiſq; omnibus utuntur, ad corroborandam & ſtabilendam fidem ſuam, de S. Scripturæ Autoritate.* (1) Admittimus præſentis Eccleſiæ Annunciationem, ut Conditionem requiſitam, ad fidem de Scripturæ Autoritate ingenerandam: *Fides enim ex auditu* eſt, ut Rom. 10. 17. (2) Agnoſcimus *Univerſalem traditionem* Eccleſiæ tum veteris tum noviſſimæ, immo quorundam inimicorum ſufficere ad producendam fidem humanam, certitudinemq; moralem, eamq; ſuo genere infallibilem, de S. Scripturæ Autoritate. Immo, concedimus eccleſiæ fideles, qui vixerunt Apoſtolorum ætate, ex eorum traditione habere potuiſſe fidem divinam de Scripturæ S. Autoritate ac Canone. Talem autem fidem divinam, tantamq; certitudinem de S. Scripturæ Autoritate ex Apoſtolica Traditione nunc obtineri poſſe firmiter negamus. Omnis enim Traditio Apoſtolica, quatenus per eccleſiam ſuccedentem traducitur, eſt tantùm humana; ideoq; non poſſit eſſe *medium principale*, aut fundamentum fidei & certitudinis divinæ, de S. Scripturæ Autoritate. (3) Concedimus etiam miracula ſuum locum habere, ad autoritatem S. Scripturæ ſtabiliendam, præſertim apud fideles, qui fide divinâ eadem miracula credunt.

6. Prop.

6. Prop. *Dantur quamplurima media externa, ſive motiva communia, quæ multùm valent ad ſuadendam, S. Scripturæ credibilitatem & Autoritatem.* Hujus generis ſunt, (præter priùs enumerata) (1) Hagiographorum *Qualitates* variæ & eminentes. *Ariſtoteles*, Rhet. l. 3. c. 1. tres qualitates ſcriptoris fide digniſſimi tradit, nimirum φρόνησις, καὶ ἀρετὴ, καὶ εὔνοια, *Prudentia, virtus*, & *Benevolentia*. Hæ omnes ſacris ſcriptoribus optimé conſpirant. Eorum *prudentia* ex eo ſatis conſtat, quòd ſcripta eorum omni ferè Gentium prudentiæ ortum dederunt, ut *Atrio Gentilium*, Anglicè ſcripto, ſatis probatum eſt. *Virtutes* eorum æquè ſunt conſpicuæ; eò quòd nec ſuæ Gloriæ, nec ſuis commodis ſtuduerunt. Immo quàm ſæpe peccata propria, quæ diſſimulare pòterant, ipſi tradiderunt? Deniq; *Benevolentia* eorum erga genus humanum ſatis demonſtratur ex eorum *Fidelitate* & *Affectibus*. Si quidem vel minimum ipſis fuiſſet *malæ fidei*, non proprias ſuas infirmitates memoriæ æternæ prodidiſſent. Qui teſtes ex parte fidelitatis refellet, neceſſe eſt ut aliquid afferat, quo credibile reddatur, voluntatem eorum depravatam eſſe: quod hîc nullo modo dici poſſit. Haud ſanè credibile eſt, Hagiographos, qui tot inimicis undiquaq; circumſcripti fuere, auſos fuiſſe ſcriptis ſuis talia prodere, quæ vel ſcriptis prioribus, vel viventium teſtimoniis revinci poſſent. (2) Alius S. ſcripturæ character externus, quo ejus Autoritas evincitur, eſt ejus *Antiquitas*. *Ariſtoteles* enim, Rhet. l. 1. c. 16. agnoſcit, Πιστοτάτοι δὲ οἱ παλαιοὶ, ἀδιάφθοροι γὰρ. *Antiqui fide digniſſimi ſunt: non enim corrumpi poſſunt.* Hoc bene

bene urget *Tertullianus*, Apol. c. 47. *Antiquior omnibus eſt veritas*; (*ni fallor*) *& hoc mihi proficit Antiquitas præſtructa Divinæ Literaturæ, quo facilè credam, theſaurum eam fuiſſe poſteriori cuiq; ſapientiæ*, &c. *Doctrinam antiquiſſimam a Deo profectam eſſe, quis dubitet?* (3) Porrò ſcripturæ S. *perennis conſervatio*, non obſtantibus inimicorum conatibus, ejus Divinitatem, & Autoritatem abundè probat. Maximas ſanè inimicitias ſuperba & depravata Natura, contra verbum Dei omni ſeculo fovet. Heu! quantum odium & contemtum ſapientes mundi contra ſcripturæ *puritatem*, *ſimplicitatem*, & *humilitatem* concipiunt? Et tamen uſq; ad hunc diem, (quod maximè mirandum eſt) ſuâ puritate illibatâ conſervatur. (4) Ira & vindicta Dei contra S. ſcripturæ infeſtos & juratos inimicos ejus *Divinitatem* ſatis indicat. Quàm pauci Romanorum Imperatorum, poſtquam cœperunt verbum Dei oppugnare, morte naturali decubuerunt? Quot diras plagas Reſpublica Judaica perpeſſa fuit, ob contemtum Evangelii Chriſti? (5) Modi quibus propagata fuit Doctrina S. ſcripturæ ejus Autoritatem ſatis indigitant. Non vi ac armis, ſed lachrymis & precibus; non Demonſtrationibus philoſophicis, ſed piſcatorum, & illiteratorum prædicationibus cœleſtis hæc doctrina tantam autoritatem & locum in mundo obtinuit. (6) *Martyrum magnanimitas*, *patientia*, & *perſeverantia* uſq; ad mortem, in profeſſione doctrinæ S. ſcripturâ contentæ, ſatis manifeſta nota eſt ejus Autoritatis. (7) Stupenda ac miraculoſa effecta, quæ poſt ſe reliquit S. ſcripturæ Doctrina & promulgatio, ejus efficaciam ac Autoritatem abundè demon-

demonſtrant. Quàm monſtroſam Idololatriam, quotq; flagitia horrenda extirpavit? Quot animas, immo quot Eccleſias, partim in cælis triumphantes, partim in terra militantes, è Satanæ faucibus, fæcibuſq; *Paganiſmi* ac *Antichriſtianiſmi*, S. ſcripturæ prædicatio extraxit? Hæc, cum multis aliis, ſunt media *externa*, quæ ut fidei *motiva communia*, ſcripturæ Autoritatem magnopere ſtabiliunt: ea tamen non ſunt principale fundamentum illius fidei, quæ divinitus & certò aſſentitur S. ſcripturæ Autoritati. Quare ſequitur,

7. Prop. *S. ſcriptura ſibi impreſſas habet notas quaſdam, ſive characteres eſſentiales, quæ ſunt argumenta & criteria certiſſima ſuæ Divinitatis & Autoritatis.* Sicut enim *Mundo ſenſibili*, ſive *libro Naturæ*, Deus tam expreſſos & indubitatos Divinitatis ſuæ characteres indidit, ut quilibet, oculo bene diſpoſito donatus, Dei ſapientiam, Potentiam, ac Bonitatem in eodem contempletur, uti *Rom.* 1. 20. Pari modo S. ſcripturæ, libro illo *Gratiæ*, Deus tam expreſſas ac infallibiles Divinitatis ſuæ Ideas impreſſit, ut nemo, oculo ſpirituali donatus, ejus Divinitatem & Autoritatem planè cæleſtem non videat. Annon quodlibet effectum, ſive neceſſarium ſive liberum, cauſæ ſuæ *veſtigia* ſaltem, ſi non *Ideas*, præ ſe fert? Et negemus, S. ſcripturam, opus Dei præſtantiſſimum, Divinitatem ſuam ſpirare? Quid! ſi cætera Dei opera, tum ordinaria tum extraordinaria, ineffabilem Autoris ſui Divinitatem referant, & quaſi oculis contemplandam adhibeant, fieri poſſit, ut S. ſcriptura, digito Dei exarata, nulla indicia áut criteria ſuæ Divinitatis præ ſe ferat? Immo *Plato*, *Ariſtoteles*

Ariſtoteles & alii, magno Acumine veſtiti, Acuminis ſui radios quamplurimos libris ſuis indiderunt: nonne & Deo optimo & maximo eandem facultatem inſpirandi divinam ſuam ſapientiam & majeſtatem in librum ſuum concedamus? Nonne *David* precatus eſt, ut Deus *oculos ſuos aperiret, ad contemplanda mirabilia legis Divinæ*, Pſal. 119. 18? Evidenter igitur conſtat, dari in S. Scriptura θεῖόν τι, *quid Divinum*, quod ſuæ Autoritatis Divinæ perſuaſionem prorſus infallibilem præbet iis, quorum oculi non ſunt occæcati.

8. Prop. *S. Scripturæ κριτήρια ſive Argumenta Interna partim in ſtyli, & verborum; ſed præſertim in rerum præſtantia, & efficacia penitus divina conſiſtunt.* In S. ſcripturæ *ſtylo* ſuæ divinitatis criteria ſunt quamplurima, eaq; non contemnenda: Quanta enim eſt *Majeſtas*, cum pulcherrima *ſimplicitate*, & *humilitate* conjuncta? quam ipſi Ethnici admirati ſuere, ſed nemo unquam æmulari potuit. Quanta etiam δεινότης & *grandiloquentia*, cum *comitate*? Quanta συμφωνία & *harmonia* cum *varietate*? Quanta *Brevitas* cum *plenitudine*? Quanta *proprietas* cum *evidentia* in S. ſcripturæ charactere occurrit? Et ſi tot ſint Divinitatis notæ in ipſo *Stylo*; quot ſunt in rebus ipſis? Inter res S. ſcripturâ contentas quatuor præcipuè ſunt notanda; *Typi*, *Hiſtoriæ*, *Vaticinia*, *Dogmata*: In *Typis*, quanta eſt pulchritudo & harmonia? quot myſteria ſpiritualia latent? quàm accuratè *Typi* rebus, & res Typis quadrant? In *Hiſtoriis* quanta eſt *veracitas*, quantumq; *pondus* rerum? In

vaticiniis, quanta *Certitudo* invenitur? Quis Aſtrologorum tot ac tanta de quatuor ſummis Imperiis prædixit, quot ac quanta prophetæ tam evidenter narrarunt? Quàm exactè Temporum *periodos* præfinitas, perſonarum deſignationem, aliquando etiam cum nominis mentione, ut *Iſa.* 44. 28. & 45. 1. *Cyri*, & ſimilia, multis annis ante eventum prædixerunt prophetæ S? Nonne vaticinia quamplurima S. ſcripturæ hiſtoriæ, potiùs quàm prædictiones eſſe videantur, uti *Jer.* 25. 12. *Dan.* 9. 24? Nonne prophetiæ eventis, & eventa prophetiis ad amuſſim conveniunt? Hoc ſane ingenium humanum haùd redolet, ſed apertè teſtatur S. ſcripturæ Divinitatem. Verùm in S. ſcripturæ *Dogmatibus* magis conſpicuæ & illuſtres ſunt illius Divinitatis Ideæ. Quàm ſupernaturalia & miranda ſunt myſteria fidei? Nonne animum fidelem non ſolùm demulcent & oblectant, ſed in ſui admirationem rapiunt? Quanta etiam eſt *ſublimitas* & *puritas* Dogmatum horum, quæ ad homines à rebus terrenis evocandum, & ad Dei gloriam promovendam omnimode componuntur? Annon etiam maxima eſt Conſpiratio & Analogia inter omnia, tum veteris tum Novi Teſtamenti dogmata, ut licet diverſis tradita ſint ſæculis, altera tamen in alteris contineri videantur? Nonne hæc omnia S. ſcripturæ Divinitatem demonſtrant? Præterea quàm vivæ & illuſtres Ideæ ſanctitatis & juſtitiæ Divinæ in S. ſcriptura emicant? Annon ſpeculum vivum, in quo ipſa Imago Dei relucet, exiſtimandum ſit verbum Dei?

Quot

Quot præcepta pietatis & rectæ vitæ instituendæ; quotq; argumenta ad eadem amplectenda hominibus tradit? Deniq;, quanta est S. Doctrinæ *Efficacitas*? quot aculeos habet? quàm acriter pungit, fortiterq; penetrat conscientiam, securitate maximè involutam? quàm fœliciter intellectûs humani aviditatem inexpletam satiat revelando Deum, qui primum est in genere veri, ultimumq; in genere boni? Annon etiam animi fluctus sedet, ac conscientiæ fluctuantis æstum componat, gratuitam peccatorum, in sanguine Christi, remissionem inspirando? Nonne etiam Affectus animi indomitos vincat, voluntatem ad Dei libitum flectat, totamq; vitam, adspirante spiritu S. ad Dei normam componat? Hæc omnia S. scripturæ Divinitatem spirant.

Attamen haud diffitendum est, *Criteria* hæc, quæ Deus omnibus libris canonicis impressit, in aliis minùs, in aliis magis atque illustriùs emicare; sicut in Dei operibus quædam illustriores, quædam minùs illustres sunt Divinitatis notæ. Hoc tamen firmiter tenendum est, nullum esse librum S. scripturæ, cui Deus non impressit quasdam Divinæ suæ Autoritatis notas, quibus discerni possit, à qualibet scriptura humana, tum ob argumenti dignitatem, tum ob ipsum tractandi genus.

9. Prop. *S. scripturæ Autoritas est nihil aliud quàm ejus* αὐτοπιστία, ἀξιοπιστία, & αὐθεντία, *sive divinitas & infallibilis veritas.* Sicut enim Lumen est suiipsius interpretativum, ac res coloratæ non sunt cognosci-

biles, nisi per suos colores ; Ita sacra scriptura suam secum autoritatem fert ; quæ omnibus, qui oculum Intellectualem bene dispositum & apertum habent, per characteres quosdam suæ Divinitatis, evidens est. Hâc sanè ratione S. scripturæ, quatenus sunt primum fidei principium, cum primis scientiarum principiis conveniunt. *Aristoteles* Rhetor, l. 1. c. 2. τὸ μὲν, εὐθὺς ἄρχει δὲ αὐτὸ πιθανὸν καὶ πιστὸν. τὸ δὲ τῷ δεικνυσθαι δοκεῖν διὰ πίστων. Quibus ostendit, *principia suam secum evidentiam præ se ferre ; conclusiones autem evidentiam à principiis accipere.* Hac ex parte respondet fidei primum principium scientiarum principiis : Sicut enim prima scientiarum principia sunt *indemonstrabilia* à priori, *i. e*, suam secum evidentiam præ se ferunt, eandemq; conclusionibus inde deductis conferunt ; conclusiones autem ne minimam evidentiam illis retribuunt: Ita sacræ scripturæ certitudo & Autoritas divina, non in aliud principium ab ipsa distinctum resolvitur ; sed à se solo, ut primo fidei principio, dependet. Deus enim S. scripturæ *Author* ei talem evidentiam, efficaciam, & Divinitatem impressit, qualis sufficit ad ejus Autoritatem, præsuppositâ spiritûs S. Demonstratione effectivâ, manifestandam, ac demonstrandam. Unde sequitur, non opus esse alio principio ulteriori, in quod resolvi, & à quo, tanquam à priori, dependere debeat canonica & divina S. scripturæ Autoritas.

10. Prop.

10. Prop. Hæc ἀυτοπιστία & ἀυθεντία *S. ſcripturæ oritur non ſolum ex ejus innata & inhærente dignitate; ſed etiam ex ſuprema & increata Dei Autoritate ei adhærente.* In ſacra enim ſcriptura duplex conſiderari poteſt *Divinitas* & *Autoritas*: una Innata & Inhærens; altera *Adnata*, ſive *Adhærens*. S. ſcripturæ Divinitas & Autoritas *Innata*, ſive *Inhærens*, nihil aliud eſt quàm *criteria Interna*, ſive majeſtas & præſtantia ipſius ſcripturæ, quam à Deo, ejus autore, ſibi impreſſam habet. Autoritas autem *S.* ſcripturæ *adnata*, ſive *adhærens*, eſt *increata* & ſuprema Dei Autoritas, quæ de S. ſcriptura prædicatur tantùm per denominationem extrinſecam. Prior Autoritas divina eſt, quatenus à Deo, ut S. ſcripturæ Inſpiratore eſt, ejuſq; Divinitatem refert: poſterior autem propriè ac formaliter dicitur divina, quia in ipſo Deo eſt. Hæ duæ Autoritates ſimul conjunctæ componunt totam ἀυτοπιστίαν & ἀυθεντίαν S. ſcripturæ. Si quis quærat, *quænam harum Autoritatum ſit fidei formale objectum?* Reſpondemus cum *Baronio*, (de object. formali fidei, pag. 742. Edit. 1.) Poſterior illa, ſcilicet increata & æterna Dei Autoritas, non quidem nudè & abſtractè conſiderata, ſed S. ſcripturæ applicata, per denominationem quandam extrinſecam, quæ hac vel tali propoſitione exprimitur. *Hoc eſt verbum Dei*, Ita 1 Theſ. 2. 13. *non ut ſermonem hominum, ſed (ſicut eſt verè) ut Dei ſermonem &c.* Ubi *Theſſalonicenſes* dicuntur *verbum Dei* excipere, *non ut ſermonem hominum*, i. e, non ut humanâ Autori- 1 Theſ. 2. 13.

tate veſtitum ; *ſed* (ſicut eſt verè) *ut Dei ſermonem*, i. e, ſub hac *reduplicatione*, quatenus Dei Autoritate donatum: Nam ὡς hic ſumitur *reduplicative*, & ſatis indicat, Autoritatem Dei, verbo ſuo appendentem, eſſe *motivum primum*, ſive *objectum formale*, in quod ultimò reſolvitur fides. Hinc eſt, quod Infidelitas, & contemtus verbi Dei in ipſum Deum reflectere dicatur ; Exod. 16. 8. *murmura veſtra non ſunt contra nos, ſed contra Dominum.* Negatio hic non tam negat, quàm exaggerat : *Murmura* enim Iſraelitarum fuerunt immediatè contra *Moſem* ; ſed quia *Moſes* fuit *Legatus*, ac *Miniſter* Dei, ejuſq; nomine locutus fuit, ideo murmura eorum non tam contra *Moſem*, quàm contra Deum eſſe dicuntur. Hoc abunde vindicat verbi Dei Autoritatem, Hinc,

Exod. 16. 8

11. Prop. *Quando dicitur, verbum Dei, ut primum fidei principium, credi propter ſe, non propter aliquid aliud, excluditur, non Dei Autoritas & Veracitas, ſed ſolùm motiva communia, ſive media externa, ut formale objectum fidei.* Ipſa enim ſcriptura, nudè & in ſe conſiderata, non eſt *formale* fidei *objectum* ſive *primum principium*; quia ejus veritas & Autoritas creditur *propter aliud*, ſcilicet propter Dei Autoritatem illi applicatam : Ideo enim credimus, ea quæ Scriptura nobis credenda offert, quia ſunt verba Dei, ejus ſupremâ veracitate & Autoritate veſtita. Optimè *Clem. Alexandr.* Strom. 7. ἔχομεν τὸν ἀρχὸν τῆς διδασκαλίας τὸν κύριον διὰ τῆς εὐαγγελίε, &c. *principium doctrinæ noſtræ habemus Dominum per evangelium*

gelium: Ubi S. ſcriptura, ſive Evangelium inducitur ut *regula*, ſive *objectum materiale* fidei noſtræ; ſed Domini *Autoritas* ſcripturæ applicata, ut *primum principium*, ſive *objectum formale* fidei. Bene etiam *Baronius*. pag. 752. Edit. 1. ‘Cum dico, principium ‘hoc, *Scriptura eſt Dei verbum*, quando creditur fide divinâ, non credi propter aliud, ‘ſed propter ſeipſum; per illam particulam, ‘*non propter aliud*, non excludo Dei teſtantis, ſeu revelantis autoritatem, ſed tantùm ‘externa revelationis media vel inſtrumenta, per quæ alii putant ſcripturæ Autoritatem principaliter nobis revelari. Breviter, propter ſcripturam ſolam, quatenus Dei Autoritatem ſibi appendentem habet, eam eſſe verbum Dei credimus. Unde ſequitur,

12. Prop: *Ex prudenti præpoſitionum Per & Propter uſu, facile reſponderi poſſit ad varias de ſcripturæ S. Autoritate quæſtiones.* Quum enim præpoſitio *propter* denotet fidei *primum principium*, & *fundamentum principale*; præpoſitio, autem, *per efficientem principalem*, & *media inſtrumentalia*, ſine quibus S. ſcripturæ Autoritati non credimus; quando interrogatur, *Propter quod credimus S. ſcripturam eſſe verbum Dei?* Reſpondemus *propter* divinitatis characteres ipſi ſcripturæ impreſſos, & Dei Autoritatem ei appendentem: Quando autem interrogatur, *Per quod credimus S. ſcripturam eſſe verbum Dei?* Reſpondemus *per* ſpiritûs S. Illuminationem, ut *Cauſam efficientem principalem*; ſed *per* Eccleſiæ Annunciationem, & cætera fidei

motiva communia, ut *media Instrumentalia* ordinaria. Optimè *Baronius*, De *objecto formali fidei*, *Tract.* 8. Quæst. 4. 'Cautè 'hîc utendum est præpositionibus *Per* & '*Propter*: nam præpositio *per* importat usum 'mediorum, sine quibus fides ordinariè non 'producitur: at præpositio *Propter* impor-'tat principale fidei fundamentum. Scrip-'turæ divina Autoritas creditur *per* ecclesiæ 'præsentis testificationem, primitivæ eccle-'siæ traditionem, & internam spiritûs S. 'operationem; non tamen *propter* aliquid 'horum: quia videlicet nihil horum est 'principale fidei nostræ fundamentum. *Prop-'ter* scripturam solam, non tamen *per* eam so-'lam, credimus scripturam esse verbum Dei.

13. Prop. *Autoritas Dei, verbo suo applicata, est major omni Autoritate Rationis.* Vide *L'Art. de penser*, sive Jansenistarum Logicam part. 4. c. 7. Testimonium enim personæ Infinitæ potentiæ, Infinitæ sapientiæ, Infinitæ bonitatis & Infinitæ veracitatis, plus ponderis & efficaciæ habere debet, ad persuadendum animum nostrum, quàm rationes maxime momentosæ & evidentes. Plus enim credibile est, eum qui infinitè sapiens est, non posse seipsum fallere; eumq; qui infinitè bonus est, non posse nosmet fallere; quam nosmet in rebus maxime evi-
1 Sam. 15. 29. dentibus falli non posse; Ita 1 *Sam.* 15. 29. *Æternitas, vel etiam robur, Israelis non mentietur.* נצח Abstractum pro concreto suo, ipsomet subjecto connotato. Sensus est, *æternus* vel *robustus Deus* Israelis nec falli, nec fallere potest. Idem asseritur de verbo

Christi

Christi. 2 *Cor.* 1. 18. *Immo fidelis Deus novit sermonem nostrum apud vos, non fuisse etiam & non*: i.e, varium & inconstantem sed eundem, Inde *v.* 19. *filius Dei non est etiam & non*, quasi scilicet aliud loquatur ore, aliud mente intendat: *sed* ναὶ *verè, in ipso fuit.* v. 20. *In ipso τὸ* Ἀμὴν, &c. Amen est vox hebraica, cujus radix est אמן: in *Niphal* נאמן significat *stabile, firmum, fidum* esse, *verificari, confirmari*; in *Hiphil* האמין *credere*: unde אמן *Amen veritas*; quæ vox adverbiascens, inter adverbia *confirmandi* eminet: Unde Hebræis dicitur, חזוק המאמר וקיומו *corroboratio sermonis, & confirmatio ejus.* Hîc autem confirmationem divini verbi ac promissi denotat. Huc pertinet asseveratio Christi, quâ sæpiùs exprimit promissorum ac aliorum verborum veracitatem, *Amen dico vobis.* Unde addit *Paulus* exegesis vice, *v.* 21. ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς, *qui verò confirmat vel confortat nos* [nempe per verbum suum infallibile, quod Amen & firmum est] *Deus est.* 2 Cor. 1. 18, 19, 20.

14. Prop. *Scripturæ S. Autoritas tam quoad nos, quàm in se, est maxima.* Hoc contra *Bellarminum* est ac alios pontificios, qui concedunt scripturæ Autoritatem *in se*, sed non *quoad nos* maximam esse. Hæc autem distinctio non est nisi frivola ac inanis distributio unius ac ejusdem rei, ad imperitos, vel incautos captandos. Quid enim est Autoritas hac in re, quàm efficacia quædam ab Autore testante, in suum Testimonium derivata, ad fidem animo ingenerandam? Annon igitur omnis testis vel testimonii Autoritas respectum habeat ad eos,

quibus exhibetur, ad fidem pariendam? Quid igitur, vel re vel ratione, differt Autoritas ſcripturæ in ſe, ab illa quæ eſt quoad nos? Sed volunt *pontificii* Autoritatem ſcripturæ quoad nos dependere ab Autoritate Eccleſiæ. Itane? Nonne hoc eſt circulum infinitum ingredi, ex quo nemo poſſit ſeſe liberare? Unde enim eccleſiæ Autoritas, niſi à ſacræ ſcripturæ autoritate oriatur? Nonne doctoris Autoritas ex vi doctrinæ quam docet? Quid eſt talis Autoritas niſi facultas apta ad perſuadendum, cum eorum qui perſuadentur ſubmiſſione? An hæc S. ſcripturæ Autoritas *quoad nos* ab Eccleſiæ Autoritate pendet? Annon priuſquam certò perſuaſi ſimus, eccleſiam habere talem Autoritatem, neceſſe eſt nos certò perſuaſos eſſe, de ſcripturæ Autoritate, ex qua tota eccleſiæ Autoritas ſuam traduxit originem? Nonne planè ridiculum eſt, ut propter eccleſiæ Autoritatem credamus eccleſiam habere autoritatem? Quare neceſſe eſt, ut ſcripturæ S. Autoritas non ſolùm in ſe, ſed & quoad nos, prior ac notior, ac deinde major ſit quàm eccleſiæ Autoritas.

15. Prop. *Scriptura probatur per ſcripturam non autoritativè, ſed ratiocinativè.* Duplex eſt argumentandi genus: unum *inartificiale*, & *Autoritativum*, ex teſtimoniis extrinſecus acquiſitis; alterum ex inſitis rei de qua quæritur criteriis, quod dicitur *artificiale*; quia argumenta quæ rei inſunt arte & ratiocinatione depromuntur. Quando aſſeritur ſcripturæ Autoritatem per ſcripturam probari poſſe, intelligitur non

autoritativè

autoritativè, ſed *ratiocinativè*; i. e, dantur in S. ſcriptura tam illuſtres characteres ſuæ divinitatis, ut nemo non cæcus eos penitus ignorare poſſit. Sicut enim quælibet facies humana diſtincta ſua criteria habet, quælibetq; lingua ſuum diſtinctum ſonum; ita verbo Dei quædam imago, quidamq; ſonus cœleſtis à Deo imprimitur, quo oves Chriſti idem dignoſcunt & diſtinguunt à quolibet verbo humano. Sic *Joan.* 10. 27. *Oves illæ meæ vocem meam audiunt.* Obſervant critici, paſtores in parte illa orientali, (ſicut etiam apud nos alicubi) voces quaſdam *diſtinctivas* & ſibi proprias, quibus pecudes aſſueverunt, habuiſſe, ut σίτλα apud *Theocritum*: Ita, inquit Chriſtus, oves illæ meæ vocis meæ diſtinctas notas facilè percipiunt. Joan. 10. 27.

16. Prop. *Nemo fidem certitudinemq; divinam de S. ſcripturæ Autoritate attingere poteſt, ſine ſpiritûs S. Illuminatione efficaci.* Intellectus enim humanus ſpiſſis ignorantiæ tenebris naturaliter eſt obvolutus; quare niſi Deus auferat ab Intellectu velamen ignorantiæ, & eundem elevet & irradiet, ad percipienda illa ſacra *Divinitatis* criteria, quæ ipſe S. ſcripturæ impreſſit, nemo ejus Autoritati aſſenſum divinum præbere poteſt. Ita ad S. ſcripturæ Autoritatem ſtabiliendam duplex requiritur ſpiritûs S. *Revelatio*; una *objectiva*, quâ conſtituitur; altera *ſubjectiva*; quâ potentiæ Intellectivæ velamen auſertur, & habitus fidei infunditur, ut quis credat,

credat, ſcripturam eſſe verbum Dei veracis. Nam *ſpiritus* ſanctus intus revelat ea quæ exteriùs credenda offert, hocq; efficit, auferendo *velum* cæcitatis ſpiritualis à mente, eamq; *corroborando, elevando,* & *irradiando,* ad percipiendos illos divinitatis characteres, quos verbo ſuo indidit. Quid enim eſt *Revelatio,* niſi *veli ablatio,* quo res occultantur à mente? Hoc autem *velum,* ratione rerum ſpiritualium, eſt duplex, vel *objectivum* vel *ſubjectivum: Prius* aufert *ſpiritus* S. revelando objecta fidei, S. ſcripturâ enarrata: *Poſterius* removetur per infuſionem fidei, & luminis ſupernaturalis, quo cæcitas mentis, quæ eſt quaſi velamen, aufertur. Lumen enim fidei ſupernaturale à ſpiritu S. infuſum, eſt abſolutè neceſſarium, ut quis fide divinâ credat, *ſcripturam eſſe à Deo revelatam*, & Autoritate divinâ donatam. Interna hæc ſpiritûs S. Revelatio eſt quidem *principalis cauſa effectiva* aſſenſûs fidei, quo credimus, S. ſcripturam eſſe Dei verbum: ipſum autem verbum Dei revelatum, divinâ majeſtate veſtitum, eſt principalis cauſa objectiva, ſive fundamentum principale illius fidei, quâ S. ſcripturæ aſſentimur. Utraq; hæc Revelatio ſtatuitur, *Pſal.* 119. 18. *Revela oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua. Revela oculos meos,* indicat revelationem ſubjectivam mentis, quæ conſiſtit in Infuſione luminis ſupernaturalis ad credendum neceſſarii. Revelatio ex parte objecti credendi eſt, quando verbum Dei proponitur intellectui ut à Deo revelatum.

CAP.

CAP. V.

De S. ſcripturæ perfectione ratione Styli.

SECT. I.

De S. Textûs, ſive Styli puritate & integritate.

ALterum S. ſcripturæ Attributum, in definitione incluſum, eſt ejus *Perfectio*: dicitur enim *canon perfectus*. *Perfectio* autem S. ſcripturæ duplex eſt: (1) ratione *Formæ*; (2) ratione *Materiæ*. Per S. ſcripturæ *Formam* intelligo, non *Internam*, & (utí in ſcholis loqui amant) *Eſſentialem*; quæ nihil aliud eſt, quàm divina Veritas & Autoritas rerum à Deo revelatarum; ſed *externam & accidentalem*; quæ in ſtyli ἀκριβείᾳ, ἀναλογίᾳ, & *præſtantia* conſiſtit. Styli autem cujuſcunq; perfectio ſpectatur in ejus *conformitate* Materiæ, de qua tractatur. S. ſcripturæ *ſtylus perfectiſſimus* eſt, eò quòd maximè conformis eſt *Argumenti Dignitati*, *Dicentis Majeſtati*, *hominumq; Captui*. S. ſcripturæ *Perfectio*, tum ratione *Formæ*, tum ratione

Mate-

Pſal. 19. 8. *Materiæ*, optimè depingitur, *Pſal.* 19. 8. *Lex Dei eſt perfecta.* תמימה *Illibata & integra. Perfectio* hæc Legis opponi videtur rudi ac imperfectæ Dei revelationi per creaturas, *v.* 4. *&c.* Docuerat enim, qualem, ex cælorum ſoliſq; motu atq; influxu, cognitionem Dei acquireret homo. At *ex Lege*, inquit, multò ſublimior, ac perfectior Deum cognoſcendi ratio patet: quam propterea variis elogiis, tanquam modis omnibus *abſolutam*, *fidelem*, *certam*, *planam*, *perſpicuam*, *puram*, ac *efficacem* prædicat.

Sed ad S. ſcripturæ perfectionem accuratiùs delineandam, inprimis ejus *Forma* depingenda eſt. S. ſcripturæ *Forma* in *ſtyli* ſive literaturæ contextu conſiſtit. *Literaturam* S. ſcripturæ eſſe perfectiſſimam, ex variis ejus *criteriis* ac *characteribus* abunde conſtat. De quibus ordine ſuo:

Primus S. *Styli*, ſive *Literaturæ* character, qui ejus perfectionem demonſtrat, eſt *Textus originalis*, tum Veteris tum Novi Teſtamenti, *Integritas* & *Puritas*. Perfectum dicitur *cui nihil addi*, & *à quo nihil adimi poteſt*. Et talis quidem eſt S. ſcripturæ literatura textualis. Haud diffitendum eſt, ante *Moſem*, verbum Dei ἄγραφον, extraordinariâ Revelatione *Patriarchis* communicatum, & *Traditione orali* ad poſteros ritè propagatum, fuiſſe ſufficientem *Regulam* fidei, & cultûs divini. Nec mirum ſanè, quum *Patriarcharum* memoriæ, ob vitæ longitudinem, fuerint vice librorum; ipſeq; Deus memoriæ defectus reiteratâ ſuâ Revelatione ſuppleverit. Nunc autem, utcunq;

verbi

verbi Dei ſcriptio eſt eidem accidentalis, nihilq; Autoritatis, aut vigoris addit, maximum tamen fidei Adjutorium eſt, maximeq; ad S. ſcripturæ perfectionem conducit. Legiſperitorum enim communis eſt ſententia, *ſcripturam neceſſariò requiri ad Legem*: & *Jure Canonico Lex definitur, Conſtitutio ſcripta.* Sed hæc ſufficiant de S. Literaturæ ſcriptione in genere.

Ad S. Literaturæ *Puritatem* & *Integritatem* evincendam quædam ſunt prælibanda. 1. *Non eſt æqualis Puritas expectanda in verſionibus, ac in Textibus originalibus.* Sicut enim in Jure civili, *Inſtrumentum originale ſolum authenticum eſt*; ita in S. literatura, *Textus originales* ſolummode pro *Inſtrumento Authentico* habendi ſunt. In ipſis enim, non tantùm *res*, & *ſententiæ*, ſed & ipſæ voces, ac phraſes, ſunt Dei ſpiritui, prophetas ac Apoſtolos ad ſcribendum impellenti, ac in ſcribendo inſpiranti, adſcribendæ. Harum igitur vocum, ac phraſium Autoritatem, Pondus ac efficaciam, nulla *Tranſlatio*, quæ ab humano ſpiritu originem duxit, æquare poteſt. Aliæ enim ſunt *Interpretis*, utcunq; accuratiſſimi, aliæ *Hagiographi* qualitates: prior eſt *humanus* & *fallibilis*; poſterior *Divinus*, & extra omnem errandi aleam poſitus, utî *Hieronymus*, & aliqui in *concilio Tridentino.* Hoc tamen concedendum eſt, *verſiones*, quantumlibet barbarè compoſitas, characterem & ſtylum textûs originalis non penitus ſubvertere; ſed in illis fontis puritatem ac perfectionem, ſuo modo, emicare. Et inde eſt, quòd

qui-

quilibet Idiota ſatis in verſionibus habet, ad fidem ſuam fundandam. Idiotarum enim fides non pendet ab Interpretis fide & teſtimonio; ſed à rerum ipſarum, quas in verſionibus legunt, Veritate & Autoritate; quam ex earum *Sublimitate*, *Majeſtate*, *Harmonia*, *Sanctitate* & *Divinitate* colligunt, indidemq; certi ſunt, Interpretem fideliter in iſtis Vertendis verſatum eſſe. Pulchrè *Baron.* de *Formali objecto fidei*, *Tract.* 1. *Cap.* 1. *Obſerv.* 4. 'Eadem inquit, eſt 'Formalis ratio fidei *Doctorum*, & *Indoctorum*. 'Nam ſicut aſſentiuntur eidem doctrinæ, 'videlicet doctrinæ Legis & Evangelii, quæ 'in ſacris literis ſcripta eſt; ita etiam propter eandem *formalem*, ſeu *objectivam* ratio-'nem ei aſſentiuntur; videlicet, quia illa do-'ctrina divinitus revelata eſt. Tota igitur di-'verſitas inter horum aſſenſus eſt *Accidenta-'lis*; eaq; petita eſt à diverſo modo applican-'di *objectum formale* fidei, *viz.* Dei revelantis 'Autoritatem, ſuo *objecto materiali*, i. e, 'doctrinæ legis & Evangelii.

2. *Quamvis ipſa S. Literaturæ ἀυτόγραφα ſunt perdita, tamen ἀπόγραφα, quæ manent, pari Dignitate & Autoritate ſunt habenda.* Hoc patet ex verbis Domini noſtri, Luc. 16. 29 ſub imagine *Abrahami*, Luc. 16. 29. *Habent Moſem & prophetas: audiant eos.* Quomodo *habuerunt Moſem & prophetas?* Ipſa ſanè *Autographa* non habuerunt, ſed tantùm *Apographa*; & tamen Dominus nos certos eſſe voluit, Judæos, ipſos ſacros codices habuiſſe, licet *Autographa* originalia amiſſa fuere. Hic valet axioma Juriſperitorum;

quod

quod paria sunt, scripturam factam esse manu propriâ, vel alienâ.

3. *Non necesse est ut asseramus, codices Prophetarum ac Apostolorum ne in minimis quidem mutatos fuisse.* Neq; enim Judæi hoc asserunt de textu Hebraico; qui & antiquitus jam exemplaria corrupta, sed ab *Esra* iterum emendata fuisse volunt. Ita *Buxtorfius*: 'Non dicam inquit, Hebræa volumina nec in una dictione corrupta fuisse. Neq; enim existimo, tales esse, [Scripturas] ut in nullo planè punctulo, apiculo, aut literula, à primis Mosis, & Prophetarum *Autographis*, Apographa unquam discesserint; aut nullum omnino vitium, vel levissimum in eas irrepserit. Nam ne ipsi quidem Judæi hoc asserunt, qui & antiquitus jam exemplaria corrupta, sed ab *Esra* iterum correcta, & restituta fuisse; & posterioribus temporibus, cum inter celebres Autores, tum inter exemplaria varia, dissensiones & discrepantes quasdam lectiones notant. Tales sunt, præter notas τῶν *Keri uketif*, dissensiones de quarundam vocum lectione inter Judæos orientales & occidentales; & inter *Ben Asher*, & *Ben Naphthali*, &c. Sed hoc asserimus, Quæcunq; σφάλματα sive mendæ in sacram literaturam repserunt, nec puritatem ejus subvertunt, nec Hagiographorum fidem diminuunt. Adeurimùm enim levicula sunt, & *Amanuensium*, aut *Depositariorum*, aut *Typographorum* curiâ acciderunt: nec sensum detorquent; nec tanti momenti sunt, ut propter ipsa S. literatura corrupta dici mereatur.

4. Præ-

4. Prælibandum eſt, Literaturam S. co
fiderari poſſe, ratione *punctorum*, vel *litera*
rum, vel *dictionum*, vel *ſententiarum*. U
puncta & literæ ſunt elementa dictionum
ita dictiones ſententiarum: ſententiæ aute
ſunt vel *Hiſtoricæ*, vel *Dogmaticæ*. Quan
do igitur aſſerimus, S. literaturam textuu
originalium integram, puram, ac perfectam
eſſe, imprimis intelligendum eſt de *ſenten*
tiis; deinde de *Dictionibus*; & poſtrem
de *literis* ac *punctis vocalibus*; eò uſq;, u
ſi ex hypotheſi in aliquibus dictionibus, l
teris, aut punctis, qualiſcunq; mutatio inven
atur, ea tamen tantæ magnitudinis non ſi
ut inde ipſe textus originalis depravatus eſ
ſtatuatur. Optimè *Grot. de Verit. Rel. Chri*
p. 122. 'Non potuit autem liber aliqu
'in tot exempla diffuſus, cuſtoditus non pr
'vatâ tantùm ſingulorum, ſed & commu
'diligentiâ eccleſiarum, falſariam manu
'recipere. Adde jam, quòd proximis ſt
'tim ſæculis verſi ſunt hi libri in ſermone
'*Syriacum*, *Æthiopicum*, *Arabicum*, *Lat*
'*num*; quæ verſiones etiamnum exſtant,
'à Græcis libris in nulla alicujus momen
're diſcrepant --- Neq; verò ullam ſecta
'id unquam habuiſſe licentiæ, ut hos libr
'mutando, ad ſua placita aptaret, vel in
'ſatis colligas, quòd omnes ſectæ, & adve
'ſûs omnes, hinc ſibi argumenta depromun
Sacræ autem ſcripturæ libros haud eſſe d
pravatos, ex ſequentibus liquebit.

Ad puritatem & Integritatem *Textûs o*
ginalis evincendam, incipiendum eſt cu
Hebræo. Quales fuere *charakteres Moſaic*
ru

um ſcriptorum originales inter doctos non onvenit: Aliqui volunt *pentateuchum* lite- is *Samaritanis* olim ſcriptum fuiſſe. Altera tiam dubitatio eſt de *punctorum Hebraico- um* origine; an à *Moſe*; an ab *Eſra*; an à *abbinis* ortum duxerint? Has, vel tales ontroverſias nobis non incumbit determi- are. Attamen aliqualem textûs Hebraici mendationem ab *Eſra* factam fuiſſe veriſi- nile videtur. Ita *Owen. Theol.* l. 5. *Digreſſ.* 1. Exemplaria, inquit, antiqua ſummâ fide ſervata apud ſe, *Eſram*, & ſocios prophetici habuiſſe, nemo juſtè ambigere poteſt. Eis corectiſſimè deſcribendis, atq; mendis tollendis operam ſummam navarunt. Omnium collationi aſcribunt nonnulli initium קרי וכתיב. In toto autem opere uſi ſunt præſentiſſimo Dei afflatu & ductu; Literas verò antiquas, quibus à prophetis ad eorum exemplar, quæ Deus ipſe primus exaravit, verbum ſacrum ſcripſerant ſpiritûs S. Amanuenſes, *Eſram* mutare nec voluiſſe, nec debuiſſe, nec potuiſſe, nec opus habuiſſe, ante probavimus, *l.* 4. *Digreſſ.* 2. Sive ideo ipſis literis vocales coævas fuiſſe dicamus, ſive ab *Eſra* excogitatas, perinde eſt; cum divinam eis originem utraq; ſententia aſcribat. Nemini autem poſt *Eſræ* tempora punctationem Hebraicam aſſignandam eſſe affirmamus. Iterum addit, 'Ex hoc errore de punctorum inventione Rabbinica mala plurima --- Ipſius rei natura, eam ex cælo eſſe oſtendit: יהוה ubivis ſpirat hæc punctatio.

De

Prima hæc textûs Hebraici correctio ab Hebræis dicitur, מסורה *Masora*, *Traditio*; quæ est *Critica* Doctrina, à priscis Hebræorum Doctoribus, circa textum Hebraicum ingeniosè inventa; quâ literæ, dictiones, & versus ejus enumerantur; omnisq; eorum varietas designatur; & suis locis cum singulorum versuum recitatione indicatur; ut sic ejus pura, ac genuina lectio, a omni depravatione, ac mutatione, in æternum conservetur, ac stabiliatur. Hujus *Masoræ* Inventores dicuntur *Masoretæ*: quos aliqui volunt esse Judæos *Tiberiade*, tempore *Thalmud* confecti, congregatos; sed probabilior videtur sententia *Buxtorfii* (in tractatu suo de *Masora*) qui statuit *Masoretas* esse viros *Consistorii magni*, cujus præses fuit *Esra*, legis sacerdos doctissimus ut *Esra. 7. 6.* et Coadjutores *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, *Nehemias*, *Zorobabel*, *Josua* sacerdos, aliiq; primarii Sacerdotes & Levitæ, Ducis *Zorobabelis* ex *Babylonia* comites, numero 120. Hæc est sententia communis Hebræorum, quæ nititur, *Esra 7. 10.* Ubi *Esra dicitur, præparare cor suum ad legem Dei quærendam.*

Masora autem duplex est, *Magna* & *parva*: *Magna* vel *finalis* est, vel *textualis*. *Finalis* in fine Bibliorum ponitur: *Textualis* conjunctim cum ipso textu, in superiore, & inferiore, interdum etiam marginali, ejus ora proponitur. *Masora parva* est, quæ literis numeralibus, vocibus decurtatis, & symbolicis notis, insuper diversis lectionibus, ad latus textûs breviter & succincte de

eſcribitur. Maſora hæc dicta eſt a Rabbiis, סיג לתורה *Septum legis*: per eam nim, non ſolùm *verſus*, & *voces*, ſed & ſæ *literæ* ita accuratè numerantur, ut ne el minima mutatio fiat, quin facilè deprendi poſſit. Hinc igitur concludamus, poſt rioſam, ac, ut nobis videtur, divinam *aſoræ* conſcriptionem, hactenus non potuſe, nec in futurum poſſe, mendam aliquam, el mutationem invehi, quin ſtatim obſerri, & textus hebraicus ſuæ priſtinæ Integritati reſtitui queat. Hoc ſatis probat xtum Hebræum per *inſcitiam* ac *inriam Librariorum*, nec corruptum fuiſſe, c poſſe.

2. Deinde Judæos nec voluiſſe quidem xtum Hebræum corrumpere, probat Relio eorum admiranda, quâ circa codices verſantur; quorum puritati, quod ſibi ariſſimum eſt, ſemper poſthabuere: Imo eò uſq; ridiculè ſuperſtitioſi circa textum ebræum ſunt Judæi, ut tradant, *indicenda e Jejunia, & metuendum, ne totus mundus priſtinum chaos redigeretur, ſi quidem lim legis aliquando in terram decidere congat.* Quòd ſi verò codex aliquis, vel atuor erroribus infamis fuit, prorſus ab ſacro removebatur, ne aliis fraudi eſſet, *Hottinger.* Scribit *Philo*, (quod citatur *Euſeb. Præp. Evang.* l. 8. c. 2.) 'Uſq; ad a tempora, per ſpacium amplius quàm ooo annorum, ne verbum quidem fuiſſe nquam in Lege Hebræorum mutatum; & uemlibet Judæum centies potiùs morituum, quàm ut pateretur legem in aliquo utari.

3. Textum

3. Textum Hebræum non esse corruptu
à Judæis ante adventum Christi, constat e
eo, quòd *Christus* & Apostoli nunquam e
de tam insigni crimine notarunt: Sed *Chr*
stus Auditores suos ad textum Hebraicu
perscrutandum ablegavit, *Joh.* 5. 39. *Pa*
lusq; dicit, *Judæis concredita esse Dei orac*
la, Rom. 3. 2.

4. Æquè etiam liquet, Textum hebraicu
haud corruptum esse à Judæis, post Chri
Adventum. Nam si Judæi depravare v
luissent literaturam S. in odium Christian
rum, procul dubio præcipua vaticinia v
sustulissent, vel saltem punctis, accentibus
ita adfeciissent, ut nostra de Messia persuas
orthodoxa, ex iis demonstrari haud quea
Hoc autem nullo modo fecerunt; utî Ind
ctione facilè probari potest, & ingenuè co
cessit *Bellarminus*. Immo si Judæi unqua
voluissent falsare textum Hebraicum, mul
probabilius est, id ipsum tentassent in *Tha*
gumim, seu *paraphrasibus Chaldaicis*: s
posterius non fecerunt: In istis enim par
phrasibus quamplurima extant, quæ *Chri*
Officium Mediatorium & *Divinitatem* sa
probant.

5. Deniq;, quantumlibet sit concessu
aliquas mendas leviissimas, ratione vel *p*
ctorum, vel *literarum*, vel *dictionum* qu
rundam, in codices Hebraicos irrepsisse,
men inde non sequitur, ipsum textum S. n
esse purum & integrum. Bene quidem *M*
dus noster, in literis suis ad *Lud. de Di*
(*Diatrib.* 4. p. 629.) contra audaces quor
dam conatus, ad debilitandam textûs
bra

raici puritatem: 'De mendis autem, inquit, & corruptione textûs Hebraici, non eſt mihi tecum in ea cauſa reciprocandi animus: Fateor enim ultro, hîc, ſi uſquam alibi, cautè & religioſè agendum, immo & ſentiendum. Interim tamen mallem mendum alicubi agnoſcere, quàm in inexplicabilem difficultatum labyrinthum compelli, unde me haud expedirem, *&c.* Magnopere quidem dolendum eſt ſuſpicionem quandam nimis audacem invaſiſſe *Lud. Capellum*, alioſq; *Novatores*, de textûs Hebraici corruptione. Suſpicio hæc, utcunq; ratis evanida, oriri videatur. (1) Ex nimia æſtimatione verſionum, præſertim LXX. & vulgatæ Latinæ. (2) Vel ex N. Teſt. collatione. (3) Vel ex punctorum anomalia, & variatione. (4) Ex literarum aliquarum permutatione. Sed (5) præcipuè ex ſuperba criticorum audacia; qui ſacri codicis correctores exiſtimari magnopere anhelant.

In textu autem N. *Teſtamenti Græcanico*, major invenitur varietas; quæ tamen nullo modo ſenſum deturbat, aut puritatem ejus ſubvertit. Diſcrepantia enim vel eſt in ſingulis dictionibus, vel in integris ſententiis; quæ vel adduntur, vel demuntur, vel mutantur. In ſingularum vocum varietate, utraq; plerunq; lectio admitti poteſt, immo & debet, niſi grave occurrat ſenſui præjudicium. Bene enim notatum fuit, in *Concilio Tridentino*, (Hiſt. Counſ. Trent. fol. 474.) 'Haud bonum eſſe corrigere, aut purgare librum ullum, ne videatur aliquid

'omitti

'omitti, vel mutari, quod non debet. Immo varietatem lectionum non fuisse, ullâ ecclesiæ ætate, ante *Concilium Tridentinum* excussam & definitam; sed ecclesias suis usas fuisse exemplaribus, sine ullo veritatis aut pietatis dispendio, satis constat. Optime Fr. Luc. *Brugensis in præfat. ad var. Lection.* 'Major, inquit, varietatum pars in 'verbis potiùs consistit, quàm in rebus 'magisq; ad exactam, quàm ad necessariam 'facit corrigendi rationem.

Hujus varietatis causæ variæ à doctis reddunturi. Primariæ ad *Descriptorum*, ac *Librariorum Transcriptionem*, aut *Correctionem* referri possunt. (1) In *Transcriptione*: quando aliquis defectus in exemplari apparuit, *Descriptor* statim, vel ex loco *parallelo* vel ex *Annotatione Marginali* eundem supplere conatus fuit. (2) Aliqua etiam varietas ex correctione *Librariorum* ortum suum habuisse videtur. *Librarii* enim aliqui nimis audacter exemplaria Græcanica N. T. ad normam *versionis*, vel *Latinæ*, vel Lxx V. T. corrigere ausi fuerunt. Ita verisimile est, Librarium aliquem correxisse, *Act.* 7. 14. ad normam Lxx *Gen.* 46. 27. uti bene notavit *Bochartus*, Concione *Cad.* in *Gen.* 46. 27. Numerum enim *Jacobi* familiæ non esse nisi 70, patet, tum ex enumeratione particularium, *Gen.* 46, tum ex *Deut.* 10. 22. Error igitur non fuit, neq; in *Stephano*, neq; in *Luca*; qui ambo bene cognoverunt numerum rectum; sed in aliquo *Librario*, sive *Transcriptore*, qui præsumens, Lxx, *Gen.* 46. 27. qui mentionem faciunt 75. esse

esse versionem rectam, *Lucæ* numerum ad eandem correxit.

Hisce tamen non obstantibus, audacter asserimus, *Textum N.T. Græcum, in probatis codicibus asservatum, tam purum ac illibatum mansisse, ut exactissima tum fidei tum morum regula non immeritò judicetur.* Nam ut bene notat *Camero*, (fol. 481.) 'Duplex est varietas lectionis: Primò quædam momentosa, quæ cernitur in earum rerum significatione, quæ maximi sunt momenti: ejus generis varietas in verbis nonnulla est in Scripturis, in rebus nulla. Alterum genus varietatis est illius, quæ nullius est momenti, quod attinet ad rem ipsam: quum scilicet sive sic legas, sive aliter, res eodèm reapse redit; quamvis voces, vel phrases significationis in speciem contrariæ sint, vel nonnihil diversæ. Non malè etiam *Grotius* hac ex parte: 'Fatendum est, inquit, ut aliis libris, ita his quoq; accidere potuisse, accidisse etiam, ut ex scriptorum incuriâ, aut perversâ curâ, literæ quædam, syllabæ, verba, mutarentur, omitterentur, adderentur. Sed iniquum est, ob talem, quæ per multa tempora non potest non accidere, exemplorum diversitatem, tali instrumento aut libro moveri controversiam; cùm & mos postulet, & ratio, ut quod plurima, & antiquissima exempla ostendunt, id cæteris præferatur. At verò dolo, aut alio quovis modo omnia exempla vitiata, & quidem in iis quæ dogma, aut insigne aliquod historiæ caput pertinerent nunquam probabitur: neq;

'enim aut instrumenta sunt, quæ id doce
'ant, neq; testes illorum temporum. Par
'aliqua insignis mutata non est: Nam cùm
'ea mutatio aliquid sibi deberet habere pro
'positum, ea pars à cæteris partibus libris
'non itidem muratis notabiliter discreparet
'quod nunc nusquam conspicitur; imm
'admirabilis est ubiq; sensuum consona
'tia.

Sed interrogabit Criticus aliquis, Quid fa
ciendum est in tali varietate lectionum, i
qua gravis ratio impedit, quò minùs utraq
lectio retineri debeat; ut in aliquibus *dict*
onibus, pluribusq; *Sententiis* aliquando o
currit? Breviter respondeo: Illa Lectio e
præferenda, quæ maximè conformis est E
emplaribus antiquissimis probatissimisq;
aliis Scripturis, ac fidei analogiæ. Hîc a
tem summa cum cautela procedendum e
ne criticæ vanitati (utî Lud. *Capellus*, alii
novatores) indulgeamus. Tremenda, s
heu! nimis prophetica & vera, fuit obs
vatio magni nostri *usserii*, de hodier
Criticis, *Quòd æquè pestiferi futuri essent*,
Scholastici olim fuissent. Concludam ha
de puritate textûs originalis dissertatione
cum notatu digniss imo, in libro *Cosri R*
binico, *part.* 3. *S.* 25. Cùm ostenderet
tor, conjecturas humanas exulare debere
rebus divinis, & unico Dei verbo innit
dum esse: quærit *Judæus*: *Quid verò di*
rus es, *si occurrat discrepantia*, *&* *varie*
aliqua in uno, *duobus*, *vel etiam tribus co*
cibus? Respondet *Cosri*, *Tunc attendend*
est ad majorem Exemplarium partem. Re

it Judæus, *Sed Quid dices, cùm litera aliquando in libris reperitur, præter, vel contra rationem?* Respondet *Cosri*, *Si rationem sinamus dominari super ista, ac similia, mutabis libros totos; primò quidem in literis, postea in vocibus, exinde in sententiis, tum in punctatione, deniq; in accentibus; & sic mutabitur ubiq; sensus. Et quot quæso versus poterit homo transferre in contrarium planè sensum, per transpositionem aut immutationem, vel unius ex istis, nedum omnium?* Ita *Hottinger. philolog.* pag. 209.

E 2 SECT.

SECT. II.

De S. Styli *Efficacitate, Simplicitate, Majeſtate, Humilitate & Comitate, Evidentiâ, Brevitate, Plenitudine, Caſtitate, & Proprietate.*

2. TExtûs originalis Puritate ac Integritate ſatis vindicatâ, ad alios S. Styli characteres, quibus ejus Perfectio eluceſcit, progredimur. Et proximus, qui nobis occurrit S. Styli character, eſt ejus δεινότης, ſive *efficacitas ad perſuadendum.* Duplex eſt S. ſcripturæ δεινότης, ſive *efficacitas*; una rerum, altera verborum. *Prior* eſt cœleſtis illa ac penitus divina S. ſcripturæ energia, quâ ejus Lectores, ſive Auditores illuminantur, excitantur, & ad Deum convertuntur: quo reſpectu, verbum Dei dicitur *potentia Dei ad ſalutem*, Rom. 1. 16. *Poſterior autem ſcilicet efficacitas verborum*

orum, eſt Styli quædam qualitas; quâ ita conformatur, ut vi quâdam imperceptibili animum & affectus faciliùs penetret, & moveat. *Efficacitas* hæc, de qua impræſentiarum ſolummodo tractandum eſt, dicitur ab Iſocrate δεινότης ἐν τοῖς λόγοις; ab aliis, δείνωσις, vel δεινολογία: Quæ, quatenus ad S. literaturam pertinet, conſiſtit in *Epithetis* nervoſis, *Exaggerationibus* illuſtribus, *Argumentis* efficaciſſimis, *Metaphoris* egregiis, aliiſq; *luminibus*, & floſculis oratoriis, quibus Stylus S. ſcripturæ veſtitur, & efficax additur. Talis ſanè eſt S. Styli *Sublimitas*, cui nemo hominum eandem æmulari aut aſſequi unquam potuiſſet.

3. Efficacitati S. Styli adjungi poteſt ejus *Simplicitas*; quæ eſt eò magis admiranda, quò magis cum *Sublimitate* eſt conjuncta. *Ariſtoteles* tribuit hunc characterem *Magnanimi*, ut *nudè & ſimpliciter narret res à geſtas*. Sic *Euripides*: ἁπλοῦς γὰρ ὁ λόγος τῆς ἀληθείας ἔφυ, *Simplex ſermo eſt veritati maximè connaturalis*. Et *Iſocrat. pan.* ἔστι δὲ ἁπλοῦς καὶ ῥᾴδιος ὁ λόγος ὁ περὶ τούτων; quibus notat, *Simplicem orationem & facillimam*: quod ſanè nullibi tam luculenter elucet, quàm in S. literaturæ Stylo. Non hîc numeroſitas ſonorum invenies, non nugæ illæ canoræ, quibus ſcatent compoſa oratorum, ac poetarum Scripta. Illæ hîc ſunt molles ac blandæ veneres, illæ venales linguæ, nullæ carnales illecebræ aut blanditiæ; utcunq; non deeſt maſculæ ac efficax eloquentia. Deniq; nullus hîc tumidus leviſq; orationis curſus, qualis in

Jer. 23. 32. uſu fuit apud falſos prophetas, utì *Jer.* 23. 32. *Et in levitate, ſeu rapiditate ſua*, i. e. *Volubilitate Sermonis*, quâ ferè utuntur qui veritate carent, ut fucum faciant imprudentibus. פחזות propriè ſignificat *rapiditatem* ac *levitatem*, i. e, rapidum levemq; orationis curſum, qui venalibus *pſeudoprophetarum* linguis maximè arriſit, ſecundùm *Junii* ac *Tremellii* interpretamentum. Talem delicatum ac blandum ſilum oratorium magnopere oppugnat *Paulus*, ferè ubiq; in ſuis Epiſtolis ad *Corinthios*; qui ſub hoc modo magnopere laborabant. Ita 1 *Cor.* 1. 17. οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, i. e, *non arte oratoria*. Apoſtolus hic taxat, vitium *Corinthiacum* nimirum humanæ eloquentiæ affectationem quam ob cauſam ſimplex evangelii prædicatio ab eis rejecta fuit. Sic commate 18. *Verbum enim crucis, iis quidem qui pereunt ſtultitia eſt.* Inter Hebræos verba quæ *Rem* ſignificant, interdum intelligenda ſunt de *Opinione*, quam homines, ſeu verè ſeu falſò, conceptam circumferunt: Sic hîc; *Stultitia eſt*, i. e, videtur. Idem *v.* 21. Ita

1 Cor. 1. 17, 18.

1 Cor. 2. 4, 13. rum, 1 Cor. 2. 4. *Neq; ſermo meus, & prædicatio meum verſatum eſt in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis*, πειθοῖς λόγοις: Rhetores vocant πειθανὰ, *argumenta popularia* & ad perſuadendum accommodata, ſive vera ſint, ſive ſpecie veri blandiantur; ἀποδείξεις verò ſeu πίστεις vocant præcipuas probationes, quarum ea certitudo & evidentia eſt, ut auditorem convincant: Unde ſequitur; ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. *Rhetores* ſuas habent *Demonſtra-*

nes; *Mathematici* & *Logici* ſuas, quæ immutabilem certitudinem præ ſe ferunt: Sic Spiritus habet etiam ſuas *demonſtrationes* evangelicas, eaſq; potentiſſimas; ſed tamen *Simpliciſſimas*, non rore *Corinthiaco* fucatas. Derogat ſibi Apoſtolus, eloquentiam *humanam*, non autem *divinam*; ac perſtringit eos inter *Corinthios*, qui in ſuis concionibus affectabant verborum lenocinia; & phaleratis dictis plebem demulcebant; quiq; pro oratione, ſanctimoniæ & divinæ virtutis plenâ, comtam, calamiſtratam, *papavere* & *ſeſamo* ſparſam, & ex melleis verborum globulis contextam afferebant, ut vult *Seneca*; doctrinæ medullam interim negligentes. Tale fuit vitium Corinthiacum. Idem aſſerit *Paulus* commate 13, *Quæ etiam loquimur, non ſermonibus, quos docet humana ſapientia.* Quaſi dixiſſet Apoſtolus: ea demum ratio tradendæ alicui Diſciplinæ maximè appoſita eſt, quæ propriis & adæquatis terminis utitur: Atqui Evangelium, ſicut eſt θεόπνευσον, ita res ſupra captum humanum docet: non immeritò igitur in eodem annunciando, non humanâ & fucatâ, ſed Divinâ & ſimplici eloquentiâ utimur.

Ita 2 Cor. 2. 17. *Non enim, ut pleriq;, cauponamur ſermonem Dei,* καπηλεύοντες, i. e, *callidè, & avarè tractantes. Caupones* enim, vulgò *Regratatores*, infames ſemper, & minùs ſinceri habiti ſunt; ſicut & *mangones*, quòd merces adulterent, & quibuſvis artibus lucrum captent. Græci καπήλους nuncupant à corrumpendo vino. Hinc καπηλεύειν 2 Cor. 2. 17.

λεύων pro *decipere*, & *ad quæſtum abuti*. *Beza* putat, Apoſtolum hîc in metaphora ab unguentis pretioſis ſumta perſiſtere: nam quia pretioſa erant, & ex longinquis regionibus advecta, in his adulterandis magnæ erant & lucroſæ mercatorum impoſturæ. *Chryſoſtomus* ita explicat: τοῦτό ἐστι καπηλεύσαι, ὅταν τὸν οἶνον νοθεύῃ τὸν οἶνον, ὅταν τὶς χρημάτων πωλῇ, ὅπερ δωρεὰν ἔδει δοῦναι. Ita *cauponantes* hîc eſt idem quod δολοῦντες, 2 Cor. 4. 2. *dolo tractantes*, Vulg. *adulterantes*. Hic enim dolum vocat omne illud fraudis genus, quo utuntur, qui merces adulterant. Hoc ſatis vindicat Paulinarum epiſtolarum ſimplicitatem ac ſinceritatem.

Hinc facilè eſt evincere, quanta perfectio S. Literaturæ Stylo ex ejus ſimplicitate addatur. Nam (1) S. ſcripturæ myſteria, ab humana ratione & ſenſu maximè ſunt remota; ideoq; ſimplici Stylo maximè gaudent. (2) Infucata veritas infucatum Stylum amat: Ita *Euripides*, Ἁπλοῦς ὁ λόγος ἀληθείας. Veritas non indiget ociosis delicatiſq; veneribus, aut rapido leviq; orationis curſu; ſed ſimplici ac nativâ ſuâ formâ maximè gaudet. (3) Auditorum vel legentium qualitas exigit, ut Stylus S. ſcripturæ ſit ſimpliciſſimus; Non enim in uſum doctorum ſolummodo, ſed & plebis ſunt compoſitæ S. literæ. (4) *Finis* deniq; & *effecta* S. ſcripturæ poſtulant, ut ejus Stylus ſit ſimpliciſſimus. Aliter enim gloria omnium ſalutarium S. ſcripturæ effectorum, non Dei Gratiæ, ſed humanæ eloquentiæ, adſcriberetur. Ita 1 *Cor.* 2. 4, 5. *in perſuaſoriis verbis*

Nam

Nam & hoc, inquit *Calvinus*, ſine exi-
mia Dei providentia non factum eſt, ut
ſublimia regni cœleſtis myſteria ſub con-
temtibili verborum humilitate bona ex
parte traderentur, ne ſi ſplendidiore elo-
quentiâ illuſtrata forent, cavillarentur
impii, ſolam ejus vim hîc regnare.

4. Cum *Simplicitate* hac nativa S. Styli
mirificè conſpirat ejus *regia Majeſtas*.
Quámlibet enim S. Literatura omne artifici-
um fucatum, ut ſuâ dignitate & ſublimita-
te indignum, contemnit, ſuâ tamen formo-
ſâ Majeſtate, non terreſtri, ſed cœleſti
gaudet. In S. pagina ſingularem ac miran-
dam Majeſtatem cum Simplicitate miraculoſè
conjunctam habemus: ex quibus talis Styli
sacri proprietas peculiaris oritur, qualis in
aliis libris humanitus elaboratis, haud de-
prehendi poteſt. Nullus ſanè liber extat,
qui talem Majeſtatem præ ſe fert, qualis in
Simplicitate textûs *S.* elucet. Iiſdem enim
verminis loquitur & *Regi*, & *Populo*: & ra-
tio eſt; quia, utcunq; inæquales ſint ratio-
ne *Officii*, tamen æquales ſunt, ſi cum Deo
comparentur. Simpliciſſima S. Literaturæ
Majeſtas plures habet aculeos, quàm om-
nis eloquentia humana; pluſq; efficaciæ,
quàm efficaciſſimæ ſcholarum ſubtilitates.
Ita Mat. 7. 29. *Docebat enim eos, ut habens*
autoritatem, non autem ut Scribæ. ἐξουσίαν, Mat. 7. 29.
i. e, regalem dignitatem ac majeſtatem.
Talem hîc Chriſtus in doctrina ſua promul-
landa majeſtatem exhibuit, ut ſe planè Re-
gem eſſe oſtenderet. Sermo quidem Chri-
sti, licet ſimpliciſſimus, veſtitus fuit maje-

jeſtate regali, ac penitus divinâ : penetra-
bat enim uſq; ad ſpiritum, ad bonorum *con-*
verſionem ac malorum *convictionem*. *Scri-*
barum autem doctrina talis non fuit; ſe
ratione *materiæ*, de rebus ad plurimùm fri
volis & inutilibus; & ratione *qualitatis*, lax
ior, fucata, & ad oſtentationem, aut blan
diloquium compoſita fuit. In omnibus qui
dem S. textûs apicibus elucet Majeſtas Au
toris, tanto cum ſplendore, ut nullus libe
humanus ei hac ex parte comparari poſſit
Immo, ipſæ verſiones S. literaturæ etiam mi
nùs perfectæ tantam referunt majeſtatem, u
nullum opus humanitus ſcriptum cum ei
conferri poſſit.

5. Id quod S. Styli perfectionem ampliùs
illuſtrat, eſt *Humilitas*, & *Comitas*, quæ cum
ejus Majeſtate conjungitur. Sicut Rege
aliqui benigniores quandam *comitatem* cum
majeſtate ſua conjunctam habent: Ita ſ
ſcripturæ ſtylus quandam familiaritatem &
Comitatem cum ſua Majeſtate & Gravitat
admiſtam habet. *Comitatem* inquam *regi*
am: Reges enim quum ſe præbent humiles
non deponunt ſuam majeſtatem. *Comita*
hæc *S.* Styli conſiſtit in ejus *συγκαταβάσει*
ſimplicitate, & *humilitate*. Sacra enim
ſcriptura tractat *Myſteria* maximè ſublimia
ſtylo humillimo, ac maximè mediocri. S
literaturæ Author eò uſq; ſe demittit, ut re
altiſſimas exprimat terminis, non *ænigma-*
ticis aut longè petitis, ſed è proximis ſum-
tis & familiaribus. Non ſic comparatum
fuit ingenium *Philoſophorum*, qui ſuam Phi-
loſophiam (utcunque de rebus naturalibus
etiam

etiam minimis) terminis obſcuris & *ænigmaticis* involutam tradiderunt. Parum aut nihil candidè, liberè, & ſimpliciter locuti ſuere.

6. Hinc ſequitur alius *S.* ſtyli character, nempe ejus *Evidentia*; quæ ei multum addit *perfectionis*. Per S. ſcripturæ *Evidentiam*, hic non intelligitur ejus *perſpicuitas* & *claritas*; ſed ἐνάργεια quædam ſive *Demonſtratio ocularis*, quæ à Græcis nominatur τὸ πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, *coram oculis ponere*, utî *Ariſt. Rhet.* l. 3. c. 11. *S.* literatura ἐνάργειαν quandam rerum adhibet multis modis. (1) *Typis* illuſtribus. (2) *Metaphoris* vivis ac elegantibus, quæ in oculos incurrunt. (3) *Exemplis* accuratè depictis. (4) *Comicis* quibuſdam actibus, ſuis coloribus artificioſè delineatis. (5) *Adverbiis demonſtrandi*, quæ rem indigitant. (6) *Proſopopœiis*, rerumq; inanimatarum, quaſi vivæ eſſent, productionibus; cum ſimilibus.

7. Proximus S. ſtyli Character eſt ejus *Brevitas*. *Laconiſmus* ſive brevis ſtylus, modò ſit *evidens* & *plenus*, eſt optimus; Auditores enim attentos reddit, memoriam adjuvat, affectus excitat, & ad meditationem provocat. Talis eſt S. ſcripturæ ſtylus, cujus voces ſunt conciſæ, ſententiæ breves, ſed evidentes, ſed plenæ; unde illud Rabbinorum, אין בתורה אפילו אות אחת שאין ההרים נרולים תלויים בה *In lege non eſt litera, àqua non pendeant magni montes doctrinarum.* *Laconiſmus* hic *S.* ſtyli apparet (1) *In Typis*; qui multùm parvo continent

tinent: Immo aliquando totum evangelium unico Typo comprehenditur; ut in *Agno paschali.* (2) In *Metaphoris*; quæ sæpiùs ingentem veritatum multitudinem præ se ferunt. (3) In *Allegoriis* & *parabolis*; quæ sub parvis involucris non rarò magnam copiam rerum absondunt. (4) In *Nominibus propriis*; ut *Jesus, Christus, Immanuel*; quæ totum Christi officium mediatorium indicant. (5) In *Ellipseon* usurpatione. Sæpissimè enim in sacro stylo occurrunt *Ellipses*, non solùm vocum singularum, sed & plurium, immo sententiarum, idq; non sine summa elegantia. (6) *Idiomatibus*, tum *Hebraicis*, tum *Græcis*; quæ aliquando multùm sapientiæ divinæ spirant. (7) *Sententiæ* S. literaturæ, tum *morales*, tum *evangelicæ*, tum *proverbiales*, ita sunt comparatæ, ut mirâ brevitate res plurimas, ac longe maximas in se contineant. Ita *S.* pagina *multum in paucis, maxima in minimis complectitur.*

8. Hinc pullulat alter *S.* styli character scilicet ejus *Plenitudo*; quæ sanè maximè admiranda est; eoq; magis, quò magis cum summa brevitate sit conjuncta. *Plutarchus* vivam Imaginem orationis optimæ tradit quæ aptè ad *S.* scripturæ stylum referri potest. 'Quemadmodum, inquit, numm 'æstimatio & valor, tanto major est, quan- 'to in minori massa plus valoris continet, 'sic orationis δεινότης sive *efficacitas* majo 'est, quæ plurima paucis comprehendit. E *Cicero*, de *Thucydide* dixit, *eum adeo esse re bus plenum refertumq;, ut prope verborum* num-

numerum numero rerum æquet. Plenitudo hæc orationis, quam Græci μέτρον nominant, est plena ac perfecta rerum enarratio ac expositio. Hoc fit *causarum* explicatione, *Antithesium* additione, *partium* & *specierum* recitatione, *circumstantiarum* enucleatione, cæterisq; illustrandi modis emphaticis. Tali plenitudine utuntur *Hagiographi*, præsertim quoties auditores patheticè movere volunt, vel ob peccata accusando, vel Dei beneficia graphicè depingendo. Eadem etiam plenitudo occurrit in *Vaticiniis* ac *Historiis* S. literaturæ. Deniq; hæc S. styli plenitudo, cum magna Brevitate contemperata, ejus summam perfectionem vivis quasi coloribus depingit. Unde Aphorisma illud sacrum, *Theologia & plurima est, & minima* : *S.* Literatura plenissima amplissimaq; est, & tamen maximè concisa.

9. Alter *S.* styli character, est ejus *Castitas.* Hæc à Rhetoribus dicitur εὐφημισμὸς: quem *Eustathius* sic describit, εὐφημισμός ἐστι τὸ σῆμα ἀγαθῇ κλήσει πεπεδέλλον τὸ φαῦλον, *Euphemismus est figura, quæ malum sub nomenclatura bona obvolvit.* Quod Rhetores sic fusiùs explicant : ‘ *Euphemismus* est ‘ appellationis, quæ est mali ominis, aut ‘ alioqui auribus odiosa, mutatio in aliam, ‘ quæ sit boni ominis, aut certè non itidem ‘ aures offendere possit. Tali sanè *Euphemismo S.* scriptura maximè gaudet. Quàm alienus est *S.* stylus ab omni εὐτραπελίᾳ & turpiloquio ? Immo quàm verecundè describit res alioqui obscænas ? R. *David Kimhi* de hebræo V. T. stylo dicit, ‘ Nullum

‘ voca-

‘ vocabulum proprium in lingua illa deputa-
‘ tum esse ad aliquam turpitudinem, aut
‘ fœditatem ; sed per aliquas circumlocu-
‘ tiones illas exprimi.

10. Ultimus S. Scripturæ Character ratione styli, est ejus *Proprietas* ; quæ consistit in variis dictionum, phrasium, ac sententiarum *Idiotismis*, præsertim Hebraicis, quos doctissimus interpres verbatim satis accuratè haud exprimat. Et id quod hanc S. styli proprietatem maximè commendat, est quòd nullam habeat *Insolentiam* incongruam sibi adjunctam. Etsi enim aliqua phraseologia in nostra lingua videatur insolens, in textu tamen originali, præcipuè hebræo, est usitatissima, immo suam habet elegantiam & venustatem. Sic in stylo N. Testamenti Græci aliquæ phrases paulò insolentiores videantur ; quæ tamen penitiùs explorranti *hebraismos* esse apparebit, non sine magna venustate & Gratiâ assumtos. Stylus sanè iste maximè proprius est, qui rebus, & personis, de quibus tractat, maximè convenit : Decorum enim summa eloquentiæ virtus est : & ex ipsa arte oratoria discimus, unius linguæ Idiotismos alterius ineptias, & insolentias esse. Quare non mirandum est *S.* Literaturæ stylum suos proprios idiotismos habere, qui aliis linguis insolentiæ videantur.

Tales sunt *S.* styli characteres singulares taleq; ejus temperamentum mirandum ac perfectissimum. Tanta est ejus *Simplicitas* cum *Profunditate* ; tanta *Mediocritas* cum *Majestate* ; tanta *Humilitas* cum *Altitudine*

tant

tanta *Nuditas* cum vivis coloribus; tanta *Ruditas* cum δεινότητι & *efficaciâ*; tanta *Brevitas* cum *Plenitudine*; tanta *Varietas* cum *Proprietate* conjuncta, ut nemo ejus perfectionem satis admirari possit. Optimè *Beza* in 2 Cor. 11. 6. de *Pauli* stylo. Quamvis inquit, nativa & germana masculæ facundiæ ornamenta *Paulo* non defuerint, fateor tamen illum fucatæ illius Rhetorices pigmentis uti noluisse. Sed cùm orationis ipsius totam indolem & χαρακτῆρα propriùs considero, nullam ego in ipso Platone similem grandiloquentiam, quoties illi libuit Dei mysteria detonare; nullam in Demosthene parem δεινότητα comperisse me fateor, quoties animos, vel metu divini Judicii perterrefacere, vel commonefacere, vel ad contemplandam Dei bonitatem attrahere, vel ad pietatis ac misericordiæ officia constituit adhortari: nullam deniq; in ipso Aristotele & Galeno, præstantissimis alioquin artificibus, magis exactam docendi methodum invenio. Qui plura de *S.* styli characteribus desiderat, Consulat Glass. philolog. *S.* 1. Tract. 1. part. 1. & 2. unde memet plurima extraxisse haud diffiteor.

CAP.

CAP. VI.

De S. Scripturæ perfectione, quatenus est Regula in genere.

SECT. I.

De Traditionibus Judaicis & Pontificiis. S. Scriptura est Regula adæquata.

SAcræ scripturæ *Perfectione* ratione *Formæ* sive styli excussâ, & demonstratâ restat ut ejus Perfectionem ratione *Materiæ* demonstremus. *S.* scriptura ratione *Materiæ* dupliciter potest considerari; vel quatenus *Regula*; vel quatenus *Instrumentum* spiritûs *S. Effectivum* est. Utroq; modo perfectissima est, utî ex sequentibus patebit.

S. scrip

ſcripturæ Perfectio, quatenus eſt regula,
nni eccleſiæ ſæculo acriter impugnata fuit
Satana, ejuſq; ſectatoribus, ſtratagemate
raditionum, Inventionumq; humanarum.
dæi, in ipſorum declinatione, ſuas habuerunt
aditiones quas תורה שבעל פה i. e, τὸν
ςόμαν νόμου, *legem oralem* nominarunt;
aliquando eaſdem appellant *Traditiones*
niorum, uti Marc. 7. 5 Perſuaſerunt enim
ebi credulæ, haſce Traditiones non eſſe
lege præſcriptas; ſed tamen à Deo *Moſi*
aditas; deinde à *Moſe Joſuæ*, ejuſq; Aſſeſſo-
ous; à quibus demum ad *prophetas* tra-
ctas fuiſſe; à Prophetis autem, traditas
iſſe *Eſræ*, & ejus coadjutoribus: Deinde
rò, parentum manuductione & commemo-
tione, ad poſteros tranſiiſſe, & tandem
iquando in libris *Talmud* conſcriptas
conſignatas fuiſſe. Ita *Schindlerus* in
תור. 'Rabbini faciunt duas Leges;
Legem in Scriptura, & Legem in
re. Per Legem *ore traditam* intelligunt,
Scriptæ Interpretationem; quam *Moſes* ex
ore Dei acceperit, in Monte *Sinai*, in Ta-
bernaculo Conventûs, & in Campeſtribus
Moab. Et ex ore *Moſis Joſua:* ex ore
Joſuæ Seniores, inter quos *Caleb*: à Senio-
ibus *Prophetæ*, &c. quæ tandem & ipſa
cripta fuit, & in *Talmud* continetur. Has
raditiones *orales* poſteriores Hebræi קבלה
bala nominarunt; quæ vox impræſentia-
m Traditionibus μυςικωτέρως ſolis attri-
itur. Hanc legem *oralem* antiquiores Ju-
i non legi ſcriptæ æqualem, ſed tantùm
ſdem interpretamentum eſſe voluerunt.

Aſſerunt

Asserunt enim תורה שבעל פה פירוש לתורה שבכתב, *Legem oralem esse i terpretamentum legis scriptæ.* Tandem ve suas Traditiones ἀγεάφους non solum æqua divinæ Legi, sed & præponere cœperunt. U de illud Rabbinicum dictum satis prodigi sum; *Plus est in verbis Scribarum, quàm verbis Legis.* Sed Traditiones hæ adultâ
Mat. 15. 9. perstitione & mendaciis coloratæ, à domi
Mar. 7. 3, nostro nuncupantur Mat. 15. 9. & M
5, 7, 8. 7. 7. *Traditiones, Inventa, & mandata minum*; utpote à *Pythagoræis*, vel saltem Hebræis apostatis fabricatæ. Verum *Pharisæos* asseruisse has *Traditiones* à *sen ribus* esse traductas, utî Mar. 7. 3. 5. Dominus noster vult, *v.* 7, 8. eas esse *Do mata & Institutiones hominum*, i. e, ut hi videtur, *Pythagoræorum*; quorum Do mata & Superstitiosas Ceremonias imbib rant Judæi. Nam tunc temporis Theol gia ac Philosophia *Pythagorica* maximè rifit Judæis, præsertim Pharisæis. Ac *Pythagoræ* maximam, saltem meliorem Philosophiæ partem, à *Judæorum* Theolo traduxit, (utî *Court of the Gent.* P. 2. B. C. 5. fusiùs demonstravimus;) ita Jud miserrimâ quâdam superstitione dementa quamplurimas ceremonias, quippe suis a qua ex parte cognatas & similes, à *Pytha ræis* imbiberunt.

Nec minùs impugnata fuit *S.* scriptu perfectio à *Pontificiis*; qui suas *Traditio Evangelicas inscriptas*, non solùm æqua sed & præponere *S.* scripturæ ausi sunt. S eorum fraus citò & optimè detecta fuit

Testi

eſtibus veritatis. Ita *Fratres Valdenſes*, referente *Æneâ Sylvio* fol. 149.) 'Notum facimus, quod ideo multas conſtitutiones & conſuetudines, ordinationes & inventiones non continemus, quia in errorem ſunt, & everſionem fidei, & æquitatis, ex qua deſcendunt præcepta Dei, &c. ita *Wiclefus*, *Art. in Conc. Conſt. damn.* 'Papa, inquit, & ſui complices ſunt Scribæ & Phariſæi, claudentes regnum cælorum --- & principalis hujus ratio eſt *nequitia Traditionum*, quas edidit Antichriſtus. -- Omnes humanæ Traditiones, quas lex evangelica non docet ſunt ſuperfluæ. Non licet Chriſtiano, poſt plenam publicationem legis Chriſti extraneas ſibi leges condere ad regimen eccleſiæ Chriſti --- Videtur mihi quòd omnes adinventiones hominum, præter fidem Scripturæ, ſunt ſecundùm plùs vel minùs culpabiles. Sed omnes haſce Traditiones, tum *Judaicas* tum *Pontificias*, eſſe non ſolum inutilia ſed & pernicioſa hominum inventa, in quibus ſibi divinam uſurpant autoritatem, ex ſequentibus ſatis liquebit.

S. ſcripturæ perfectio, quatenus regula eſt, tum in *genere*, *tum in ſpecie* demonſtrari poteſt. In *genere*, *S.* ſcripturam eſſe regulam perfectiſſimam exinde patet quòd omnes proprietates regulæ abſolutiſſimæ ei conveniunt.

1. *Regula* eò magis *perfecta* eſt, quò magis *adæquata* & *commenſurata* rei *regulatæ* eſt. Regula enim menſura eſt; inde κανὼν dicitur: Menſura autem inadæquata non propriè

propriè est mensura. Unde illud *Platonis*, *Re-pub.* 6. μέτρον τῶν τούτων ἀπολεῖπον, οὐ πάν μετρίως γίγνεται, ἀτελὲς γὰρ οὐδὲν οὐδενὸ μέτρον. *Talium mensura defectiva non e mensura: Imperfectum enim nullius est mensura.* S. igitur scriptura est mensura ac Regula maximè perfecta; quia rebus regulatis maximè commensurata est. Porrò id commensuratum dicitur, à *quo nihil demi & cui nihil addi potest.* Ita definitur *Regula à Phavorino*: κανών ἐστι μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον, *Regula est mensura infallibilis, nullam additionem vel detractionem admittens.* Omnem regulam esse additionis & diminutionis expertem, patet ex eo quòd sit una, ac indivisibilis: aliter enim non mensurat regulatum. Talis quidem *S.* scripturæ *Commensuratio* & *Perfectio* est. Cùm enim *S.* scriptura ad hoc destinata sit, ut fidem ac obedientiam hominibus ingeneret, ejus Perfectio in hoc posita est, ut nihil illi desit earum rerum, quæ sunt ad id præstandum absolutè necessariæ. Hinc omnes illi textus S. qui demonstrant scripturæ *sufficientiam* ad salutem, ostendunt nullam aliam Regulam expectandam esse, unde Dogmata vel *fidei*, vel *moris* peti debent. Sed *Adæquatio* hæc Verbi Dei, vivis coloribus depingitur, *Psal.* 119. 96. *Omni Perfectioni video esse finem; sed Lex tua valde lata est.* Vox תכלה primario *Consummationem*, deinde *Perfectionem* significat, à כלה *Absolutus*, *Perfectus*, *Consummatus* est. Quasi dixisset *Psaltes*; nihil unquam vidi,

Psal. 119. 96.

i, aut inveni tam conſummatum & per-
tum, quod periodum ac terminum non
uit, vel habebit: *Sed Lex tua valde lata*
Hebr. רחבה *ampliſſima, ac maximè com-*
henſiva; nec finis aut terminus eſt ejus
fectioni. Etſi enim præceptorum finis
dem ac certus numerus eſt, nihilominus
i, qui ex illis oriuntur, ſunt infiniti, ut
hi notat: Ita perfectio illa, quæ nega-
de omnibus aliis creaturis, affirmatur
Lege Dei. Hinc ſcriptura *S.* ab Hebræis
goricè nominatur, כלה *Sponſa*, propter
mam & admirabilem ejus *Abſolutionem,*
Perfectionem; à כלה, vel כלל *abſolvit,*
cit, utî R. *Bechai*. Et ſanè tanta eſt *S.*
pturæ *Latitudo*, ut in ſe contineat totam
logiam Chriſtianam. Inde eſt, quòd vel
ima *additio*, vel *diminutio* prohibeatur,
t. 4. 2. *Non addetis*; quod *ſufficientiam*
i Dei ſatis indicat. Idem 2 Tim. 3. Deut. 4.2.
7. Prov. 30. 6. Inde ſequitur, *nec de-*
tis ab eo: Omne enim verbum Dei purum
ac utile, utî 2 Tim. 3. 16. Plenitudo
S. ſcripturæ ejus perfectionem abunde
onſtrat: Nam *perfectum* dicitur *quod eſt*
um ſui; cui nihil addi, & à quo nihil
debet. Et talis quidem eſt *S.* ſcriptu-
Sed objiciunt *Sociniani & Pontificii,*
intercidérunt quidam libri, quorum fit
io in veteri Teſtamento. Huic Objecti-
reſponſio eſt Duplex. (1) Negando
em librum in canonem relatum inter-
ſe. Etſi enim aliquis liber à propheta
tus intercidit, non inde ſequitur, illum
m canonicum, aut à propheta, quate-

nus

nus propheta eſt, ſcriptum fuiſſe; multa enim ut *privati*, & dixerunt & fecerunt, nec impoſſibile eſt, quin & ſcripſerint prophetæ. Immo de *Solomone* conſtat, eum ſcripſiſſe quamplurimos libros *philoſophicos*, peræq; ac *ſacros:* Et cur non idem de aliis Hagiographis concedi poteſt? (2) Conceſſo hoc, aliquem librum à propheta ſcriptum intercidiſſe, inde non ſequitur, aliquam S. Canonis partem eſſe exciſam aut diminutam; ſed potiùs ſequitur, idq; neceſſariò, illum librum nihil ad ſalutem ſcitu neceſſarium continere, quod in libris canonicis, qui extant non continetur. Diſtinguendum enim eſt, de Hagiographorum *ſcriptis*; quæ vel *Materialiter* ſolùm, vel etiam *Formaliter ſacra* & *Divina* ſunt. *Materialiter* ſacra ſunt, quæ *materiam* ſacram continent: *Formaliter*, quæ non ſolum materiam ſacram tractant, ſed & à Deo immediatè *inſpirata*, *conſignata*, & eccleſiæ, in certum Canonem & Regulam fidei ac morum, *tradita* fuere. Dicimus igitur, talem librum *formaliter* ſacrum, i. e, divinitus inſpiratum & in Canonem ſive Regulam fidei conſignatum, non intercidiſſe; etſi aliquis liber à Propheta ſcriptus & *materialiter* ſacer, fortean intercidit. Interciſio enim hæc occultâ Dei providentiâ evenit; & ideo nunquam eveniſſet, ſi in illo libro quidpiam fuiſſet ad ſalutem cognitu neceſſarium, quod non in libris canonicis traditum eſt. Sed objiciet alter; *Dari quamplurima in S. ſcriptura ad ſalutem ſcitu non neceſſaria; ergo demi poſſunt.* Reſpondemus: Veritates S. ſcripturâ contentas

tas duplicis eſſe generis: *Quædam ſunt ſcriptæ, quia neceſſariò credendæ ſunt; aliæ neceſſariò ſunt credendæ, quia ſcriptæ ſunt.* Veritates ſcriptæ, quia neceſſariò credendæ, ſunt omnes illæ, quæ *Fœdus Gratiæ*, & quicquid ad illud neceſſariò pertinet, conſtituunt; Tales veritates evangelicæ ſunt fidei eſſentiales. Aliæ autem veritates ſcriptæ ſunt, & *Hiſtoricæ*, & *Typicæ*, & *Propheticæ*, & *Politicæ*, & *Oeconomicæ*; quæ ad fœdus Gratiæ non neceſſariò pertinent, ideoq; non ſunt ſcriptæ quia neceſſariò ſunt credendæ; attamen neceſſariò ſunt credendæ, quia ſcriptæ ſunt. Non enim ſemper eſt æqualis neceſſitas credendi ea, quæ, ut crederentur, æqualem habent rationem. Ita, utcunq; non ſit æqualis neceſſitas veritatum credendarum, æqualis tamen eſt ratio cur crederentur omnes veritates ſacrâ ſcripturâ contentæ; Autoritas enim divina, quâ ſtabiliuntur, una eſt aç eadem. Ac ſicut, qui nummos Regales vel in minimo diminuit, reus eſt læſæ Majeſtatis; eodem modo, qui Dei verbum vel in minimo diminuit, læſæ Majeſtatis Divinæ reus eſt. Hinc patet S. ſcripturam eſſe regulam adæquatiſſimam ac perfectiſſimam; quia conſiſtit in *indiviſibili*, i. e, ita comparata eſt ut ne minimùm augeri, aut diminui patiatur.

SECT.

SECT. II.

De S. ſcripturæ prioritate.

2. ALtera *S.* ſcripturæ, ut Regulæ perfectiſſimæ Proprietas, eſt ejus *Prioritas*. *Primum in quolibet genere eſt menſura omnium, quæ ſub eo genere continentur* : Ideoq; *quò prior eſt regula, eò perfectior eſt. Regula* enim, quà talis, continet omnes Perfectiones *Regulati* : Multa poſſunt eſſe in *regula*, quæ non ſunt in *regulato* ; ſed nihil eſſe debet in regulato, quod non poſſit exigi ad regulam. Unde regula eſt prior regulato. Porrò omnis Regula, quà talis eſt, habet rationem *cauſæ Exemplaris* ; atq; adeo *prior* eſſe debet regulato : & quantò prior eſt, non ſolùm ipſo regulato, ſed & omnibus regulis inferioribus, tantò perfectior eſt. Prima juſtitiæ regula eſt Deus ipſe, qnatenus *primum Juſtum* : Ipſe enim nullam habet regulam, niſi ſeipſum, ad ſuas actiones menſurandas ; cùm autem Dei eſſentia à nobis nimis remota ſit, ideo nobis dedit voluntatem ſuam *S.* ſcripturâ patefactam, ut regulam primam ac perfectiſſimam noſtræ *Fidei* ac *Juſtitiæ*. Nec ſanè datur regula creata prior *S.* paginâ. Sive enim ordinem *Temporis*,

poris, ſive *Naturæ*, ſive *Dignitatis*, ſive *Cognitionis* reſpicimus, *prioritas* S. ſcripturæ multùm præferenda eſt. (1) S. ſcripturæ *prioritas* ratione *Temporis*, ex eo luculenter demonſtratur, quòd quinq; *Moſis* libri ſcripti & conſignati fuêre, longè antè ullos libros *Poetarum*, *Hiſtoricorum*, aut *Philoſophorum*. (2) S. ſcripturam priorem eſſe ordine *Naturæ* omnibus aliis regulis humanis, ex ejus *Cauſalitate* liquet. *Id enim eſt prius Naturâ, quod eſt cauſa alterius.* Ideo *Metaphyſicæ* principia dicuntur eſſe naturaliter priora, omnium aliarum ſcientiarum principiis; quia alia principia ſuum lumen ac evidentiam à *Metaphyſicæ* principiis accipiunt. Eodem modo S. ſcriptura prima Regula dicitur; quia omnes aliæ regulæ humanæ, tum *philoſophicæ*, tum *politicæ*, tum *eccleſiaſticæ*, ſuum lumen ac æquitatem à S. ſcriptura mutuantur, utî demonſtratum fuit, in *Atrio Gentium*. (3) Nec minorem prioritatem ſibi vendicat S. ſcriptura ratione *Dignitatis*. Illa enim eſt regula *digniſſima*, quæ hominem ad finem præſtantiſſimum, modo præſtantiſſimo, ordinat. At talis eſt S. ſcriptura, utî *Moſes* exprimit, *Deut.* 4. 5, 6, 7. (4) Deniq; *Regula eſt regulato prior cognitione*: debet enim notificare regulatum. Ita *Phavorinus*: Κανὼν, λόγος ἔντεχνος δηλωτικὸς *Canon eſt Ratio artificialis manifeſtativa*, Id autem, quod nos in alterius cognitionem deducit, ut tale, notius eſt eo in cujus cognitionem nos deducit. Unde definitur menſura, Μέτρον ἐστιν ᾧ πόσον γινώσκεται, *Menſura* (ſive regula) *eſt, quâ menſuratum cognoſcitur. Ariſt. Metaph.* 10. Unde regula dicitur *Norma*

ma (cujus origo eſt græca) quaſi γνώϱισμα, eò quòd faciat aliquid cognoſci: Quare *Norma* ſemper notior eſt *normato*: & quò notior, eò perfectior eſt. Hoc optimè convenit verbo Dei. S. ſcripturæ *prioritas*, ratione *Cognitionis*, ex eo demonſtratur, quòd habeat ſe ad modum *primi principii*, reſpectu omnium *concluſionum* Theologicarum. Nam ut prima cujuſlibet ſcientiæ principia, ſunt in ſe maximè cognoſcibilia, quia ſuum ſecum lumen ferunt, idémq; omnibus ejuſdem ſcientiæ concluſionibus conferunt: Ita S. ſcriptura ſuam evidentiam præ ſe fert, quam omnibus fidei concluſionibus, à ſe pullulantibus, communicat; nec vel minimam luminis ſcintillam, ab ullo, niſi à ſuo autore, mutuatur. Hæc S. ſcripturæ *prioritas*, quatenus regula eſt, optimè depingitur, Eſa 8. 20. *Ad legem, & ad teſtimonium; ſi non dixerint ſecundùm hoc verbum, non eſt in illis lux aliqua*; vel, ut alii, *cui non eſt aurora*. Per שחר *Auroram, Lumen Gratiæ*, ejuſq; effecta ſignificari pro certo ſtatuitur. Hæc *Aurora* de aliquo *Subjecto* negatur: Sed de quonam, inter interpretes magnopere diſputatur: Aliqui de *hominibus*; alii de prava doctrina *Pythonicos* conſulentium, *Auroram* hanc negatam eſſe volunt. Si ad *homines* referatur, textus hebræus ſic vertendus eſt: *Ad legem, & ad teſtimonium: ſi non dixerint ſecundùm verbum hoc, non erit illis aurora.* Verſio hæc cum ſenſu bene conſpirat; attamen literæ textûs hebraici non omnimodo conformis eſſe videtur aliquibus. In textu enim eſt, לו *illi*, non להם illis. Nec

Eſa. 8. 20.

per

per relativum *Qui* præcedentibus id cohæret. Præcedit quidem *Verbi* mentio; ſed per hoc non poteſt intelligi idem, quod per *legem ac teſtimonium* intelligitur; ita enim ſenſus exſurgeret maleſanus, nimirum in eo *verbo* non eſſe *Auroram*. Quare alii commodius interpretamentum volunt eſſe, ſi totum hoc modo explicetur: *Ad legem & ad Teſtimonium*, i. e, huc huc recurrendum eſt; & hæc conſulenda ſunt Dei inſtitutione. אם לא *Si non*, [vel, *ſin minùs*, ſi noluerint quæſitum ire ad legem, & teſtimonium veritatis divinæ] *Dicant*: [Conceſſio Ironica, cum indignatione conjuncta: *dicant* ſanè, quia aliter nolunt, etiam ſæpiùs, ſeriòq; moniti; *Dicant* inquam] *Secundùm verbum hoc*, nimirum *Cui non eſt aurora*, i. e, ne minima luminis divini ſcintilla. Inde ſequitur v. 21. *Et tranſeat per eam* [*terram*] *induratus & eſuriens*, &c. Ita *Glaſſius*, & alii. Ex hoc igitur, quod aſſerit propheta, *verbum* illud impii populi, quo dicebant, conſilium quærendum eſſe à *Pythonicis*, & non à *lege*, & Teſtimonio, *verbum eſſe ſine aurora*, ſeu expers luminis Divini; ex hoc, inquam, neceſſariò ſequitur, idq; ſecundùm prophetæ mentem, in ſolo verbo Legis & teſtimonii Dei inveniri poſſe illam *Auroram* Luminis divini, quæ mentes, ſpiſſis ignorantiæ tenebris obvolutas, irradiare poſſit. Interpretamentum hoc, quoad rem & ſenſum idem eſt cum priori: & utrumq; pariter S. ſcripturæ *prioritatem*, præ omnibus aliis regulis, vel *Philoſophicis*, vel *Politicis*, vel *Eccleſiaſticis*, ſatis demonſtrat.

SECT. III.

De S. Scripturæ Autoritate.

3. PRoxima S. ſcripturæ, quatenus norma eſt, Proprietas, eſt ejus αὐθεντία, ſive *Autoritas*; quæ ejus perfectionem maximè evincit. Nam, ſicut in *Politicis*, non cuilibet licet regulam juris præſcribere; ſed hoc privilegium eſt ſolummodo *Summarum Poteſtatum*, vel *Supremi Principis*; cujus Autoritate omnes leges ac regulæ politicæ conſtitutæ, & ſancitæ ſunt: Eodem modo in *Theologicis* & *Eccleſiaſticis*, non eſt cujuſlibet regulas & conſtitutiones ſtabilire; ſed hoc Dei eſt *prærogativa*, qui ſolus Eccleſiæ *Legiſlator*, in eis quæ ad fidem & cultum pertinent, agnoſcitur. A Deo igitur ipſo S. ſcriptura ſuam habet αὐθεντίαν & *Autoritatem* publicam; ideoq; hac etiam ex parte omnibus aliis regulis *humanis*, & *eccleſiaſticis* eſt anteponenda. Quò enim magis authentica eſt regula, eò magis perfecta eſt. Scriptura autem norma maximè *authentica* eſt; quia Dei autoritate eſt donata. *Philoſophi*, nec non *Politici* quidam, tantam autoritatem legibus humanis, communi ſuffragio ſtabilitis, adſcribunt, ut *Magiſtratum* Legis

Legis ſolummodo *Servum* vel *Conſervatorem* eſſe voluerint. Ita Lex nominatur à *Platone*, Δεσπότης ἢ ἀρχόντων, *Dominus principum*; οἱ δὲ ἄρχοντες δοῦλοι τῶν νόμων, *Principes autem ſervi legis*; Idem *Ariſtot.* pol. 4. 4. Δεῖ τὸν νόμον ἄρχειν πάντων, *Lex debet omnibus imperare.* Taliſne eſt αὐθεντία legum humanarum? Quanta tunc eſt Autoritas legis Divinæ S. ſcripturâ comprehenſæ? Nonne omnes leges humanæ ramuli particulares hujus Normæ Divinæ judicandæ ſunt? Nonne ipſam Autoritatem Dei ſibi appendentem habet hæc Regula *Regalis*? Unde illud, *Luc.* 16. 29. *Habent Moſen & Prophetas: audiant eos.* Ubi S. Literaturæ Autoritas, ut Regulæ maximè authenticæ, præfertur omnibus regulis privatis, tum miraculorum, tum hominum. Sed de αὐθεντία S. ſcripturæ Cap. 4. præcedenti ſatis dictum fuit.

SECT. IV.

De S. Scripturæ Rectitudine.

4. PErfectio S. ſcripturæ, ut regulæ, ex ejus Rectitudine patet. *Rectum enim eſt ſui index & obliqui*: quare quò magis recta quælibet regula eſt, eò magis perfecta eſt. Sic Κανὼν definiente *Phavorino*, eſt νόμος ἀπαράβατος, *Lex quæ errare nequit.* Unde *Philoſophi*, rationis filo ducti, rectam rationem communem actionum humanarum regulam conſtituerunt. Ita *Ariſt. Eth.* l. 2. c. 2. τὸ μὲν οὖν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττειν κοινόν, καὶ ὑποκείσθω. *Secundùm rectam rationem agere commune eſt*; *idq; ponatur.* Inde etiam *Mathematici* volunt, omne *Irregulare* reduci ad *Regulare*; omnéq; *Curvum* ad *Rectum*, tum reipſa, tum notitiâ. Sic oportet *Zodiacum* applicari & comparari ad *Æquatorem*, tanquam ad ſuam menſuram. Et ſanè hæc Proprietas maximè illuſtrat perfectionem S. ſcripturæ, quæ omnium regularum rectiſſima eſt. *Rectitudo* S. ſcripturæ variis encomiis deſignatur. *Pſal.* 19. 9. *Mandata Domini recta.* ישרים *Mandata com-*

Pſal. 19. 9.

commissa, à פקר *visitavit*, *posuit*, q. d. *deposita* fideliter servanda, tanquam regula exactissima, per quam, si quid à recto & justo deviatum sit, corrigatur. Inde Lxx vertunt, τὰ δικαιώματα *Justitiæ*; quia justum est maximè regulare & æquale, ut *Arist. Eth.* l. 5. c. 2. Idem clariùs exprimitur proximâ notione, *Recta. Rectitudo* hæc attribuitur mandatis Dei, ac paritate rationis toti scripturæ, duplicem ob rationem: (1) Ratione *finis*, quia hominem ordinant ad Deum, tanquam ad *finem ultimum* & perfectissimum. (2) Deinde ratione *mediorum*; quia hominem ad Deum *mediis rectissimis* ordinant. Immo, nonne dicam mandata Dei rectæ rationi esse consentanea; ideoq; omnimodo rectissima? In sacra enim scriptura nulla dantur ἀσύστατα, sive rectæ rationi *repugnantia*; utcunq; quamplurima sint supra captum rationis humanæ, immo & Angelicæ, uti Sect. 6. sequenti demonstratur. Idem asseritur *Psal.* 119. 128. Psal. 119. 128.

Propterea quòd judico omnia mandata, de omnibus, esse recta. כל פקודי כל *Omnia mandata omnis.* Sup. *rei.* Quo innuit, se, absq; ullo discrimine, omnia omnino *mandata*, ut rectissima probare. Idem significat Antithesis; *Odio prosequor omnem viam falsam.* Quo condemnare videtur obliquas rationes, & dolum malum *Politicorum*; qui, relictâ rectissimâ S. scripturæ regulâ, omnia ratione depravatâ ac detortâ mensurant, ac peragunt. Rectitudo S. scripturæ optimè depingitur *Psal.* 45. 7. *Sceptrum rectum est* Psal. 45. 7. *Sceptrum regni tui. Virga* seu *Sceptrum Chri-*

sti notat Verbum ejus salutare, quo Regnum & Ecclesiam suam ordinat. Sceptrum hoc dicitur esse *rectum*, מישור *Rectitudinis*, sive *Æquitatis*. Abstractum hîc pro *concreto*, sive *Substantivum* pro *Adjectivo*, non sine insigni emphasi, & energia ponitur. Sensus est: nullas obliquas rationes, nullos malos dolos, uti politicorum regulæ, in se continet; sed omnia ad Finem rectissimum, mediis rectissimis, dirigit. Idem explicatur, Heb. 1. 8, ubi *Sceptrum* Christi dicitur *Sceptrum Justitiæ*; non solùm *justum*, sed *justitiæ*, i. e, prima & perfectissima regula Justitiæ; inimo talis, quæ in se continet omnes rationes Justitiæ, & Rectitudinis. *Abstracta enim prædicantur de formis & essentiis.* Ita *Sceptrum* sive *verbum* Christi non solùm ordinat quod justum est; sed, quicquid justum sive rectum est ordinatur ab eodem. Regum Sceptra sive Instituta sunt adplurimùm detorta & prava; & si sint recta & justa, tamen non sunt *Rectitudinis* ac *Justitiæ*, i. e, omnis *Rectitudinis* & *Justitiæ* comprehensiva; sicut Sceptrum seu verbum Christi.

Heb. 1. 8.

Psal. 119. 138. Simile reperitur *Psal.* 119. 138. *Præcepisti justa testimonia tua, & fidelia valde: Justa* צדק *Justitia:* ואמונה *& veritas:* מאד *valde* tum ad *Justitiam*, tum ad *Veritatem* pertinet. Sensus est, Testimonia tua sunt omnimodò justa ac veracia; Justissima, immo omnis justitiæ & veritatis comprehensiva. Hæc Sacræ scripturæ *Rectitudo* optimè describitur, sub notione *Canonis*, Gal. 6. 16, Phil. 3. 16, ubi κανὼν viam rectissimam, & quasi ad regulam factam notat; vel ad *rigorem*,

Gal. 6. 16. Phil. 3. 16.

rigorem, ut loquuntur menſores. Alii tamen volunt vocem κανόνι, Phil. 3. 16, *lineam albam* in ſtadio, quæ viam curſoribus præfiniebat ac delineabat ſignificare: Quod ſanè ſenſui non repugnat, & cum præcedenti στοιχῶμεν optimè conſpirat: Hoc enim perpetuum & regularem vitæ *Tenorem* deſignat, ut *Cap.* 3.

SECT. V.

De S. Scripturæ Infallibilitate.

5. SAcra ſcriptura eſt Regula *Infallibilis* ac *Certiſſima*, ideoq; perfectiſſima. Conſequentiæ ratio eſt evidens: nam omnis *regula* debet eſſe certa ac infallibilis; aliter non certò menſurat *Regulatum*: Qualis enim regula, tale & regulatum eſt. Quare regulatum non poteſt eſſe certum & infallibile, niſi regula ſit talis. Inde, quo certior eſt regula, eò perfectior. Sacram autem ſcripturam eſſe unicam fidei regulam *Infallibilem*, ſic gradatim demonſtrari poteſt. Primò, Admittendam eſſe in Eccleſia Infallibilem aliquam fidei regulam, per quam vera à falſis certò diſtingui poſſint, ab ipſis Pontificiis

conceditur; & ratio eſt demonſtrativa: Nam ut quis teneatur articulis fidei infallibilem præbere aſſenſum, neceſſe eſt, ut proponens eos confirmet, per aliquam infallibilem fidei Normam. Secundò, nullam dari in mundo infallibilem fidei regulam, præter Sacram ſcripturam, eſt etiam manifeſtum. Omnes enim aliæ regulæ, vel ad *Traditionem*, vel ad *Rationem*, vel ad Eccleſiæ *Autoritatem* reduci poſſunt. Omnes autem hæ regulæ ſunt mutabiles & incertæ. Omnis Traditio nititur famâ: At, inquit *Tertullianus*, *Fama incerti eſt, locum non habet ubi certum eſt.* Idem de ratione humana, ac Eccleſiæ Autoritate dici poteſt, uti demonſtratum eſt, *Cap. 7. S. 1. 2.*

Scripturam autem eſſe regulam infallibilem & certiſſimam, tum ex ratione, tum ex ipſa Scriptura demonſtrari poteſt.

(1) *Ratione* demonſtratur; Quia æquam certitudinem habemus rerum à Deo revelatarum, ac earum quæ certiſſimè intelligimus. Omnis enim certitudo veritatis alicujus particularis pendet à Deo, tanquam à prima ac univerſaliſſima veritate; cujus Bonitas haud permittit nos decipi in rebus certiſſimis. Nonne S. ſcripturæ certitudo eâdem Veritate ac Bonitate Dei nititur? Nonne igitur tenemur credere, S. ſcripturas à Deo revelatas, æquè certas eſſe, ac res certiſſimas? In rebus quidem revelatis, quarum certitudo non nititur rebus ipſis, teſtimonium Dei infallibile eſt regula certiſſima: Nec poteſt firmiùs demonſtrari, teſtimonium aliquod eſſe infallibile, quàm quod

quod Dei ipsius Testimonium est. *Veracitas* enim Dei est fundamentum ac principium hujus Certitudinis aut Infallibilitatis, quæ ejus Testimonio attribuitur. Et ipsa Natura nos docet, *Primam veritatem* non posse nisi veritatis autorem esse. Ita, utcunq; res in S. scriptura revelatæ, sint inevidentes, & adplurimùm supra captum Rationis; tamen maximè evidens & rationi consonum est, eas, quia à Deo revelatas, esse certissimas. Ipsa enim ratio dictat, *Testimonium Dei*, qui nec falli, nec fallere potest, esse Infallibile ac certissimum. Quare, certitudo S. scripturæ, hac ex parte, non minor, ut ne dicam, major est, certitudine *Mathematicarum*, aut aliarum scientiarum certissimarum.

(2) S. scripturam esse regulam *infallibilem*, ex sùipsius testimonio, quod apud Christianos est ἀξιόπιστον, constat. Sic *Psal.* 19. 8. *Testimonium Domini certum est*, עדות *Testimonium*, à עוד *testari*; quia hoc Deus nobis suam testatur voluntatem; cui attribuitur certitudo summa; נאמנה *certum, fidele, firmum, sibi perpetuò constans*, à נאמן *firmum, fidum, stabile esse*; & hoc ab אמן *Aman*, unde *Amen* Adverbium confirmandi. Inde Testimonium sive verbum Dei dicitur *ipsa veritas*, Psal. 119. 142. *Lex tua est veritas:* אמת, quæ ab eadem radice pullulat; & in *abstracto* ponitur, pro *concreto*, non sine insigni emphasi; Quasi dixisset: *Lex tua ist tota Veritas & Infallibilitas*; immo omnem Veritatem ac Infallibilitatem in se eminenter, ac unitè continet; quate-

Psal. 19. 8.

Psal. 119. 142.

nus

nus tuam *Veritatem* ac *Infallibilitatem* ſibi adhærentem vendicat. Idem, Pſal. 119. 151. *Et omnia præcepta tua ſunt Veritas.* Iterum, *v.* 160, *Caput verbi eſt Veritas*; ראש primariò ſignificat *caput*, deinde κεφάλαιον, ſive *ſummam totalem* in numero. Quaſi dixiſſet: Totum verbum tuum ſimul ſumtum, ſine exceptione, eſt *veritas*: vel principalis qualitas verbi tui eſt *veritas* & *certitudo.* Aliqui ſic vertunt: *Præſtantiſſimum verbum tuum eſt ipſa veritas.* Alii ita; *Verbum tuum verum eſt ab initio*: Ita enim ראש aliquando ſignificat; & tunc ſenſus eſt talis: Verbum tuum ſemper verum fuit, atq; æternùm permanebit immotum ac infallibile. Hoc expreſſiùs declaratur, Commate 152, *Initio jam pridem cognovi de teſtimoniis tuis, quòd in æternum fundaſti ea.* Probat quod modò dicebat, *v.* 151. *& omnia præcepta tua veritas.* Pridem, inquit, mihi exploratum de teſtimoniis tuis, quòd illa ſint æternæ certitudinis, atq; infallibilitatis. יסדתם *fundaſti ea*, ſuam habet emphaſin efficaciſſimam: denotat enim immobile ac immutabile Verbi Dei ſtabilimentum. Veritas hæc immutabilis, peculiari ratione attribuitur Evangelio, Epheſ. 1. 13. *Audito illo ſermone veritatis illius.* Evangelium hîc, ut præcepta Dei, *Pſal.* 119. 151, 160, dicitur *Veritas*; quia nihil habet admiſtum *falſi*; quod Dogmata philoſophorum habent. Nominatur etiam *Evangelium ſalutis noſtri*; quia *via*, vel *regula* eſt infallibilis, quæ homines ad ſalutem æternam perducit. Deniq; S. ſcripturæ certitudo ac in-

Pſal. 119. 160.

Pſal. 119. 152.

Eph. 1. 13.

infallibilitas emphaticè exprimitur, *Luc.* Luc. 1. 1, 4.
1. 1. *Narrationem eorum, quorum plena fides facta est, inter nos actorum;* πεπληροφορημένων, de rebus, quæ satis atq; abunde nobis probatæ sunt, ac à nobis certissimè creditæ. Inde sequitur, *v.* 4. *Quò agnoscas eorum, de quibus institutus es, sermonum certitudinem:* ἀσφάλεια definiente *Phavorino*, est ἔγγραφος βεβαίωσις, *scripta confirmatio.* Inde ἀσφαλὴς, ἐδραῖος. ἀπὸ τ σφάλλω. Videtur alludere ad originationem vocum, אמונה, & נכינה; quæ & *firmitatem* & *fidem* significant; ut hîc ἀσφάλεια sit certissima, firmissima, & constantissima veritas, atq; fides, quæ, ob firmitatem assensûs, ὑπόστασις interdum dicitur: Est autem ὑπόστασις non simpliciter στάσις, seu *quies* mentis, sed *quies* etiam tum, quum irruunt, quæ mentem videntur *perturbare*, utì *Camero*. Sic 2 *Pet.* 2 Pet. 1. 19
1. 19. *Et habemus firmissimum illum sermonem propheticum;* βεβαιότερον, *firmiorem*, h. e, nostro privato testimonio, *v.* 18, & per consequens omnibus miraculis, ac Traditionibus Ecclesiasticis. *Privatæ*, ac particulares Traditiones, quas *Petrus* enarrat *v.* 18, fuerunt in se certæ, & non fallaces; sed non fuerunt fundamentum fidei; ideoq; verbum Dei, quod est immota fidei regula, hac ex parte vocatur *sermo firmior.* Inde sequitur: *quem bene facitis, quòd attendatis, velut lucernam splendentem in obscuro loco*, &c. Quibus innuit, verbum Dei (non miracula, non Traditiones Ecclesiasticas) esse immotam ac immutabilem, fidei ac morum regulam.

SECT.

SECT. VI.

De S. Scripturæ Uniformitate *ratione suiipsius, & Rectæ Rationis.*

6 ALteraS. scripturæ Proprietas, quæ ejus perfectionem, quatenus Regula est, demonstrat, est ejus συμφωνία, sive *Uniformitas*, ac *Unitas*. *Una enim ac eadem regula est mensura Homogenei, ac Heterogenei: homogenei per se, ac heterogenei per accidens*: Et quò magis *homogenea*, simplex ac unica regula est, eò magis perfecta est; Sic *Arist. Metaphys.* 10. 2. ὁμογένειαν *mensuræ* proprietatem facit. *Uniformitas* hæc S. scripturæ in eo consistit, quòd nihil sibi, nihil rectæ rationi repugnans in se contineat. Quòd S. scriptura nihil sibi repugnans habeat, ex ejus *Simplicitate* ac *Harmonia* patet. Quod enim *Simplicissimum* est, id maximè *Uniforme*, & sibi consonans est. Talis quidem est S. pagina: non dolosas philosophorum aut politicorum rationes sibi assumit; sed nativâ suâ majestate ac sinceritate gaudet. Ita *Paulus*, 2 Cor. 1. 12. οὐ κὸν σοφίᾳ σαρ-

2 Cor. 1. 12,13.

σαφηνῆ: Obliquè perſtringit *Obtrectatores*, ſuâ eloquentiâ & philoſophiâ turgentes. Inde ſequitur, v. 13. *Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ legitis, aut etiam agnoſcitis*, i. e, candidè, ſincerè, & ſine ullo fuco ſcribimus: nam qui tectâ aut fucatâ, oratione ſcribunt, meritò quidem dicuntur, *alia ſcribere, quàm quæ leguntur.* Idem de Uniformi verbi Dei ſimplicitate aſſeritur, 2 Cor 11. 3. *à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto:* 2 Cor. 11. 3. ἁπλότης hîc eſt *Sinceritas*, ſive *Puritas*, quæ nihil alieni admiſtum habet; quæ *Virginitati* priùs memoratæ, *v.* 2, reſpondet: ἡ εἰς τὸν χριστὸν, *quæ in Chriſtum*; contracta videtur eſſe phraſeologia, pro, *quæ in Chriſtum fertur*; Hæc corruptio fit quando Evangelium Chriſti doctrinis philoſophicis adulteratur, utî *Grotius.* Eadem ſimplex S. ſcripturæ Uniformitas optimè depingitur, 1 Pet. 2. 2. *Lac illud ſermonis ſincerum:* τὸ λογικὸν, i. e, ut Syrus, *Spirituale*; ἄδολον, hîc ſignificat *immixtum, non-adulteratum*, ac proinde *ſincerum.* Hæc ſimplicitas verbi Dei optimè exprimitur adagio illo ſacro, *Jer.* 23. 28. מה לתבן את חבר *Quid paleæ cum tritico?* i. e, Nihil commune habet verbum meum *purum, ſimplex*, ac *uniforme* cum adulterata pſeudoprophetarum doctrina. *Palea* hîc eadem eſt cum *Rapiditate*, ſeu *Levitate*, i. e, fucatâ pſeudoprophetarum oratione, *v.* 32. 1 Pet. 2. 2. Jer. 23. 28

Nec minor eſt S. ſcripturæ *uniformitas* ratione *Harmoniæ* ac *coherentiæ partium.* Ariſtot. *Rhet.* l. 3. c. 9. magnopere commendat *coherentiam partium* in Oratione, quam

quam nominat λέξιν εἰρμένην, καὶ τὴν συνθέσιν μίαν, *Dictionem tractam, ac copulatione unam.* Talis sanè cohærentia, non solùm *verborum*, sed & *rerum*, nullibi tam conspicua est, quàm in S. pagina; ubi adplurimùm oratio est *pendens*, seu *connexa*, utî loqui amant *Rhetores*; & partes ita inter se copulàntur, ut nihil ἀνακόλουθον, *hiulcum* aut *fragosum* occurrat. Immo tam admirabilis est conspiratio inter omnes S. scripturæ partes, ut unum corpus *continuum* & homogeneum esse videatur. *Plato, Phædr.* fol. 294. tradit hanc pulchræ orationis ὑποτύπωσιν, nimirum πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι, &c. *Ut tota oratio sit tanquam Animal, quod omnes partes ἀναλόγως, & aptè inter se cohærentes, habet*: Talis sanè est εὐάρμοστος S. scripturæ cohærentia, utî describitur,

Rom. 12. 6. *Rom.* 12. 6. κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *secundùm analogiam fidei*: τῆς ἀναλογίας notio, secundùm *Bezam*, duplicem admittit expositionem: nempe vel convenientiam five congruentiam quandam significat, vel id, quod antea, v. 3, μέτρον πίστεως vocârat. Nos utramq; expositionem simul conjungemus: & tunc sensus, qui optimè conspirat, tam cum contextu, quàm cum nostra thesi, talis erit; nimirum, Verum canonem, five regulam, *Prophetiæ*, i. e, Interpretationis scripturarum veræ à falsa discernendæ, esse Christianæ fidei *Axiomata ἀντόνυτα*, in ipsa Sacra scriptura, maxima cum συμφωνίᾳ, five harmoniâ tradita. Sicut enim (secundùm Platonem) oratio artificiosè composita, instar *Animalis*, habet omnes partes aptè dis-

positas,

positas, & nexu indivulso coadunatas, ita ut optima sit *Analogia* & *Convenientia* inter unam periodum & aliam; & inter id quod uno loco dicitur, & aliud quod altero loco exprimitur: Sic in S. scripturæ contextura tanta est *Analogia* & *Coherentia* omnium partium, ut quælibet alteri lumen ac sensum præbeat; adeo ut, qui *Spiritu Discretionis*, (hic *prophetia* dicto) imbutus sit, unam ex altera, idq; secundùm *Analogiam fidei*, interpretari possit.

Ac utì talis & tanta est S. scripturæ συμφωνία, & *Uniformitas* ratione suiipsius; ita nec minorem habet conformitatem ac convenientiam cum rectâ Ratione. S. scripturam multa in se Mysteria continere, quæ supra omnem rationis Humanæ, immo Angelicæ, captum longè transcendunt, nemo, qui Christiani nomine insignitus est, negare audeat; (quod plenius demonstraturus sum, *Cap. 7. Sect. 2.*) Attamen in eadem S. scriptura, nihil *rectæ Rationi* repugnans, nullàve δύσκατα dari, cum Orthodoxis audacter affirmo. Fides quidem non destruit rectam rationem; sed eandem elevat ac purificat, ad res supra captum rationis naturalis contemplandas. Sed ad *S.* scripturæ cum recta ratione conformitatem penticulatiùs trutinandam, Primò prælibandum est, Eundem Deum, qui nobis facultatem *Rationis* indulsit, etiam S. scripturæ Authorem fuisse: Quare ut in nos *lumen Rationis subjectivum*, ita in verbum suum *lumen Revelationis objectivum* inspiravit; nec minùs perfectum posterius quàm prius censeri debet. Secundò notandum est,

est, maximum esse discrimen inter dogmata, quæ supra rationem; & ea quæ contra rationem sunt. S. scriptura quamplurima in se dogmata comprehendit, quæ supra humanam rationem sunt; immo quæ eandem, ut nunc depravatam, magnopere oppugnant: & tamen nulla in se continet dogmata *rectæ Rationi* repugnantia. Sed ad hoc fusiùs explicandum, sciendum est, ea esse, non solùm supra sed & contra rationem, quæ ita inter se pugnant, ut seipsa invicem evertant; adeo ut *affirmatio* ac *negatio iisdem, secundùm idem*, ac *eodem tempore* conveniant. Talia sunt omnia Dogmata quæ contradictionem, vel *explicitam*, vel *implicitam*, i. e, oppositum in appositio, implicant. Hujus generis est Dogma *Transubstantiationis* apud *Pontificios*, & *Consubstantiationis* apud *Lutheranos*. In priori enim asseritur *corpus esse non-quantum*, in posteriori *corpus esse ubiq*; : quorum utrumq; contradictionem implicat. In sacra autem scriptura tale quid rectæ rationi repugnans nullibi exstasse, acriter contendimus.

At *objicunt* quidam, *Quædam esse in S. scriptura* ἐναντιοφανῆ, i. e, *quæ rectæ rationi repugnare videntur*; puta *Lunam esse Lumen majus*, &c. Huic objecto Respondetur, concedendo *Speciem* sive *Apparentiam* quandam *Repugnantiæ*, sed negando *realem repugnantiam* S. scripturæ inesse.

Ubi est vera realisq; ἀντίφασις, seu *Repugnantia*, ibi falsitatem aliquam subesse certum est. Ubi verò φαινομένη sive *apparens* tantùm datur ἀντίφασις, ibi non protinus res ipsa,

ipſa, tanquam falſa judicari debet. Sed hîc occurrit difficultas; *Secundùm quam regulam judicare debemus, num aliqua Repugnantia Vera ſit vel Apparens?* Reſpondeo (1) *Generatim*, Aliunde judicium rectum peti nequit, quàm ex illa Diſciplina, ad quam ſpectat Quæſtio controverſa. Diſciplina enim, quæ de Themate controverſo non agit, non poterit præbere canones, ſecundùm quos, de iſto themate controverſo, judicari debet. (2) *Speciatim* Reſpondemus, Non *Rationi humanæ*, ſed *Verbo Dei* committendum eſſe judicium de Repugnantiis Fidei. Fidei enim Articuli ſunt ſupra Rationem; ideoq; naturam eorum non percipit; Quare nec de iis eorúmq; contradictionibus judicare debet Ratio humana; uti *Meiſnerus, Conſid. Theologiæ Photinianæ*, Cap. 4 demonſtrat.

Sed replicant Maleſani aliqui: *Quod cum judicio noſtro pugnare videtur, ejuſmodi eſt quoad nos, ac ſi revera pugnaret; quare hæc diſtinctio inter ſpeciem Repugnantiæ & veram Repugnantiam non tollit difficultatem*, &c. Huic replicationi Reſpondemus (1) κατ' συγχώρησιν *concedendo*: In rebus *humanis*, quæ *ſpeciem contradictionis* habent, ſunt quoad nos unius ac ejuſdem Ideæ cum eis, quæ *revera ſunt contradictoria*; Attamen in rebus *divinis* non eſt par ratio: Nam ratio noſtra non eſt menſura veritatis divinæ, utcunq; ſit naturalis. Immo nonne multa ſunt, tum in *Naturalibus*, tum in *Artificialibus*, quæ cum Ratione noſtra pugnare videntur, & tamen reverà cum recta ratione non pugnant? Hoc fuſiùs demonſtrat, *Meiſnerus, Conſid. Theolog. Photin.*

Photin. Cap. 4. pag. 317, *&c.* (2) Respondet *Camero* (fol. 422.) Hanc differentiam esse *Repugnantiæ in Speciem*, & *veræ Repugnantiæ*; quòd quæ in speciem tantùm repugnant, repugnant collata inter se, non repugnant collata cum suo principio: Ita fieri potest ut sit *Species* contradictionis inter dogmata S. scripturâ contenta, quum inter se conferuntur; sed si conferantur cum suis principiis, nulla prorsus invenitur repugnantia. Itaq; humanus animus utrumq; dogma verum esse agnoscit; non potest tamen illa dogmata inter se conciliare. (3) Optimè hac ex parte respondet *Grotius* (de verit. Relig.) ' Quòd verò ad exiguas aliquas circumstantias, & ad rem nihil facientes attinet, facillimè fieri potuit, ut non desit commoda conciliatio; sed nos lateat, ob res similes diversis gestas temporibus, nominum ambiguitatem, aut hujus hominis, aut loci plura nomina, & si quid his simile est. Immo hoc ipsum scriptores illos ab omni doli suspicione liberare debet; cùm soleant, qui falsa testantur, de compacto, omnia ita narrare, ut ne in speciem quidem quicquam diversum appareat. Quòd si ex levi aliqua discrepantia, etiam quæ conciliari nequiret, totis libris fides decederet, jam nulli libro, præsertim historiarum, credendum esset. Plura videas apud *Hoornbeeck*, Socinian. confutati, *Tom.* 1. *Lib.* 1. *Cap.* 1.

SECT.

SECT. VII.

De S. Scripturæ Perſpicuitate.

7. ALtera Regulæ Proprietas eſt *Perſpicuitas* & *Claritudo*. Omnis enim regula debet eſſe *promulgata*, *expoſita*, & *nota* omnibus, qui ſecundùm eandem vivere tenentur; inde dicitur *Norma*, quaſi γνώϱισμα, *Indicium*; Regula enim ſive *Norma* indicat quid faciendum ſit: ideo debet eſſe *perſpicua*. *Perſpicuitatis* officium, definiente *Ariſtotele*, *Rhet.* l. 3. c. 2. eſt ποιεῖν τῇ μάθησιν ταχεῖαν, *efficere ut diſcamus celeriter*; cui opponitur *obſcuritas*, quæ Regulæ vitium eſt. Quare Regula *involuta*, *perplexa*, *obſcura* & *tenebricoſa*, quæ regulatum non notum facit, non propriè Regula eſt; Quò autem magis perſpicua & clara Regula eſt, eò perfectior eſt. Hæc Regulæ proprietas ſummo gradu S. ſcripturæ convenit: & quicunq; ſcripturam de *obſcuritate* accuſat, idem eam de *mendacio* etiam accuſat; Ipſa enim de ſeipſa teſtatur, quòd perſpicua ſit. Ita *Deut.* 30. 11. *Nam præceptum hoc, quòd ego præcipio tibi hodie, non eſt mirabile præ te,* לֹא נִפְלֵאת *non* Deut. 30. 11.

non ſeparatum eſt à te, i. e, à Cognitione & Intelligentia tua, ut non poſſis illud, præ *obſcuritate*, percipere. Inde ſequitur: *neq; eſt longinquum*, רחוקה: Hebræi ambigua & obſcura, & quæcunq; haud bene intelligi poſſunt, appellant *longinqua*; quia captum excedunt; quæ verò probè intelliguntur, *propinqua* nominant, uti bene notant *Glaſſius*, & *Gerhardus*. Hinc ſequitur Deut. 30. 14. *v.* 14. *Sed verbum hoc propinquum ad te valde, in ore tuo, & in corde tuo; ut id facias. Propinquum ad te valde*, i. e, perquam perſpicuum & clarum: *In ore tuo*, aut *pro ore tuo*, i. e ut ore tuo confitearis, uti *Rom.* 10. 9. Ita *In*, pro *Pro*, utitur *Moſes*, Deut. 9. 4, & 24. 16. *In corde tuo*, vel *pro corde tuo*, i. e, ad credendum corde tuo, *Rom.* 10. 9. Quod autem propinquum eſt *in ore* ad confitendum, *in corde* ad credendum, & ut homo ei per obedientiam fidei pareat, neceſſe eſt, ut id clarum & perſpicuum ſit. Eadem S. Pſal. 19. 8. ſcripturæ claritas palam aſſeritur, *Pſal.* 19. 8. *Teſtimonium Domini verax eſt, ſapientem reddens ſimplicem.* עדות *Teſtimonium*, oritur à עוד *teſtari*, quod arguit verbi Dei *perſpicuitatem*, quatenus eodem nobis voluntatem ſuam teſtatur. Idem demonſtratur ex *ſubjecto inſtructo*; dicitur enim ſapientem reddere *ſimplicem*, פתי LXX, νήπιον, quod hîc ſignificat *rudem* ac *imperitum*, qui quaſi in puerorum ordinem redigitur: non enim ad ætatem ſed ad conditionem ætatis refertur. Quomodo autem talis *ſimplex* Pſal. 119. 130. ac imperitus inſtrueretur à verbo Dei, niſi perſpicuum eſſet? Idem *Pſal.* 119. 130. *Li-*

men

men sermonum tuorum illuminat : & intelligentiam præstat parvulis, vel sic: *Aditus verborum tuorum illuminat, prudentiâ instruit simplices.* Dixerat *v.* 129. *Mirabilia sunt testimonia tua* : & deinde addit, *Limen*, seu *aditus*, *sermonum tuorum illuminat*, &c. quasi dixisset; Utcunq; verbum tuum sit mysteriis mirabilibus repletum, ipsis tamen, ad te audiendum limen ingressis, magnam perspicuitatem & claritatem præ se fert; immo imperitos & rudes, suæ sibi ruditatis conscios, verâ intelligentiâ instruit, & lætifico quodam splendore collustrat. פתח significat etiam *Introductionem* ac *Explicationem* ; & inde innuit, ipsa verbi Dei initia ac rudimenta tam perspicua ac clara esse, ut multum lucis tenebricosis ac cæcis alioquin hominibus adferant. Inde etiam *Esa.* 8. 1, Jubet Deus *Esaiam* volumen magnum accipere, & prophetiam suam ei inscribere *stylo hominis*, i.e, *stylo perspicuo* & *manifesto*, verbisq; tam claris ac notis, ut omnes, etiam simplices ac rudes, id quod erat scribendum, intelligerent. Deniq; *Paulus* aperto ore asserit, 2 *Cor.* 4. 3. *Si opertum est Evangelium nostrum, in eis qui pereunt est opertum*, &c. Quibus satis indicat, S. scripturæ obscuritatem non esse in ipsis rebus revelatis, sed in hominum animis. Ita *Socrates*, (*Plat. phædo.* 90.) Πρῶτον μὲν τοίνυν (ἔφη Σωκράτης) τοῦτο εὐλαβηθῶμεν, ὡς τῶν λόγων κινδυνεύει οὐδὲν ὑγιὲς εἶναι. ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ὅτι ἡμεῖς οὔπω ὑγιῶς ἔχομεν ἀλλ' ἀνδριστέον καὶ προθυμητέον ὑγιῶς ἔχειν : quibus docet *Socrates*, Verba sua haud obscura aut male-

Esa. 8. 1.

maleſana eſſe, ſed homines; & ideo elaborandum eſſe, ut ſani ſimus.

Attamen haud negandum eſt, dari in S. ſcriptura quædam δυσνόητα, *difficilia intellectu*, 2 Pet. 3. 16, Heb. 5. 11. Sed quibus talia ſunt? Nonne iis qui *Segnes ſunt auribus*, utî *Heb.* 5. 11? Et cur Deus ſapientiſſimo ſuo conſilio hoc permiſit, niſi ad hominis ſuperbiam reprimendam, ac ſtudium, meditationem, fidem, & precationem excitandam? Porrò in magnis fidei ac pietatis fundamentis tradendis, non niſi ſummâ perſpicuitate uſi fuere *Hagiographi*. Ita Deo ſapientiſſimo placuit quibuſdam S. ſcripturæ difficultatibus hominum ſuperbiam ac negligentiam retundere; & tamen, altera ex parte, ejus Facilitate & Perſpicuitate, homines maximè imperitos, ad ac ſtudium meditationem ejuſdem allicere. Optimè *Auguſtinus*, de Doctr. Chriſt. Cap. 6. *Magnificè & ſalubriter Spiritus S. ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de obſcuritatibus illis eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.* Nec oggerat curioſus quiſpiam: *Si S. Scriptura ſit tam perſpicua, quid opus eſt totcommentariis? Cur tot ac tantæ ſunt Diſputationes ac Sententiæ contrariæ de textu S. ac rebus ineodem revelatis?* Reſpondeo, (1) Commentarios quod attinet, non ſemperilli ad obſcuritatem removendam, ſed ad plenitudinem verbi Dei enucleandam adhibentur. (2) Quando Commentarii lumen aliquod *interpretativum* alicui textui affe-

afferunt, lumen illud non aliunde quàm ex ipſa Scriptura depromitur. (3) Ad varias hominum de S. ſcriptura ſententias quod attinet, (1) Hæ omnes ex Ignorantia, Superbia ac Inſtabilitate mentis humanæ oriuntur. (2) Deinde, Utcunq; fideles ac piæ mentes diſſentiant in aliquibus *concluſionibus* remotis, à Scriptura deductis; conveniunt tamen in *principiis*, ſaltem *fundamentalibus*; quæ ſunt in ſe perſpicua ac luminoſa. Pulchrè *Epiphanius*, Hæres. 76. πάντα σαφῆ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ τοῖς βουλομένοις εὐσεβεῖ λογισμῷ προσέρχεσθαι τῷ θείῳ λόγῳ. *Omnia ſunt perſpicua in divina Scriptura, eis qui volunt piâ ratiocinatione ad divinum ſermonem advenire.* Ex his patet, S. Scripturas non indigere *Interprete* humano, infallibili, utî volunt *Pontificii*; Sed id hoc in eis quæ ſequuntur.

SECT. VIII.

S. Scriptura eſt Regula Determinata.

8. HInc ſequitur altera Regulæ Proprietas, nimirum, ut ſit *Definita* ac *Determinata*. Nam quod Indeterminatum ac Infinitum eſt, etiam imperceptibile ac incomprehenſibile eſt. Ita *Ariſt.* Rhet. l. 3. cap. 8. ἀνδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον, *Infinitum enim injucundum, & non-cognoſcibile eſt.* Quod autem in ſe nec comprehendi, nec ſciri poteſt, id nullo modo poteſt eſſe regula alterius notificandi. Quare *Finitudo* & *Determinatio* eſt neceſſarium Regulæ Attributum; & quò magis finita ac limitata Regula eſt, eò magis perfecta eſt. Qualis igitur & quanta eſt S. Scripturæ hac ex parte, præ omnibus aliis *Regulis*, vel *Ethicis*, vel *Politicis*, vel *Eccleſiaſticis*, perfectio? Philoſophi ſuas habent Normas *Ethicas*, certis cancellis concluſas; *Juriſperiti* ſuum *jus civile*, determinatis voluminibus contentum; *Pontificii*

tificii, ſuum jus *Canonicum*, ſive Regulas Eccleſiaſticas, penè infinitas, ſed fallaces, ſed tyrannicas: At quàm indeterminatæ & perplexæ ſunt omnes hæ Regulæ præ S. Scriptura? Nonne omnes Regulæ humanæ ſuas habent exceptiones, quales non habet verbum Dei? Immo nonne ſunt Pontificiorum Regulæ, quas appellant *Canonicas*, ad unam omnes, indeterminatæ, & involutæ, inſtar naſi cerei, & Regulæ *Leſbiæ*? Sed nihil tale ſacræ Scripturæ inest. Termini ſunt clari ac perſpicui; ſenſus eſt unicus ac determinatus; omnia intra ſuos cancellos continentur. *S. Scriptura* eſt *Catholica* & *Determinata* fidei regula, non *Lesbia*, quæ ad libitum humani ingenii poſſit diſtorqueri: Nec poteſt pati ejus *Simplicitas* ullius mixtionis labem; aut ejus *Unitas* ullius diviſionis vulnus; aut ejus *Puritas* maculas.

SECT. IX.

S. Scriptura eſt Directiva & Correctiva.

9. ULtima & maximè propria Regulæ Proprietas eſt, ut ſit κανονικὴ, *Directiva*, & ἐπανορθωτικὴ, *Correctiva*. Sic definiente *Phavorino*, Κανὼν λόγος ἔντεχνος ὑλωτικὸς, ἀπευθύνων ὁμοιότητι πρὸς τὸ καθόλου τὸ διεσταλμένον τῆς λέξεως. *Norma* enim *eſt Index recti & curvi*; & quò magis rectum indicat, & curvum corrigit, eò perfectior eſt. Et talis quidem eſt S. Scriptura, utì *Pſal.* 119.

Pſal. 119. 24. 24. *Etiam Teſtimonia tua oblectationes meæ, & viri conſilii mei,* אנשי עצתי, *Viri conſilii mei*, i. e, *conſiliarii mei.* Elegans hîc ad verbum *Jehovæ* eſt Tranſlatio; cui perſona *Conſiliarii* tribuitur, ad demonſtrandam ejus efficaciſſimam in vîa ſalutis directionem. Nomen enim Subſtantivum איש *Vir*, quando aliud Subſtantivum in caſu genitivo regit, varias admittit ſignificationis emphaſes: Hîc denotat *Subjectum* reſpectu *Adjuncti*; & ſic, pro homine, facultate conſulendi & dirigendi eximiâ, donato uſurpatur; Sicut Exod. 4. 10. *Vir*

Ver-

Verborum, pro eloquente, & Pſal. 5. 7. *Vir Sanguinum*, pro ſanguinolento, & *Deut.* 13. 13, *Vir Belial*, pro nequiſſimo; ita hîc *Viri conſilii*, pro *optimis conſiliariis* ſumuntur. Eodem modo v. 105, *Lucerna pedibus meis, eſt verbum tuum, & lumen ſemitæ meæ.* Lucerna eſt optimum noctu *Lumen Directivum*: Idémq; fuit verbum Dei *Davidi*. Sed de hoc verbi Dei officio *Canonico*, plura capitibus duobus proximè ſequentibus.

CAP. VII.

De Perfectione S. *ſcripturæ, quatenus* Credendorum *Regula eſt.*

SECT. I.

Eccleſiæ Teſtimonium, ſive Traditio non eſt Regula fidei.

S. Scripturæ Perfectione ex generali Regulæ Idea ſatis explicatâ ac demonſtratâ, nunc ad ejus Perfectionem demonſtrandam ex *Rebus regulatis* progredimur. Ratione habitâ ad *Res regulatas*, omnis Regula eſt vel θεωρητικὴ, *Theoretica*, ſive *Doctrinalis*; vel πρακτικὴ, *Practica* ſive *Legalis*. Regula iterum *Legalis*, eſt vel *Moralis*, vel *Poſitiva*. Secundùm omnes haſce Regulæ habitudines, S. Scripturæ Perfectio demonſtrari

strari queat. Res enim, quæ S. Scripturâ regulantur, sunt vel *Doctrinales*, vel *Practicæ*; i. e, vel *Credendæ*, vel *Agendæ*: *Agendæ* iterum, vel ad *Mores*, vel ad *Cultum Divinum* referuntur. Hæc enim tria totum cujuslibet Religionis comprehendunt, (1) *Dogmata credenda*, (2) *Præcepta*, quæ mores formant, (3) *Ritus*, quibus cultus regulatur. In Christiana Religione hæc omnia, verbo Dei, tanquam unicâ ac perfectâ Regulâ, regulantur.

Primò, S. Scripturam esse perfectissimam ac unicam *Credendorum*, sive *Dogmatum* ad fidem pertinentium, Normam, ex sequentibus propositionibus, tum *Affirmativis*, tum *Negativis*, liquebit.

1 Prop. *Nulla Ecclesiæ Traditio, aut Constitutio, quà talis, est fidei Regula.* Dico, quòd *ecclesiæ Traditio* aut *Constitutio*, *quà talis*, i. e, *formaliter*, quatenus nititur solâ Ecclesiæ Autoritate, non est regula fidei: Ad quod explicandum, notatu dignum est, Testimonium Ecclesiæ sumi posse dupliciter, *Materialiter*, vel *Formaliter*: *Materialiter*, sive *objectivè* sumitur Ecclesiæ Testimonium, pro eo quod Testatur vera Ecclesia; nimirum pro *verbo Dei*, quod testatur & enarrat Ecclesia. Et hac sanè ratione Fides ordinariè non aliunde quam ex Testimonio Ecclesiæ oritur: *Fides enim ex auditu est*, Rom. 10. 17. Testimonium autem Ecclesiæ *Formaliter*, sumitur pro Autoritate Ecclesiæ testantis. Et sic negamus, *Ecclesiæ Testimonium aut Traditionem esse fidei Regulam.* Ratio-

nes ſunt hæ, (1) Omnis Regula fidei habere debet Autoritatem infallibilem ſibi appendentem : Omnis autem Autoritas Infallibilis eſt in ſuo genere ſumma : non enim habet ſuperiorem cui ſubjiciatur : Talem Autoritatem non habet Eccleſia, utì ſtrenuè demonſtrat *Janſeniſta*, *Abrege d'un Traicté, intitulé l'Illuſion Theologique.* Ita *Davenantius*, de *Jud. Controverſ.* c. 17. 'Noſtrorum ſen-'tentia eſt, tum ſingulos paſtores, tum con-'gregatos, eſſe errori obnoxios ; neq; eſſe in 'eccleſia militante ullum *Judicem viſibilem*, 'aut cœtum judicum viſibilium & externo-'rum, qui infallibiliter pronuntiat de ſenſu 'ſcripturarum, aut de dogmatibus ad fidem & 'cultum pertinentibus. Deinde, ipſi *Pontificii* concedunt, eccleſiam poſſe errare in moribus : unde & neceſſariò ſequitur, eam errare poſſe in fide. Immo eccleſiæ Duces, in omni Ætate, errori obnoxios fuiſſe, facilè patet. Sic ſub veteri Teſtamento, non modò inferioris ordinis Sacerdotes, ſed & ſummi, errabant. Ita errabat *Urias*, ſacerdos ſummus, artificium imitatus Aræ *Damaſcenæ*, juſſu Regis *Achazi*, 2 Reg. 16. 10, 11, 12. *Et exſtruxit Urias ſacerdos altare, omnino prout miſerat rex Achaz Damaſco*, &c. Sic 2 *Chron.* 33. 23. Idem *Mal.* 2. 7, 8, 9, de Sacerdotibus narratur : *At vos Sacerdotes receſſiſtis ab illa via, ut impingerent multi in legem*, &c. Sic Dominus noſter, Sacerdotes ſui temporis, *cæcos duces* in rebus fidei, vocavit ; & Auditores ſæpe monuit, ut ſibi caverent à falſa ipſorum Doctrina, *Joan* 11. 47, *&c.* Optimè *Davenantius*, *de Judice Contro.* C. 26. 'Aliquando

'qui

'qui apud nos, poteſtate, eruditione, mul-
'titudine, addo etiam ſanctitatis ſpecie præ-
'fulgent, apud Deum tamen, propter *Su-*
'*perbiam*, *Hæreſin*, & *Hypocriſin*, præ omnibus
'ſordent. Non igitur ſe prudentem oſten-
'dit, qui ex hiſce externis æſtimat veritatem,
'& fidem ſuam dirigit; ſed qui cum *Davide*,
Dei teſtimonia ſcrutatur, Pſal. 119. 98. (2)
Si Eccleſiæ Traditio ſit Regula fidei, ejus
Autoritas eſſet etiam fundamentum fidei;
ac inde crederemus, quia eccleſia credit. Et
quid quæſo ſolatii, pacis, aut ſecuritatis mi-
ſeris conſcientiis relinquetur, ſi fides, homi-
num ſolo judicio fulta, pendeat? Bene *Cal-*
vinus, de patribus: *Sic tamen in eorum*
ſcriptis verſamur, ut ſemper meminerimus,
omnia noſtra eſſe; quæ nobis ſerviant, non do-
minentur. (3) Si Eccleſiæ Traditio aut
Teſtimonium ſit Regula fidei, tota Religio
Chriſtiana eſſet incerta, immo monſtroſa,
abſurda, ac ridicula. Quàm ridiculum enim
eſt ſupponere, ſingulos credituros, quoniam
alii ſic crediderunt? Quàm monſtroſum &
abſurdum eſt, ſtatuere, magna & tremenda
Trinitatis, *Incarnationis*, &c. myſteria, ho-
minum ſolo Teſtimonio niti? (4) Nonne
Hypotheſis hæc, nimirum, *Quòd Eccleſiæ*
Teſtimonium eſt Regula fidei, aditum ad *Athe-*
iſmum efficaciſſimum aperiet? Suppoſito enim
hoc, quòd fides Divina menſuretur Teſtimo-
nio Eccleſiæ, tanquam regulâ ſuâ propriâ;
quali regulâ menſurari debet Teſtimonium
Eccleſiæ? Si *nullâ*, tum nihil ipſa habet ſu-
perius, immo nec Deum ipſum: Si aliquâ,
tum vel verbo Dei acquieſcendum eſt, vel

in infinitum progrediendum. Utrâq; ex parte Atheiſmus neceſſariò ſequetur. (5) Eccleſiæ Traditionem, aut Autoritatem, tanquam regulam fidei conſtituere, quid hoc eſt, niſi Eccleſiam Deum, ac privatos fideles Bruta eſſe ſtatuere? Ita *Davenantius*, de *Jud. fid.* c. 33. fol. 200. ‘ Sed ſcio quid ‘ malè habet Papiſtas noſtros: Quia *Prælatos Deos* non facimus, nec nudis eorum ‘ Aſſertionibus aut Decretis Chriſtianorum ‘ fidem alligamus; inde clamant nos privatum quemlibet in ſolium judiciarium evehere. Rurſus quia *Laicos Belluas* non facimus, neq; illis mentis ac Judicii ſui uſum ‘ interdicimus, vociferantur illico, nos privato ſpiritui ſingulorum, judicium de rebus divinis committere. Hæc ſunt ejus verba, aureâ ſcriptione digna. (6) Non poſſumus ſcire *An ſit*, aut *Quænam ſit Vera Eccleſia*, niſi ex verbo Dei: Ergo Autoritas verbi eſt prior autoritate Eccleſiæ. Optimè *Panormitanus*: *Magis*, inquit, *credendum laico, ſi Scripturas adferat, quàm Papæ & toti Concilio, ſi abſq; Scripturis agant.* Nec dubium eſt, quin cum Eccleſia vera optimè conſenſuri ſimus, ſi nos verbo Dei per omnia obedientes præſtemus. Sanctos viros ſic in judicando ſequimur, ut Dei verbum, quod illis præluxit, nobis nunc quoq; præluceat, utî *Calvinus*. Non igitur ex eccleſia Scriptura aut fides; ſed ex Scriptura eccleſia & fides æſtimanda eſt. Piè, *Cyprianus*: *Nec reſpiciendum*, inquit, *quid alii ante nos, aut dixerint aut fecerint; ſed quid, qui primus omnium eſt, Chriſtus præceperit.*

Optimè

Optimè *Optatus, Epiſcopus Milevitanus*: ‘Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes ‘contentioſi homines: quærendi ſunt Judi‘ces —— In terris de hac re nullum poterit ‘reperiri judicium; de cælo quærendus eſt ‘judex: ſed ut quid pulſamus ad cælum, ‘quum habeamus hîc in evangelio Teſta‘mentum?

SECT. II.

Ratio Humana non eſt Norma fidei.

2. Prop. *RAtio humana non eſt Norma fidei Dogmatum.* Propoſitio hæc primò limitanda, deinde demonſtranda eſt. Quum Ratio humana à rebus fidei Divinæ expellitur, conſideratur ut *Fundamentum* ſive *Argumentum propter quod*, non ut *Inſtrumentum quo* credimus. Facilè enim patimur, Rationem humanam locum *Inſtrumenti* obtinere, modò fidei ſedes Regalis concedatur. Ratio ſubſerviat & ancilletur, tanquam *Inſtrumentum*, non dominetur, vel ſententiam, ſecundùm ſe, ſuper iis quæ revelationis ſupernaturalis ſunt, ferat. Rationis Judicium ſit *Illativum* & *perceptivum*, ſed non *præſcriptivum* & *dictativum*: Judicium *præſcriptionis* deferendum eſt ſolî Scrip-

Scripturæ. Sic *Ratio*, *Fides*, & S. *scriptura*, non ſunt *componenda*, ut partes unius, neq; *opponenda*; ſed *ſubordinanda*, ut Agar Saræ. Ratio ſit *Oculus*, modò fides ſit *Lumen*, quod informat oculum: Ratio fide inſtructa & illuſtrata *Conſequentiam* colligat; ſed fides ſola de *Conſequente* ſtatuat. Immo in ſyllogiſmo practico, cujus pars aliqua experientiâ, (quæ ratio maxima eſt) nititur, concluſio eſt de fide. Aliud enim eſt *Conſequentiam* deducere, aliud *Conſequenti* aſſentiri: Ratio humana conſequentiam apprehendit ac deducit, ſed fides tantùm conſequenti aſſentitur. Unde evidens eſt, Rationem non eſſe *Fundamentum*, ſive *Argumentum propter quod*, ſed *Inſtrumentum* quo creditur. Sicut, quando dicitur, *Fidem ex auditu oriri*, non ſupponi poteſt, Auditum eſſe Fundamentum, ſed tantùm Inſtrumentum fidei. Optimè *Camero*, fol. 491. ‘*Inſtrumenta*, quibus gignitur fides, ab *Argumentis* fidei diſtinguamus. Nam Apoſtoli ‘dictum eſt, *Fides eſt ex auditu*: Nec inde ‘ſequitur, quòd fides dependet à ſenſu, ‘aliter quàm ex *Inſtrumento*. Duo ergo ‘ſunt diſcendi Inſtrumenta, *Senſus* & *Ratio*: ‘quorum neutrum tamen diſcendi Argumentum eſt. Sic fides dependet, ut ex *Auditu*, ſic & à ratione, non ut *Argumento*, ‘ſed ut *Inſtrumento*. Nempe ita ſe res habet; *Argumentum* fidei, eſt id *propter quod* ‘credimus; quod aliter, *Fundamentum* quo ‘nititur fides, dici poteſt. *Inſtrumentum* ‘verò fidei hoc pacto dicetur *Ratio*, ſed ‘fide jam inſtructa; quia colligit, & colli-

‘gendo

'gendo inædificat fundamento, vi illâ ſibi 'inſitâ, quam ſpiritus acuit. Pulcherrimè *Auguſtinus*, lib. de *Utilit. Credendi*, Cap. xi. *Quòd intelligimus aliquid, rationi debemus; quod autem credimus, Auctoritati*, nimirum Divinæ, Verbo revelatæ. Breviter; Ratiocinatio eſt organum naturale omnium noſtrarum notitiarum, tam divinarum quàm humanarum; ſed Inſpiratio ſpiritûs diſponit hoc organum, ad omnes ſuas functiones perficiendas in rebus fidei. Sine Ratione haud tanquam homines; at ſine fide haud tanquam fideles agere poſſumus. Hiſce prælibatis, ſequitur demonſtratio propoſitionis.

(1) Rationem humanam non eſſe menſuram adæquatam & infallibilem Dogmatum fidei, demonſtrari poteſt à *Sublimitate objecti*, quod adplurimùm ſupra omnem Rationis, etiam perfectiſſimæ, captum tranſcendit. Talia ſunt *Incarnationis*, *Reſurrectionis*, & totius οἰκονομίας *Mediatoriæ* myſteria. *Tolle Chriſtum è Scripturis, quid amplius in illis invenies?* ait *Lutherus*. Quare myſteria hæc à maximis ingeniis, fide non informatis, in omni eccleſiæ curriculo, maximè impugnata fuere. Ideo *Paulus*, quando diſputabat inter *Athenienſes*, de *Reſurrectione*, & *Redemtione* per Chriſtum, quanto cum riſu ſimul ac indignatione exploſus fuit ab *Epicureis*, apud quos *Naturalis*; & à *Stoicis*, apud quos *Moralis* Philoſophia tunc temporis maximè floruit, *Act.* 17. 18. Et hæc ratio genuina eſt, cur Patres Chriſtiani *Philoſophos*, ut *Hæreticorum Patriarchas*, rejecerunt; nimirum quia nihil crederent, niſi

quod

quod Rationis evidentiâ evinci poſſet. Nonne pro veritate firmiſſima ſtabiliri queat, maximos errores in eccleſia ortum ſuum debere ſuperbis hominum ingeniis, Veritates ſupernaturales, naturali Rationis lumine, regulare conantibus? Hoc, Deo votis noſtris adſpirante, ſuo loco demonſtrabimus. Sacra pagina nos inſtruit, res fidei eſſe *Myſteria*, quæ Rationis humanæ ſphæram longiſſimè tranſcendant. Ita Dominus noſter eas nuncupat, *Mat.* 13. 11, *Myſteria regni cælorum*; & Rom. 16. 25, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου. *Epheſ.* 1. 9. *Poſtquam notum fecit nobis myſterium voluntatis ſuæ:* Μυστήριον, i. e, *Arcanum*; Quis id enim per ſe unquam vel ſuſpicari poſſet? *Myſterii* nomen non quodvis arcanum temerè ſignificat, ſed rebus ſacris propriè convenit: immo res arcanas, & abſconditas rationi humanæ, extra Revelationem Divinam, apud ſacros Scriptores denotat. *Cicero* etiam eodem vocabulo utitur; quo nimirum arcana, non quævis, ſed ſacra, quæ Divinâ ſolâ revelatione innoteſcunt, ſignificantur. Μυστήριον enim ortum habet à μύω, *Inſtituo in ſacris*: & hoc, ſecundùm *Euſtathium*, ad *Iliad.* ὦ, à μύω, *Conniveo, Nicto, Oculos claúſos habeo:* Quod poſtea accommodatum fuit ad *os*; ut ſit *os claujum habere*, & ex conſequente, *obmuteſcere*, uti c. 1. *S.* 2. Coroll. 7. in 1 *Cor.* 2. 7, demonſtravimus. Inde ὁ μύστης, propriè, *qui os claujum gerit*, nec multa interrogat, aut contra nititur; ſed cum alto ſilentio audit, & diſcit myſteria ſacra; ſicut olim Pythagoræ

Mat. 13. 11.
Rom. 16. 25.
Eph. 1. 9.

Diſci-

Diſcipuli lege aſtringebantur ſilentio, ita ut illis de nullis ſacris controverſiam movere liceret. Ab hoc μύσης autem eſt μυστήριον, quod ſignificat arcanum tale ineffabile, quod exponere humanâ Ratione nemo poteſt: ſive cujus ratio, ſimplici fide eſt amplectenda, potiùs quàm ratione humanâ, cujus excedit captum, curioſè ſcrutanda. Inde *Sacramenta* evangelica *Myſteria* nuncupari ſolent, utpote quæ ſimplici fide ſunt credenda, non ſcrupuloſè ad trutinam Rationis examinanda. Ex quibus conſtat, *Myſteria* fidei non eſſe Ratione humanâ curioſè examinanda, ſed fide verbo Dei innitente amplectenda. Optimè ſanè *Calvinus*: *In myſteriis*, inquit, *cæleſtibus opinio humanitus concepta, etſi non ſemper magnam errorum congeriem pariat, erroris tamen eſt mater.* Fuſiùs *Janſenius*, *Auguſt. Tom.* 2. libr. proæm. c. 3. ‘Pleriq; inquit, de rebus Theologicis, Ariſto-
‘telicis diſciplinis inſtructiſſimi, ſecurè &
‘magiſterialiter diſputant; & quia quidli-
‘bet in ſcholis adverſùs quoſlibet, Dialecticæ
‘præſidio, ſine magna difficultate defendunt,
‘nonnunquam fit, ut quod initio vel timidè
‘ſibi tuendum ſuſceperint, audaciâ victori-
‘am, victoriâ fiduciam tribuente, mox eti-
‘am vel ipſi verum putent, vel tanquam
‘compertam veritatem diſcipulis tradant.
Inde c. 4. oſtendens diſcrimen inter Philoſophiam ac Theologiam, aſſerit, *Memoriam potiùs quàm Intellectum eſſe ſedem Theologiæ.*
‘Quemadmodum, inquit, *Intellectus* Philo-
‘ſophiæ ſuſcipiendæ propria eſt facultas;
‘ita *Memoria* Theologiæ. Ille quippe, In-
‘tellecta

'tellecta principia penetrando, Philoſophum 'facit; hæc, ea quæ revelata ſunt recordan- 'do, Theologum Chriſtianum. Quo innuit, Philoſophum Ratione humanâ, ſed Theologum Revelatione Divinâ, veritates menſurare debere. Et hunc fuiſſe morem primitivæ Eccleſiæ, c. 5, demonſtrat idem *Janſenius*: 'Ab antiquis inquit, patribus, 'eorúmq; diſputationibus duo ſunt conſide- 'randa magnopere; Primum, quòd ex prin- 'cipiis verbi Dei, ſenſus ſuos, & ferè verba 'promerent; Secundum, quòd religioſè 'intra terminos oppugnatæ ab errore veri- 'tatis, ſine ulla ſuperfluarum, multò minùs 'curioſarum, frivolarum, atq; inutilium 'quæſtionum intermixtione remanerent. Immo nonne ex ipſo *Ariſtotele* demonſtrari poſſet, Fidei Dogmata non eſſe ratione humanâ menſuranda? Dicit enim *Ariſtoteles* Eth. l. 1. c. 3. πεπαιδευμένου γάρ ἐστιν, &c. *Eruditi enim eſt ſublimitatem in omni genere eatenus, quoad rei natura patiatur, requirere; perinde enim eſt Mathematicum ſuadentem probare, ac ab Oratore neceſſariam rationem requirere.* Vult *Ariſtoteles*, judicium noſtrum, de Themate tractando, peti debere ex illa Diſciplina, ad quam pertinet illud Themã. In omni enim judicio recto prærequiritur cognitio: omnis autem cognitio diſtincta Thematis alicujus, oritur à Canonibus Diſciplinæ illius, ad quam Spectat Thema illud. Quare quæ Diſciplina de Themate aliquo non agit, ſecundùm ejus Diſciplinæ Canones judicari de iſto Themate non poterit. Hinc ſequitur, *Judicium* de rebus fidei, non Rationi humanæ,

humanæ, sed Revelationi Divinæ committendum esse: Nec ullam subtilitatem in rebus fidei expectandam esse, ultra proprium suum Genus, nimirum Revelationem Divinam. Et sanè, si nulla expectanda est *Subtilitas*, ultra proprium genus; in dogmatibus fidei, nulla expectanda est Ratio, ultra revelationem Dei. Fidei Christianæ Dogmata non esse demonstrabilia ex principiis per se notis, firmissimè demonstrat *Bradwardinus* (de *caus.* Dei l. 1. c. 1.) contra Philosophos, præsumentes se posse cognoscere Deum plenè, & ejus quamlibet actionem; Ubi acutissimè Philosophorum superbiam hoc modo retundit. 'Adhuc quæso, '*Philosophe*, dic mihi, quid plenè cognoscis? 'Puto non audere te dicere, quòd parvu-'lam vel minimam creaturam. Scio quòd 'non perfectè cognoscis minimam Atomum 'in sole, nec minimum pulverem terræ, 'neq; minimam guttam aquæ. In omni 'namq; corpusculo infinitæ figuræ lineares, 'superficiales, & corporales diversæ nume-'ro, quantitate, qualitate, & specie conti-'nentur. Quare etiam correspondenter 'conclusiones Geometricæ infinitæ, *&c.* Sic *Lutherus*: Discite in hoc Articulo [*Justificationis*] & similibus, simpliciter esse standum ex *verbo Dei*, & inclinandam esse aurem. Quòd si Deus incredibilia dicit, quid ad te? cum alia longè viliora, & expositæ sensibus non intelligas. *Articuli fidei* verè sunt sententiæ de talibus, quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec descenderunt in cor hominis; & per solum

'verbum

'verbum & ſpiritum S. docentur & intelli-
'guntur. Et alibi: *Verbo*, inquit *Lutherus*,
'& ſignis, Deus ſe quaſi induit, ut à nobis, in-
'comprehenſibilis alioqui, comprehendi ac
'intelligi poſſit. Quòd autem rationi non
'competant partes judiciariæ de articulis fi-
dei, vide *Meiſnerum*, *Conſid. Theolog. Photin.* pag. 310--317. & 344--352. *Alvar. de Auxil. Grat. l.* 4. Diſp. 49. pag. 422. Hoornbeeck *Socinianiſmi Confut.* Tom. 1. l. 1. c. 6.

(2) Rationem humanam non eſſe regulam dogmatum fidei demonſtratur etiam ab *Imperfectione ſubjecti*, nimirum, *Intellectûs humani*. Intellectus enim naturalis, qualis nunc corruptus eſt, tantâ ignorantiâ, tum congenitâ, tum acquiſitâ obrutus eſt, ut non poſſit, vi propriâ, multas veritates naturales, multò minùs ſupernaturales quæ ad fidem pertinent, attingere. Nec mirum ſanè, cùm nulla ſit proportio inter rationem humanam & veritates ſupernaturales, 1 *Cor.* 2. 14. Ideo quò diligentiùs, ſecundùm regulas ſuas naturales, Res Divinas examinet Ratio humana, eò magis videntur *abſonæ* & *ſtultæ* 1 Cor. 1. 18, 19, 20. Unde Deus nos neutiquam ad *Rationis Tribunal* remiſit; ſed potiùs eandem, ut rectè credamus, ſubjugari voluit. Ita *Prov.* 3. 5. *Intelligentiæ ve*[illegible] *tuæ ne innititor*: Et 2 Cor. 10. 4, 5. Quis inte[illegible] Chriſtianos neſcius eſſe poteſt, quàm cæc[illegible] ratio humana ſit, etiam in *naturalibus* multò magis in *ſupernaturalibus?* Quis ig[illegible] norat, quot impetuoſis ac tyrannicis Affe[illegible] ctibus mens humana abripiatur, quibus eju[illegible] judicium corrumpitur? Quàm inſtabilis e[illegible] animu[illegible]

animus in ſuis motibus & determinationibus? Quot præjudiciis in tranſverſum rapitur? Nonne ſæpiùs errat in applicatione principiorum, licet in ſe certiſſimorum? Nonne *Prudentia carnis inimicitia eſt contra Deum*, Rom. 8. 5? Audi Philoſophum: *Homo*, inquit *Seneca*, *ad Immortalium cognitionem nimis mortalis eſt.* Iterum, *Si quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longè quærendus, me rideo.* Et ſi quis plus Intelligentiæ in Dogmatis fidei ſibi tribuat, eò cæcior eſt, quòd cæcitatem ſuam non agnoſcat.

Dogmata fidei ſunt duplicia; Quædam tales continent propoſitiones, quarum utrumq;, tum ſubjectum tum prædicatum, ab homine, vi rationis, nullo modo percipi poteſt: Talia ſunt omnia illa dogmata, quorum cognitio ne Angelico quidem intellectui ſine revelatione Divina competat. At alia ſunt fidei dogmata, quæ reale habent fundamentum in natura, ſed tamen à nobis ignotum, vel non diſtinctè cognitum, ſine Revelatione Divina. Talia ſunt *hiſtoriæ* de creatione Mundi, Lapſu humani generis, & ſimilia. Harum autem veritatum naturalium, ratio humana in ſe, ſine fidei Adjutorio, non eſt regula adæquata & certa. Neq; hoc latuit philoſophos oculatiores: Ita *Plato* (*Timæo*, fol. 29.) de *Ortu univerſi* diſcurrens, hanc ingenuam nobis tradidit confeſſionem; *Æquum eſt, inquit, meminiſſe & me qui diſſeram, & vos qui judices eſtis, οὕτω ἂν θεωτάτην ἔχειν, ὡς περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ὑποδεχομένους πείθει, μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν,*

natu-

naturam humanam habere; quare nec decet nos, acceptâ de his probabili fabulâ, ſive narratione, (qualis eſt traditio Hebræorum) *quicquam ultrà quærere.* Quibus ſatis indicat, primum rerum *Ortum* non poſſe, ab Intellectu noſtro, tenebris ignorantiæ involuto, rectè & diſtinctè cognoſci, niſi traditione alîquâ ſacrâ. Idem, alibi, de *Immortalitate Animæ* agnoſcit. Et ut quamplurima loca *Platonis* prætermittam, ex quibus humanæ Ignorantiæ labes perſpici poſſent, illuſtres ſunt illæ & ingenuæ confeſſiones, quibus rationis vim, terrenam craſſamq; ignorantiam hebetaſſe, teſtatur. Ita *Plato* Rep. 7. τὸ τ ψυχῆς ὄμμα κατωρυγμένον ἐστ' ἐν βαρβαρικῷ ἀγνοίας βορβόρῳ. Quibus vult, animam humanam ignorantiæ tenebris demerſam eſſe. Sed craſſa hæc humanæ mentis ignorantia clariùs depingitur in ſacrâ pa-
Prov.24.7 ginâ. Ita *Prov.* 24. 7. *Excelſæ ſtulto ſunt ſapientiæ*, i. e, non poteſt *Stultus*, (qualis eſt omnis homo naturâ) ſapientiam Dei, utpote abſtruſam ſibi & incognitam, pertingere. ראמות *Excelſæ*, quando ad mentem hominis refertur, rem abſtruſam metaphoricè deſignat. Sic *Col.* 1. 13. ὃς ἐῤῥύσατο ἡμᾶς ἐκ τ ἐξουσίας τ σκότους. *Poteſtas tenebrarum* ſignificat hîc tenebras efficaciſſimas ad obcæcandos animos. Intellectum autem ψυχικὸν, non poſſe vi, propriâ, attingere dogmata fidei, quæ ſunt veritates ſupernaturales, facilè patebit, ſi contemplemur veram fidei Divinæ Ideam. Fides enim Divina debet eſſe *certa* ac *infallibilis* ex parte credentis; ideoq; neceſſe eſt ut innitatur

Primæ

Primæ veritati revelanti tanquam *rationi formali* infallibili, & indefectibili. Nullus enim assensus est infallibilis, nisi sit assensus rei cognitæ, lumine evidente primorum principiorum, aut lumine supernaturali inevidenti: Sed lumen fidei non est assensus rei cognitæ lumine primorum principiorum; ergo necesse est, ut sit lumen rei cognitæ supernaturali Revelatione, non ratione naturali. Acutè Alex. Alens. *In Logicis argumentum facit fidem, sed in Theologicis fides facit argumentum.* Optimè quidem *Jansenius, August. Tom.* l. 1. de *Orig. pec.* c. 16. 'Nihil in ecclesia Christiana usitatius est, quàm 'ut id, quod ratio non assequitur, fides credat; ut rem teneamus, cujus modum nescimus. Sententiarum enim facilitas in 'Theologia sæpe suspecta ac periculosa est. Unde Idem *Jansenius, Tom.* 3. fol. 2. concludit, 'Longè difficillimam factam esse pro'vinciam defendendæ veritatis, dum non 'tam argumentorum pondere, quàm adver'santium numero oppugnata premitur. Do'ctores enim Scholastici à teneris unguiculis 'in gentilis Philosophiæ palæstris eruditi, 'ejúsq; dogmatibus tanquam naturali rationi 'consentaneis innutriti, difficillimè sibi per'suaderi sinunt, falsum esse, quod lumen ra'tionis, in istiusmodi viris quasi defæcatius, 'verissimum esse pronuntiavit. Hinc inde'fesso labore à quibusdam sudatum est, ut '*Apostolus Aristoteli, Stultitia crucis Japien'tiæ mundi*, fides philosophiæ conciliata con'sentiret.

(3) Rati-

(3) Rationem humanam non esse mensuram rebus fidei proportionatam, ex *supernaturali Evangelii fine* demonstrari potest. Principia enim naturalia non sunt proportionata fini supernaturali: Intellectus autem humanus est principium naturale; & ultimus Evangelii finis supernaturalis; quippe in unione cum Deo per Christum, ac ejusdem visione beatifica consistit. Quare necesse est dari principia aliqua supernaturalia, per quæ Intellectus naturalis finem hunc supernaturalem attingere possit. Principia hæc sunt, vel *Objectiva*, vel *Subjectiva*: *Principia Objectiva*, sunt S. scripturæ; quæ sunt lumen revelatum intellectui oblatum. *Principium Subjectivum* est *Lumen fidei*, à Spiritu S. infusum, quo apprehenditur Lumen illud revelatum intellectui oblatum. Hinc patet, non Rationem humanam, sed Revelationem divinam, solam esse regulam sive mensuram, quâ fides ad Beatitudinem supernaturalem conducitur. Deinde, Intellectum humanum non posse lumine suo naturali attingere finem Evangelii supernaturalem, luculenter patet, ex propria Beatitudinis supernaturalis Idea: Summa enim humanæ naturæ perfectio consistit, non modò in eo, quod ei convenit secundùm naturam suam primævam ante lapsum, sed in eo etiam, quod ei competit ex fœdere gratiæ & supernaturali communicatione divinæ misericordiæ: Ad hanc autem perfectionem supernaturalem, Intellectus naturalis proprio motu ac ductu ascendere nequit; quare necesse est, ut ei mysteria credenda per revelationem divinam

nam proponantur. Ita *Aquinas*, 1, 2. q. 62. ‘Quia Beatitudo proportionem humanæ naturæ excedit, principia naturalia hominis, ‘ex quibus procedit ad bene agendum, ſecundùm ſuam proportionem, non ſufficiunt ad ordinandum hominem in beatitudinem prædictam. Unde oportet, quòd ‘ſuperaddantur homini divinitus aliqua ‘principia, per quæ ita ordinetur ad Beatitudinem *ſupernaturalem*, ſicut per principia naturalia ordinatur ad finem *connaturalem*.

(4) Rationem humanam non eſſe propriam credendorum regulam, ex ipſa *Natura* Fidei, ac ejus diſcrimine à Scientiis naturalibus evinci poteſt. Quicquid enim Intellectus, lumine ſuo proprio certò apprehendit, eſt in ſe, vel in principiis ſuis naturalibus, evidens, ac aliquo modo viſum: Illa enim videri dicuntur, quæ per ſeipſa movent intellectum noſtrum vel ſenſum, ad ſui contemplationem. Ideo omnia ſcita, ſunt ſuo modo, i. e, *mentaliter* viſa; & omnis ſcientia acquiritur per aliqua principia per ſe nota, & ſic aliquo modo viſa: Omnis autem fides eſt, teſtante Apoſtolo, *Heb.* 11. 1, ὲ βλεπομένων *non-viſorum*, i. e, in ſe, vel *ſenſu*, vel *ratione*: Etſi quæ ſunt in ſe, ac ratione Intellectûs naturalis, inviſibilia, Intellectui fide inſtructo viſibilia reddantur; quare fides eodem loco ἔλεγχος, *certa ac clara Intuitio* dicitur. Deinde, qui Rationem humanam fidei Regulam conſtituunt, fidei Naturam, ac ejus diſcrimen à ſcientiis humanis evertunt; ex eo, quòd Fi-

des

des Divina nitatur ratione formali infallibili, & indefectibili, videlicet *Primâ veritate revelante*, quæ nec fallere, nec falli potest. Fides autem, cujus ratio humana est regula, nititur ratione formali humanâ, & fallibili, scilicet Testimonio humano, vel conjecturis tantùm probabilibus. Nullus enim assensus est infallibilis, nisi sit assensus rei cognitæ lumine evidenti *primorum principiorum*, aut *scientiæ*, aut verò lumine *supernaturali non-evidenti*. Sed Assensus fidei non est assensus rei cognitæ lumine primorum principiorum, nec lumine scientifico; ergo necesse est, ut sit Assensus rei cognitæ lumine supernaturali revelato, & non naturaliter evidenti. Quare ei, qui rationem humanam regulam fidei constituunt, etiam totum inter fidem ac scientias humanas discrimen amovent; quod πρωτογενὲς Scholasticorum ψεῦδος esse videtur. Ita *Jansenius*, *August. Tom.* 2. lib. proæm. c. 8. ‘Veritates inquit, Scholasticas esse cogitationis prorsus humanæ ‘fœtus evidentissimo argumento est; quòd ‘nulla quæstio purè Scholastica tam stabiliter firmata sit, quin per adversarios, novis ‘opinionibus discrepantes, labefactetur. Iterum, Cap. 9. ‘Ignorant tenebriones illi, ‘non aliud Scholasticam Doctrinam esse nisi ‘methodicam rerum tractandarum divinarum viam; quam nemo nisi excæcatus culpet. Bene magnus ille Scholasticorum Atlas, *Aquinas* 2.2. Quæs. 2. Art. 4. ‘Ut inquit citiùs & firmiùs Dei notitiam homines assequerentur, necessarium fuit homini, non ‘solùm suscipere per fidem ea quæ supra rationem

'tionem naturalem ſunt; ſed & ea quæ na-
'turali lumine inveſtigari poſſunt.

(5) Rationem humanam non eſſe fidei regulam, aut credendorum menſuram, ex ipſo fidei *Fundamento principali* liqueſcit. Actus fidei divinæ, ſecundùm ſuam *formalem Ideam*, eſt aſſenſus, quem præbemus verbo Dei, non tantùm ut vero, ſed etiam ut divinitus revelato: Ergo pro objecto habet non ſolùm *veritatem* Doctrinæ, ſed & ejuſdem *Revelationem*. Credere enim, in ſua ratione formali, eſt aſſentiri teſtimonio alterius: adeò ut fundamentum omnis fidei, tam humanæ quam divinæ ſit *Autoritas teſtantis*. Hac ex parte differt fides à ſcientia; quòd ſcientia nititur argumentis rebus ipſis infitis: Fides autem divina, quâ creditur, *mundum eſſe à Deo creatum*, eſſentialiter differt ab eo aſſenſu, quo philoſophus aſſentitur eidem propoſitioni, vi demonſtrationis naturalis, uti *Heb.* 11. 3. Ita *Alvarez, de Auxil. Grat. Diſp.* 49. 'Talis, *inquit*, actus, quo quis aſ-
'ſentitur *materialiter* myſteriis revelatis,
'non tamen ut ſunt revelata à Deo, non eſt
'verus actus fidei Chriſtianæ; ſed ſolùm
'*æquivocè*: Nam de eſſentia fidei chriſtianæ
'eſt, ut innitatur, *Primæ veritati revelanti*,
'tanquam *rationi formali* credendi. Ita *Paulus*, Epheſ. 2. 20, *Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum*, ἐπὶ τῷ θεμελίῳ: Fundamentum hoc eſt duplex; *Incomplexum*, vel *Complexum*: Fundamentum *Incomplexum* eſt Chriſtus; qui in eis, quæ immediatè ſequuntur, dicitur *Lapis angularis*, i. e, qui totum ædificium con-

Epheſ. 2. 20.

nectit & ſtabilit. Fundamentum *Complexum* eſt verbum Dei; quod eſt fundamentum *Doctrinale* & *Miniſteriale*. Ita *Grotius* in hunc Locum. 'Apoſtolorum Teſtimonium, 'de iis quæ viderunt, audiverunt, palpâ-'runt, congruens cum prædicationibus pro-,pheticis, inconcuſſam facit fidem Chriſtia-'norum, ſicut fundamenta templum Hiero-'ſolymitanum, 1 Reg. 5. 17, & 7. 9. Quare fundamentum fidei principale, eſt Veritas Dei revelata, ſive Autoritas Dei ſuo verbo alligata. Et liceátne ejus, quod Dei veracitate ac Autoritate ſtabilitur, rationes inquirere? In Legiſlatorum humanorum leges nefas fuit inquirere: Ita *Plato*, *Leg.* 1. fol. 630, *Inter Cretenſes*, inquit, *leges optima fuit*, *Ne juvenum cuiquam fas eſto in leges inquirere*. Et hujus inſtituti ratio optima, in Hiſtoria *Concilii Tridentini*, fol. 474, traditur: Ad Doctorem *inquit*, pertinet rationem dogmatum ſuorum reddere; ſed Legiſlatoris Autoritas hoc diminuitur: quia ſubditus rationem oblatam revincendo, putat ſe evertiſſe totam præcepti obligationem. Quouſq; hoc valeat in Legibus humanis haud diſputo; ſed in lege Divina hoc meritò valere, ſatis evidens eſt. Qui enim rationes legis Divinæ quærit, aut inquirit, hôc ipſo ejus 'Autoritatem Divinam diminuit: & ratio eſt manifeſta; nimirum, quia Deus eſt Legiſlator *Abſolutus* ac *Summus*, qui nullas legum ſuarum rationes reddere tenetur. Deus nobis aliquando reddit rationes eorum quæ *Agenda* ſunt; ſed eorum quæ *Credenda* ſunt, nunquam: hîc ſolum *verbum Jehovæ*, ſive

sive Autoritas Divina valet: Mens humana subjicienda est Veritati ac Autoritati Dei, verbo suo adhærenti, sine vel minima Inquisitione aut Hæsitatione. Dicit *Plato*, Repub. 6, *Veritas à nullo acquiritur, nisi se ei prorsus tanquam servum subjiciat,* μὴ δουλεύσαντι τῇ κτήσει αὐτῆ, *totúmq; se tradat illius obsequio.* Talis obedientia nulli Veritati aptiùs quàm Divinæ competit. Optimè *Aquinas*, *Sum. part* 1. *quæst.* 28, 'Qui probare nitiˈtur Trinitatem Personarum naturali ratiˈone, fidei dupliciter derogat. Primò quiˈdem quantùm ad dignitatem ipsius fidei, ˈquæ est, ut sit de rebus invisibilibus, quæ raˈtionem humanam excedunt. Secundò ˈquantùm ad utilitatem trahendi alios ad ˈfidem. Cùm enim aliquis ad probandam ˈfidem inducit rationes, quæ non sunt coˈgentes, cedit in irrisionem infidelium: ˈcredunt enim quòd hujusmodi rationibus ˈinnitamur, & propter eas credamus.

(6) Rationem humanam non esse fidei regulam aut mensuram, demonstrari potest à *Certitudine supernaturali* & divina, quam necessariò requirit fides divina. Tota enim certitudo supernaturalis, quam habemus de rebus fidei, earúmq; veritate, fundatur in Revelatione Divina, tanquam in *formali objecto*. Divina autem revelatio nos movet objectivè ad assentiendum rebus revelatis, non quatenus ratione humanâ, sed quatenus autoritate divinâ est donata. Porrò Ratio humana tantùm certitudinem humanam & naturalem præbet; quia effectum non potest esse præstantius suâ causâ.

Deniq; tota certitudo aſſenſûs petitur à medio *propter quod* aſſentimur: Medium autem *propter quod* aſſentimur rebus revelatis à Deo, eſt revelatio Divina, non ratio humana. Et in hoc convenit primum fidei principium, cum primis ſcientiarum principiis, quòd certitudo, quam de ejus veritate habemus, non poteſt reſolvi in aliud principium ab eo diſtinctum: Quare impoſſibile eſt ut ratio humana ſit fidei divinæ regula.

(7) Probari poteſt, à *Praxi* Chriſti & Apoſtolorum; qui in revincendis *Phariſaicis*, aliiſq; falſis dogmatibus, nullibi ad rationis Tribunal provocabant; ſed ea argumentis ex S. paginâ depromtis refutabant. Quare, cum Chriſto & Apoſtolis, Scripturam, non rationem, Regulam fidei conſtituamus. Hoc tamen, Coronidis vice, monendum eſt: Dogmata Fidei, etſi ſint *Supra Rationem humanam*, tamen non ſunt *Contra Rationem* rectam; ſed cum eâdem optimè conſpirant: utî copioſiùs demonſtravimus capite 6. præcedente, Sect. 6. de *συμφωνία* ſive *Uniformitate S.* Scripturæ cum Recta Ratione.

SECT.

SECT. III.

Sacra Scriptura est perfecta Regula fidei Dogmatum.

3. Prop. *Sacra Scriptura est perfecta & adæquata Regula omnium Dogmatum fidei cognitu necessariorum.*

(1) Propositio hæc probatur à *formali Regulæ Idea.* Regulæ enim perfectio in hoc consistit, quòd nihil illi desit earum rerum, quæ ad ejus constitutionem essentialem necessariæ sunt. Talis autem est S. Scriptura, ratione fidei dogmatum: Nullum enim fidei dogma cognitu necessarium illi deest. Dogmata fidei ad salutem obtinendam necessaria duplicia sunt: Alia exponunt & determinant id quod nobis credendum est; ideoq; per se necessaria sunt, & à quibusdam *Affirmativa* nominantur: Alia autem necessaria sunt, non per se, sed quatenus excludenda sunt; ideoq; *Negativa* nuncupantur. S. Scriptura est utrorumq; regula, primariò Dogmatum *Affirmativorum*; deinde *Negativorum*: Omnis enim propositio Affirmativa est prior suâ Negativâ; quare & ejusdem mensura: sicut rectum est mensura sui ipsius & obliqui. Rursus dogmata fidei *Affirmativa* duplicia sunt: (1) Hypothe-

ſes quædam, quæ in ipſa Naturæ Conſtitutione fundamentum ſuum habent; ſed quia Religionis Doctrina eis innititur, ideo à Deo revelantur, ac inter dogmata fidei enumerantur: Talia ſunt Creatio mundi, *&c.* Heb. 11. 3. (2) Alia ſunt dogmata fidei Affirmativa purè *Supernaturalia*, quæ ne vel minimum fundamentum habent in natura, ſed tantummodo in Divina Revelatione: Talia ſunt Incarnationis & totius Novi fœderis myſteria. Utraq; horum dogmatum, quatenus creditu neceſſaria ſunt, *S.* Scripturâ regulantur. Immo dantur quædam *Hypotheſes naturales*, quæ nullo modo ſunt dogmata fidei, ſi materiam ſpectes; & tamen Scripturâ regulantur; & ita fide Theologicâ credenda ſunt, ſi modus revelandi attendatur: ut *Solem eſſe luminare majus*, Gen. 1. 16, &c.

(2) *S.* Scripturam eſſe perfectam regulám omnium dogmatum fidei, ad ſalutem obtinendam neceſſariorum, ex ejus *fine* demonſtrari poſſit. Sacra enim Scriptura eò deſtinata fuit, ut in hominum animis fidem ſalutarem, omnéſq; virtutes cum eadem connexas, producat: quare neceſſe eſt, omnia dogmata fidei, quæ ad hunc finem attingendum conducibilia ſunt, in *S.* Scriptura contineri, ac ab eadem regulari. Immo omnes illi textus, qui explicant aut demonſtrant *S.* Scripturæ ſufficientiam & perfectionem in ordine ad ſalutem, ſatis demonſtrant, nullam eſſe aliam regulam ſacram, quæ Dogmata fidei ſalutaria regulare debeat.

(3) Idem

(3) Idem evinci potest ex *relatione*, quam habet fides ad verbum Dei. Non major est cognatio, inter lumen & oculum, inter sonum ac aurem, inter gustum ac saporem; quàm est inter fidem ac verbum Dei. Fides & promissio sunt *correlativa*: Nulla est fides sine promissione, & è contrà, promissio nullius est usûs nisi adsit fides. *Lutherus* vult verbum habere cum fide *Conjugium* indissolubile. 'Tota, *inquit*, Scriptura hoc agit, ut nos ad fidem provocet: 'hic præceptis & minis urgens; illic promissionibus & consolationibus invitans. 'Præcepta humiliant superbos exactionibus. 'suis; Promissa exaltant humiliatos remissionibus suis. Optimè *Calvinus*: Princi- 'piò, *inquit*, admonendi sumus, perpetuam 'esse fidei relationem cum verbo; nec magis ab eo posse divelli, quàm radios à sole, 'unde oriuntur. Quare si ab hoc scopo in 'quem collimare debet vel minimùm deflectit fides, naturam suam non retinet; sed 'incerta est credulitas, & vagus mentis error. Ita etiam *Wiclefus*, referente *Widefordo*; 'Quicquid, *inquit*, Papa, vel Cardinales 'sui, sciunt, ex sacra Scriptura deducere clarè, 'illud duntaxat est credendum, vel ad sua 'monita faciendum: & quicquid ultrà præsumpserint, sit tanquam hæreticum contemnendum.

(4) *S.* Scripturam esse perfectam credendorum regulam ex fidei *objecto*, tum *Materiali*, tum *Formali* demonstrari possit. *Materiale* fidei objectum adæquatum, est tota Scriptura: Objectum *formale* fidei est

Veritas ſive *Autoritas* Dei, verbo ſuo applicata : non Autoritas Dei nudè conſiderata, & ſecluſâ ejus revelatione, ſed eidem applicata. Diſcrimen inter hæc tale eſt : (1) *Materiale* fidei objectum eſt, *id quod* credimus ; *Formale* autem objectum eſt, *id propter quod* credimus. (2) *Materiale* objectum creditur *propter aliud*, i. e, nihil in ſe continet, in quod tanquam in ultimum principium fides reſolvitur : ſed objectum *Formale* exprimitur principio, quod creditur *propter ſe* ; ideoq; *Primum Credibile* in ſcholis nuncupatur : e. g, *Deus dixit*, &c. (3) Per *Materiale* objectum fidei reſpondetur ad quæſtionem, *Quid credis ?* Per *Formale* autem reſpondetur ad quæſtionem, *Cur credis ?* Nam *Formalis* ratio propter quam aſſentimur, eis quæ in *S.* Scriptura continentur, eſt quia ſunt Dei revelantis *Verbum*. Sic Verbi Dei Autoritas eſt Formale objectum fidei ; quod non propter aliud creditur ; ſed eſt *Ratio formalis* omnia alia credendi. Ita *Baronius*, *de Object. Form. Fid. Tract. 2. Par. 1.* 'Materiale & 'Formale objectum fidei, ſic definiri poſ-'ſunt. *Materiale objectum fidei* eſt, id *quod* 'credimus, & per quod reſpondemus ad 'quæſtionem, *Quid credis ? Formale objectum* 'fidei, eſt id *propter quod* credimus, & per 'quod reſpondemus ad quæſtionem *Cur* 'credis ? *Formalis* enim *ratio* propter quam 'ea credimus, eſt, quia à Deo revelata ſunt. Ex his liquet *S.* Scripturam eſſe perfectam, immo unicam, fidei regulam ; quia in ſe continet quicquid eſt credendum, ſive totum

tum *objectum materiale* fidei; simul ac primum principium, quo exprimitur *objectum Formale*, sive *ratio Formalis* propter quam materialia objecta sunt credenda. Hîc tamen monendum est, Verbum Dei esse *Regulam* fidei, non quatenus *Formale*, sed solùm quatenus *Materiale* objectum fidei exprimit. *Formale* enim objectum à *Regula fidei* multifariam dispescitur. (1) Regula fidei determinat quot, & quæ, sunt credenda: Objectum formale, specificat & terminat rationem formalem, propter quam creditur; & sic ponit fundamentum principale fidei. (2) Verbum Dei, quatenus est regula fidei, habet se ad modum causæ *Idealis* sive *Exemplaris*, secundùm quam credimus: sed Autoritas Dei verbo appendens, habet se ut causa *Objectiva*, seu *Motivum principale*, propter quod formaliter & principaliter creditur. (3) Verbum Dei, quatenus est regula fidei, nihil aliud est quàm systema credendorum Dogmatum; at Autoritas Dei, eidem verbo applicata, est *Ratio formalis*, propter quam, & ipsam Regulam fidei, & omnia quæ in ea credenda proponuntur, fide divinâ credimus. Unde fides non resolvitur in ipsam regulam, sed in *formale* fidei objectum, nempe Dei Revelantis Autoritatem, isti regulæ appendentem.

(5) *S.* Scripturam esse perfectam Regulam Credendorum ex fidei *subjecto* demonstrari possit. Omnes enim Fideles, tum literati tum illiterati, (uti loqui amant in Scholis,) fidem suam resolvunt in Dei Au-

toritatem S. Scripturæ applicatam: nec ſanè vel minima vera fides Divina eſt, quæ huic fundamento non innititur. Ogganniunt *Pontificii*, ac inter nos aliqui, *Quomodo poſſunt Laici ac illiterati, qui textus originales haud intelligunt, in Autoritatem Dei, verbo ſuo applicatam, fidem ſuam reſolvere? Nonne neceſſe eſt, ut teſtimonio eccleſiæ nitantur, hanc vel illam verſionem eſſe veracem.* Paucis reſpondemus; Textum originalem non eſſe Regulam fidei; ſed *Materiam* ſub ipſo contentam: nec ipſa verba, Hebraica vel Græcanica, eſſe *Formalem rationem* propter quam credimus, ſed *Autoritatem* Dei verbo ſuo applicatam. Et ipſos Laicos ſeu illiteratos fidem ſuam reſolvere, in Divinam Autoritatem Scripturæ *Materialiter* acceptæ, i. e, Doctrinæ legis ac Evangelii S. Scripturâ contentæ, idq; diſtinctè & explicitè, optimè probatur, à *Baronio de objecto formali fidei, cap.* 1. *obſerv.* 3. Et ratio eſt evidens; quia Scriptio non eſt *eſſentialis* ſed *accidentalis* verbo Dei. Idem eſt verbum Dei in verſionibus ac in textu originali, eadémq; Autoritas Divina. Deinde, quamvis Teſtimonium Eccleſiæ, ſit inſtrumentum quod pronuntiat, hanc vel illam verſionem eſſe veram; non eſt tamen *Regula*, multò minùs *Objectum formale* fidei. Ita eadem eſt Regula, eadémq; formalis Ratio credendi, tum doctorum tum indoctorum: totum diſcrimen inter horum fidem eſt tantum accidentale.

(6) S. Scripturam eſſe perfectam, immo unicam, credendorum regulam, à *certitudine* illa,

illa, quæ fidei attributum eſſentiale eſt, demonſtrari poſſit. Tota *certitudo* fidei ab ejus *objecto formali*, intrinſecè & eſſentialiter pendet. Tota enim certitudo aſſenſûs petitur à *medio*, propter quod aſſentimur: Medium autem propter quod aſſentimur Dogmatibus fidei, eſt Autoritas Dei verbo ſuo applicata, quæ formale fidei objectum eſt. Quare cùm fides totam ſuam certitudinem ex Autoritate Dei, verbo ſuo applicata, depromat; inde ſequitur, nihil poſſe eſſe regulam fidei, niſi idem verbum Dei, quod hanc Autoritatem ſibi annexam habet. Ita *Epheſ.* 2. 20. *Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum, exiſtente imo angulari ejus lapide ipſo Jeſu Chriſto.* Apoſtolorum ac Prophetarum Teſtimonium, Chriſti, qui angularis lapis eſt, Autoritatem ſibi applicatam habens, inconcuſſam reddit fidem noſtram, ſicut fundamenta Templum Hieroſolymitanum, 1 Reg. 5. 17. Idem 1 Theſ. 1. 5, *Quoniam evangelium noſtrum conſtitit apud vos plenâ-certioratione multâ,* ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ, *multa plerophoriâ*, ſive *certitudine aſſenſûs.* Eph. 2. 20.

(7) *S.* Scripturam eſſe perfectam credendorum regulam, ex *expreſſis* ejuſdem *locis* conſtat. Ita Joan. 17. 20, *Qui per ſermonem eorum crediturí ſunt in me:* Fides igitur vera ac ſalvifica, eſt ex doctrinæ Apoſtolicæ auditu. Idem Rom. 10. 17, *Ergo fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei:* Sive ῥῆμα *Verbum*, pro mandato Dei, quo mittuntur Evangelii præcones, uti *Beza* vult; ſive pro ipſo Rom. 10. 17.

verbo

verbo Dei annunciato, intelligatur, quoad rem idem eſt. Item *Joan.* 20. 31, *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis*, &c. Gal. 3. 2, *An ex fide per auditum accepta?*

SECT. IV.

S. Scriptura eſt perfecta Regula Controverſiarum circa fidei Dogmata.

4. Prop. *Sacra Scriptura eſt perfecta Regula & Judex omnium controverſiarum circa fidei Dogmata.* Acriter in Scholis diſputatur, de Summo controverſiarum Judice : Inter Pontificios nonnulli *Papæ*; alii *Concilio Generali*, hanc prærogativam adſcribunt. Inter tot Sectas, quibus Chriſtianus orbis ſcatet, cuilibet ſe eſſe Controverſiarum Judicem haud parum arridet. Et heu! quàm pauciſſimi ſunt, qui hanc prærogativam *Verbo Dei*, cui ſoli competit, attribuunt? Nam in *Politicis* litibus determinandis, Lex Judex eſt: Penes eam ſuprema ac maxima Autoritas eſt. Verum eſt, Magiſtratus vulgò *Judex* nominatur : ſed quomodo? non ut in ſe conſideratur, ſed ſolummodo quatenus Legis *Os* ſive *Miniſter* eſt; Inde *Ariſtot.* Polit. l. 4. c. 4. Δεῖ

ἢ μὲν νόμον πάντων ἄρχειν, &c. *Oportet, ut Lex omnibus imperet*, &c. Non enim Lex Magiſtratûs, ſed Magiſtratus Legis gratiâ conſtituitur: Hoc legis privilegium S. Scripturæ, ſed gradu multum eminentiori, convenit. Verbum igitur Dei *Judex* dicitur, quatenus inde ſingularum controverſiarum deciſiones deſumendæ ſunt; utî in Republica, judicia à lege. Deus enim, qui abſolutè ſummus hominum Judex eſt, hoc Tribunal S. Scripturæ erexit, ad omnes controverſias, quæ in eccleſia ſua oriuntur, finiendas. Unde Deus verbum ſuum *ſtatuta*, ac *judicia* nuncupat, *Pſal.* 119. 30, 43, & alibi; indicans, quòd per illud ſolum eccleſiam ſuam judicat, nec aliud eſſe Tribunal humanum, quod hanc prærogativam Regalem, controverſias finiendi, ſibi vendicet.

Sed ad totum hoc penſiculatiùs trutinandum ac determinandum, diſtinctiones quædam, de *Judice* ac *Regula*, prælibandæ ſunt. *Judex* eſt vel ἰδιωτικὸς, *privatus*; vel *publicus*: Judex *publicus* eſt vel αὐτοκρατικὸς & νομοθετικὸς, *Summus* & *Legiſlativus*; vel ὑπηρετικὸς & ἑρμηνευτικὸς, *Miniſterialis* & *Interpretativus*. Judex *publicus* in genere, eſt, qui jus dicit populo ſibi ſubjecto: Judex *ſummus* eſt, qui ad modum Supremæ Poteſtatis & Legiſlatoris, autoritate abſolutâ, Leges in univerſali condit, & promulgat; quibus omnes, tum Populi, tum Magiſtratus inferiores, ligantur. Judex *Miniſterialis*, eſt qui utî Miniſter Publicus, & Interpres, autoritatem ſibi à ſupremo Judice delegatam habet, leges univerſales, ad caſus, controverſias

sias, & personas particulares applicandi. Unde *Plato* Magistratus, τῶν νόμων ὑπηρέτας, *Legis Ministros*, nominavit. Judex *privatus* dicitur, cui judicium discretionis, maximè in rebus fidei, indulgetur. *Regula Judicandi* dicitur ipsa Lex, supremi Judicis potestate, in illum finem stabilita, & divulgata, ut omnium actionum, tum rectarum tum obliquarum, omniúmq; Controversiarum, mensura perfecta sit. Hisce præmissis, propositionis nostræ demonstratio sequentibus patebit.

(1) *In omni Controversia de dogmate fidei, Judicium,* αὐτοκρατορικὸν, *absolutè authenticum & definitivum ad Deum solum pertinet. Dei Judicium* esse primarium ac universale, à quo omnia alia judicia, & regulanda, & ad particulares Controversias dirimendas accommodanda sint, patet, tum à *Formali* fidei objecto, quod est Autoritas Dei revelantis; tum à *Materiali* fidei objecto, quod transcendit captum humanum; tum à veritate, quæ fidei propria est; tum à præmio, quod fidei, & à supplicio, quod infidelitati proponitur. Quis enim nisi Deus tremenda fidei mysteria enucleare potuit? Quis nisi Deus stabilimentum fidei immutabile astruere potuit? Quis deniq; nisi Deus conscientias omnium obligare, & fidelibus præmia, infidelibúsq; pœnas proponere potest?

(2) *Deus* αὐτοκράτωρ *Tribunal, sive Judicium suum, in S. Scriptura stabilivit; per quam tam perspicuè, tam infallibiliter judicat, de omnibus fidei controversiis, ad salutem neces-*

necessariis, ut omnes, quibus non desunt aures & oculi spirituales, ejus sententiam intelligant. Hâc ratione aliqui distinguunt *judicem* à *regula judicandi*: *Judicem* volunt esse, qui sententiam fert, ac pronunciat; *Regulam*, secundùm quam judicatur. Inde dicunt *Spiritum S.* esse *Judicem*, in Scripturis, Controversiarum Theologicarum; *Regulam* autem, secundùm quam de ejus mente instruimur, esse S. Scripturam. Sed mihi videtur, S. Scripturam nuncupari posse, *Judicem*; eò quòd Spiritus S. per eam judicet de rebus controversis: etsi fortean, (sensu strictiori,) *Regulæ* notio ei propriùs conveniat; uti in proximè sequentibus. Deus igitur ecclesiam alloquitur & judicat, non voce aliquâ enthusiasticâ sive extraordinariâ, non Traditione orali; sed per os S. Scripturæ θεοπνεύστε; ex cujus ore, de omnibus fidei dogmatibus & controversiis semel, ac simul, ac semper pronuntiat. Deus enim loquens in S. Scripturis, ab æterno prævidebat omnes fidelium dubitationes; atq; ita in iisdem Scripturis sententiam suam declaravit, ut ex iis possint fideles, tam falsitatem evertere, quàm veritatem statuminare.

(3) Hinc quum Orthodoxi, S. Scripturam Controversiarum Judicem statuunt, id intelligunt *Metonymicè*; quatenus voluntas sententiáq; Divina in ea consignatur, ac exprimitur, quâ, tanquam regulâ infallibili, omnes fidei quæstiones determinandæ sunt. Ita *Grotius, de Imper. Sum. Potest.* p. 99. 'Scripturam *Judicem* qui faciunt, rectè senti-

'ſentiunt; ſed figuratè loquuntur: Nam 'exactam verborum rationem ſi ſequimur, 'Scriptura eſt *Norma* judicandi. Ita etiam *Davenantius, de Judice Controv.* c. 13. fol. 60, 'Nos, cum de ſupremo Judice diſputa-'tur, talem cogitamus, qui ex Theſauris 'infinitæ & æternæ ſuæ ſapientiæ, hominibus 'olim revelavit, quod ſcivit eſſe veriſſimum 'Talis Judex in cauſa fidei & religionis ag-'noſcitur ſolus Deus, in Scriptura loquens; 'quam ob cauſam ipſam Scripturam, in qua, '& per quam, Deus pronuntiat, de toto jure 'Fidei & Religionis, *Metonymicè* Judicem 'appellamus. Immo hæc S. Scripturæ *Judiciaria Autoritas* ex ſuiipſius ore ſtabilitur, *Joan.* 12. 48, *Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum ultimo illo die.*

(4) Hæc Judiciaria Autoritas S. Scripturæ, quatenus eſt omnium fidei controverſiarum regula, ab omni Sacra Antiquitate veneranda fuit. Ita *Wiclevus, de Veritate ac Mendacio*, Cap. 16. referente *Walden, Tom.* 1. l. 2. c. 23. 'Prudentes, *inquit*, habent 'conſuetudinem, quando difficultas circa 'veritatem aliquam ventilatur; Inprimis 'conſiderant quid fides Scripturæ loquitur 'in hoc puncto; & quod fides in hac ma-'teria definierit, credunt ſtabiliter, tan-'quam fidem. Si autem fides Scripturæ 'neutram ejus partem expreſſerit, dimit-'tunt illud, tanquam eis impertinens, & 'non litigant, vel contendunt, quæ pars 'habeat veritatem. Aurea ſanè regula. Ita *Lutherus*, provocatus ſeſe concilii generalis determinationi ſubmittere, reſpondit,

'Se

'Se hanc regulam ab *Auguſtino* didiciſſe, 'Hunc honorem, controverſias finiendi, ſolùm 'libris S. Scripturæ Canonicis deferendum 'eſſe. 'Solis Canonicis, inquit *Lutherus*, 'debemus fidem, cæteris omnibus judicium. 'Item, plus obedientiæ cuivis verbo Chriſti, 'etiam minimo, debetur, quàm totius eccle- 'ſiæ ordinationi. Iterum, Non ferendus 'eſt in Eccleſia Pythagoriſmus ille, *Ipſe 'dixit*; quo ſolo regnat Papa: ſed qui lo- 'quitur Sermones Dei, ut ait *Petrus*, hic 'audiendus eſt. Iterum, Fidelis Chriſti- 'anus non poteſt cogi ultra Sacram Scrip- 'turam, quæ eſt jus propriè divinum. Idem, *Elutherius*, (referente *Fuello* noſtrate Epiſt.) Epiſcopus Romanus, ad *Lucium*, Regem Britanniæ, ſic ſcribit: *Petiiſti à nobis leges Romanas & Cæſaris vobis tranſmitti --- Leges Romanas & Cæſaris ſemper poſſumus reprobare; Legem Dei nequaquam.* Idem *Tyndal* noſter, fol. 142. 'Verbum, *inquit*, Dei examinet 'cujuſcunq; doctrinam, & quemcunq; ver- 'bum Dei pronunciat eſſe impurum, iſte 'pro impuro habeatur. Ita *Glover*, alter Chriſti *Martyr*, in literis ad uxorem ſuam, dicit, Chriſtum ac Eccleſiam ſuam, doctri- 'næ ſuæ examen verbo Dei detuliſſe; ac 'populo etiam veniam dediſſe, eandem per 'verbum Dei judicandi, *Joan* 5. 39. Idem, *Janſeniſta, de la ſimple verité à Paris*, 1664, audacter declarat: *Hæreſis*, inquit, *eſt, judicare de hæreſibus ſine verbo Dei.*

(5) Hoc eſſe ſolius S. Scripturæ privilegium, ex ejus *qualitate Judiciaria* demonſtratur. Dicit *Ariſtoteles*, Eth. l. 2. c. 2.

δεῖ δὲ ὑπὲρ τῶν ἀφανῶν τοῖς φανεροῖς μαρτυρίοις χρῆσθαι, *De dubiis utendum eſt teſtimoniis perſpicuis.* Et certum eſt, de dubiis fidei, haud dari poſſe teſtimonium magis perſpicuum, quàm S. Scriptura. Scripturæ enim Teſtimonium, eſt Dei loquentis Teſtimonium : Quare ſi aliqua ambiguitas vel obſcuritas in ea inveniatur, hæc non infringit ejus Autoritatem Judiciariam : Quia non ex *Conditione* rei teſtatæ, aut ex *Intentione* Dei teſtantis ; ſed ex ignorantia, aut pravitate interpretum oritur, quòd S. Scriptura varios ac ambiguos ſenſus recipiat. Immo, ut bene notat *Davenantius*, (de Jud. fol. 66.) 'Si tales eſſent 'homines, quales deberent eſſe ; omnes, 'in omnibus fidei cauſis, perciperent 'vim ac veritatem ſententiæ Divinæ, in 'Sacris Scripturis pronunciatæ.

(6) S. Scripturam eſſe unicum in terris *Judicem externum*, qui autoritatem ſupremam ſibi vendicet, omnes, in doctrina fidei, controverſias finiendi, facilè demonſtrari poteſt, ex *ſubordinatione* omnium aliorum judicum. Quamplurimi ſunt, qui acriter contendunt, pro *Judice* aliquo in terris viſibili, qui, *vivâ voce*, omnes controverſias determinet. Inter Pontificios, aliqui *Papæ*, alii *Concilio generali*, hoc privilegium deferunt. Nec deſunt inter Reformatos aliqui, qui *Synodo Nationali*, vel *Generali*, hanc *prærogativam* attribuunt. Sed nos, cum *Auguſtino*, *Wiclefo*, *Luthero*, & *aliis*, hunc honorem ſoli verbo Dei adſcribimus. Ita *Auguſtinus lib.* 3.

contra

contra *Maximinum*; 'Non ego, *inquit*, '*Nicenum Concilium* tibi, nec tu mihi *Ari*-'*minenſe*, tanquam præjudicaturus profe-'ras: Nec ego hujus Autoritate, nec tu 'illius detineris: Scripturarum autoritati-'bus, non quorumlibet propriis, ſed utriſq; 'communibus teſtibus, res cum re, ratio 'cum ratione decertet. Ita Concilium primum *Nicenum*, Scripturam ſolam ut Judicii Normam admiſit. Et Patres profitebantur, 'ſe *Contilii Niceni* autoritate 'adverſus Arianos uti nolle; ſed *Scrip*-'*turæ*, cui concilium Nicenum innititur. Et ſanè ipſa Conciliorum Praxis ſatis demonſtrat, S. Scripturæ Autoritatem judiciariam eſſe ſupremam. Cur enim S. Biblia in Concilii *Menſam* imponuntur, ſi non ſint Regula perfecta? Sed oggerunt *Pontificii*; *S. Biblia ſunt Judex mutus: neceſſe eſt ut ſit aliquis Judex viſibilis, qui, vivâ voce, omnes Controverſias finiat.* Itane? Nonne ſunt Concilii Decreta peræquè muta & ambigua, ac S. Scripturæ oracula? Annon horrenda blaſphemia eſt contra Deum viventem, ejus Verbum ſacrum *Mutum judicem* nominare? Nonne Deus, per verbum ſuum, ipſas conſcientias hominum alloquitur; immo id quod animis intimum eſt penetrat, utî *Heb.* 4. 12, 13? Annon *Moſes* & *Prophetæ* dicuntur loqui, idq; majori cum efficacitate, quàm vivi è mortuis ſuſcitati, *Luc.* 16. 31, & *Joh.* 5. 45? Nonne pari ratione tota S. Scriptura loqui dicatur? Annon Edictum Regis voluntatem ſuam exprimit, æquè

ac

ac *viva vox* præconis? Quanta igitur injuria est Deo viventi, ejus verbum *Judicem mutum* appellare? Optimè *Camero*, fol. 497. 'Maximâ certè injuriâ Dei vi-'ventis, Verbum Scriptum, *Verbum mutum* 'dicitur, & Deus hoc modo loquens, lo-'qui non censetur, per causam vocis non 'editæ, quæ in natura Divina locum non 'habet; neq; etiam inter homines, nisi 'ut animi conceptus, & unâ eâdémq; 'operâ rerum, quarum conceptus illi sunt 'imago notitia, per aures ad cor deferan-'tur -- Scitè ergo dixit, qui libros *mutos* 'Doctores appellavit. Demosthenis hodie '& *Ciceronis* vocem non audimus; quando 'tamen illorum Scripta legimus, vocem 'quoq; eorum nobis audire videmur. An non 'ea, quæ Legato præscripta sunt, Patris 'testamentum, Judicis edictum, Amici epi-'stola, Instrumenti publici exemplar au-'thenticum, Regis, Patris, Judicis, Ami-'ci, &c, voluntatem æq; ac viva vox 'exprimunt? -- Omnia concilia æquè mu-'ta sunt ac Scriptura: Citantur illa, ac 'ad varios sensus accommodantur. Bre-viter; Satis constat, *Judiciariam* Ecclesiæ, vel *Concilii* Autoritatem, esse tantùm mi-nisterialem ac declarativam verbi Dei: Quare suprema Autoritas judiciaria S. Scripturæ deferenda est.

(7) S. Scripturam esse *Summum Judicem*, sive regulam omnium de fide con-troversiarum, ex eo patet, quòd cuilibet Christiano à Deo inditum sit privatum *Judicium Discretionis*. Nam si, post ulti-mas

mas *Concilii Generalis*, vel *Particularis*, vel *Eccleſiæ* cujuſlibet, Determinationes ac Decreta, ſemper maneat fidelibus Judicium privatum diſcernendi, an verum vel falſum ſit, quod credendum proponitur; neceſſariò ſequitur, nullam eſſe Judiciariam poteſtatem ſummam ac Infallibilem, cui hæc prærogativa controverſias fidei finiendi, ſit *propria*, niſi in verbo Dei. De Judicio hoc Diſcretionis fidelibus indulto, optimè diſcurrit *Davenantius* noſter, de *Jud. Cap.* 25. ‘Quandoquidem perſpicuè ‘demonſtratum eſt, non eſſe Judicem, aut ‘Judices aliquos, viſibiles & miniſteriales, ‘qui ita infallibiliter judicant, de ſenſu ‘Scripturarum, aut de fidei dogmatibus, ‘ut eorum definitionibus cujuſlibet Chri‘ſtiani conſcientia ſemper teneatur acqui‘eſcere, neceſſarium eſt, ut privatis Chri‘ſtianis ſuum quoq; quoddam judicium ‘permittamus. Cætera videas, *cap.* 10. *corol.* 9. *Judicium* hoc *Diſcretionis* eſſe omnium fidelium Privilegium, probatur ex eo, quòd (1) Intellectus cujuſlibet Deo debet hanc ſuam operationem indagandi veritatem, *Joan.* 5. 39. (2) Fideles omnes alligantur, non ad *perſonas paſtorum*, vel *præpoſitorum*; ſed ad *doctrinam Evangelii*, & vocem *Summi Paſtoris*, *Jeſu Chriſti*; Quare perpendere debent qualitatem & autoritatem, non Docentium, ſed Doctrinæ, & ejuſdem conformitatem cum doctrina Chriſti, qui unicus eſt *Magiſter*, *Mat.* 23. 8. (3) Prohibitum eſt Paſtoribus, vel ſeorſim, vel in Concilio conjunctis, fidei aliorum

aliorum dominari, 2 *Cor.* 1. *ult.* (4) Tale *Judicium Diſcretionis* paſſim mandatur, *Mat.* 24. 4, & alibi. (5) Impoſſibile eſt, Dogmata aliqua à Paſtoribus privatim, vel à Concilio publicè oblata credi poſſe fide divinâ, niſi priùs Judicio hoc Diſcretionis examinentur. Nam utcunq; Dogmata oblata, in ſe ſint certiſſima ac divina; tamen quoad modum apprehendendi incerta ſunt, ac humana tantum; quia fide implicitâ apprehenſa. Quare judicium hoc Diſcretionis eſt Eſſentiale Prærequiſitum omnis fidei Divinæ: Hujus autem Judicii diſcretivi unica regula eſt verbum Dei: Unde neceſſariò ſequitur, idem verbum Dei S. Scripturâ conſignatum, eſſe *ſupremum Judicem* omnium de Fide controverſiarum. Optimè hac ex parte *Grotius*, de *Imper Sum. Poteſt.* p. 130. 'Poſito, *inquit*, hoc, quod veriſſimum eſt, nullum 'eſſe hominem, qui falli non poſſit, aut (de quo id nobis conſtet) nullam quo-'que congregationem adſpectabilem; vi-'deamus quatenus unuſquiſq;, alienum ju-'dicium quod falli poſſit, ſequi teneatur. 'Primùm ergo univerſaliter *alienum judici-'um directivum* nemo ſequi tenetur. Fi-'eri enim poteſt, ut aut ex extrinſecis rei 'principiis, aut ex divina autoritate certò 'nobis conſtet, tale judicium falli. Ag-'noſcunt *Panormitanus* & *Gerſon*, *Privato 'alicui ſententiam ſuam in Evangelio fun-'danti, plùs eſſe credendum, quàm Romano 'Pontifici.* Jam verò, quod amplius, In 'cauſa fidei ſalutaris, nemo poteſt tutò 'acqui-

'acquieſcere alieno judicio *directivo*. Cau-
'ſa eſt, non tantùm quia res fidei planè &
'apertè omnibus ſunt propoſitæ, ſed inpri-
'mis, quòd fides illa non ſit fides,
'niſi in Divina Autoritate acquieſcit.
'--- Hinc *Hab.* 2. 4, *Juſtus fide ſuâ vi-*
'*vet*: *ſuâ*, non *alienâ*. Hinc fidei πλη-
'ροφορία tribuitur. Sic & Sereniſſimus *Britanniæ Rex* dixit: *Unumquemq; ſuper ſcientia propria, fidei fundamentum collocare debere*, &c. Ex his ſatis conſtat, *Supremam Autoritatem Judiciariam*, omnes de fide controverſias finiendi, non in *Pontifice Romano*; non in *Conciliis*, vel *Oecumenicis*, vel *Nationalibus*; non in *Paſtoribus*, aut *Eccleſiis particularibus*; ſed in *verbo Dei*, S. Scripturâ conſignato locatam eſſe.

Optimam errores revincendi ac controverſias terminandi regulam nobis tradidit *Auguſtinus*, *Civit.* l. 2. c. 1. 'Si ra-
'tioni perſpicuæ veritatis, infirmus huma-
'næ conſuetudinis ſenſus non auderet ob-
'ſiſtere, ſed doctrinæ ſalubri languorem
'ſuum tanquam medicinæ ſubderet, do-
'nec divino adjutorio, fide pietatis impe-
'trante, ſanaretur; non multo ſermone
'opus eſſet, ad convincendum quemlibet
'errorem. Haud negandum eſt, ſuos habere Diabolum *Emiſſarios* haud paucos; eóſq; omni genere Doctrinæ, Malitiæ, Aſtutiæ & Potentiæ armatos; Sed gladius Domini ſemper ſufficiet, armandis Gedeonibus ſuis, ad obices omnes removendos, & viam populo ſuo complanandam,

dam, quò proficiant in omnem veritatem; utì *Twissus*. 'Sufficit Christiano, *inquit* '*Lutherus*, ad confutandum errorem quem-'libet, dicere, *Scriptura non habet*. Ita Hieronymus: *Hoc de Scripturis autorita-'tem non habet; ideo eâ facilitate contem-'nitur, quâ probatur*, &c.

CAP.

CAP. VIII.

De Perfectione S. Scripturæ, quatenus Agendorum Regula, ſive Lex eſt.

SECT. I.

De variis Legis Divinæ Nominibus Synonymis, quibus perfectio ejus inſignitur.

S. Scripturæ perfectione, quatenus *Credendorum* regula eſt, pleniùs excuſſâ, reſtat, ut ejuſdem regulæ perfectionem, ſub notione Legis, vel *Moralis*, vel *Poſitivæ* demonſtremus. Verbum Dei quatenus *mores* hominum componit, *Lex moralis*; quatenus autem, *Cultum* Dei, Eccleſiæque Diſciplinam regulat, *Lex poſitiva* ſive *Inſtituta*, nuncupatur. Una ac altera legis Idea prædicatur de *Zacharia*, ac *Elizabeta*, Luc. 1. 6. *Erant autem juſti ambo*

ambo in conſpectu Dei, incedentes in omnibus Præceptis & Ritibus Domini inculpatè. Sæpiùs in Veteri Teſtamento, ubi agitur de lege Dei, hæ duæ voces מצות & חוקים conjunguntur: quarum prior reſpondet ad ἐντολὰς *præcepta*; & poſterior ad δικαιώματα, *ritus ſive Inſtituta.* Ita hîc volunt, ἐντολὰς denotare Legis partem *moralem*, in qua præcipitur quid *Deo*, quid *proximo* debeamus; δικαιώματα verò, *Sacros Ritus*, totámque legem ceremonialem indigitare.

Sacram autem Scripturam, ratione omnium *Agendorum*, tum *Moralium*, tum *Ritualium*, Legem eſſe perfectiſſimam, primùm in genere, ex variis & emphaticis ejus nominibus *ſynonymis* demonſtrari poteſt. (1) S. Scriptura dicitur תורה *Lex*: Quæ vox generalis eſt, & deſignat totam illam Doctrinam, tum moralem tum ceremonialem, quæ à Deo tradita fuit, ad vitam humanam cultúmque Divinum componendum, cui reſpondit νόμος in Novo Teſtamento. תורה *Lex*, originationem ſuam trahit à ירה, quæ tria ſignificat, legi Divinæ apprimè conſona, (1) *Fecit, projecit, jaculatus, ejaculatus fuit* lapidem, ſagittam, ſortem, vel quodcunque. (2) Per metaphoram, הורה *rigavit*; quando transfertur ad *pluviam*, quæ, lapidum aut ſagittarum inſtar, ex cœlo decidit in terram, eámque *ferit*, & *fœcundat*. Inde יורה, & מורה *pluvia*, quæ ex nubibus in terram projicitur,

tur, eámque rigat. 3. הורה etiam metaphoricè, *demonstravit, ostendit, indicavit, docuit*: Quòd *Doctrina* quasi instilletur animis discentium, & minutatim indatur, eósque imbuat & erudiat, utì *Schindlerus*. Omnes hæ ירה notiones Legi ac Doctrinæ Dei, quæ תורה dicitur, conveniunt. Lex enim Dei habet se ad instar *Sagittæ*, ex cœlo projectæ, quæ cor lapideum penetrat: Instar etiam *Pluviæ*, animis Discentium instillantis, eósque rigantis. Ipsa vox תורה *Lex* quatuor in sacrâ paginâ habet significata. (1) Significat *Dispositionem*, *Constitutionem*, *Ordinationem* alicujus rei. (2) Significat Legem *Mosaicam*, sive *Pentateuchum*. Ac sic dividitur, *Deut.* 6. 1. in מצות *præcepta*, nimirum *moralia*, חקים *statuta*, seu legem *ceremonialem*, & משפטים *Judicia*, nempe *forensia*. Omnia hæc dicuntur *Lex Mosaica*, *Joan.* 1. 17. (3) Significat omnes Vet. Test. libros, qui sunt Legis expositio. (4) Omnem doctrinam. (2) Verbum Dei, quatenus *mores* respicit, nominatur מצות *præcepta*: Quæ, secundùm *Kimhi*, sunt, *quicquid Deus præcepit, ad sui cultum & amorem*. מצות enim propriè imperium notat & Jus Imperantis: Sed quum notio hæc sensum restrictum habet, ad præcepta Dei moralia restringi videtur, & sic ad ἐντολὰς respondet, ut priùs. (3) Verbum Dei quatenus Lex est, nuncupatur פקודים *Mandata*; quæ vox innuit, reddendam aliquando esse ratio-

nem *observati*, vel *neglecti* præcepti: Vult *Kimhi* significari *ea præcepta, quæ intellectus dictat, & sunt instar depositi in corde hominis*, ideo dicta פקודים: sed vocabulum hoc sensum generaliorem adplurimum admittit. (4) Alterum nomen verbo Dei attributum, est חקים *statuta*; hæc notio præcepti constantiam notat: nam חקק est *insculpere*, vel *incidere* lapidi, ligno, vel metallo. *Kimhi* definit *statuta, ea præcepta, quorum ratio ignota est*, ut *suis* comedendæ prohibitio, &c. Sed vox ampliorem Ideam admittit, & eandem latitudinem ac ἄγραφα ἔθιμα apud Græcos habere videtur. Significat enim omnes sacros Ritus, sive *leges* Dei *positivas*, quibus Cultus Divinus, & Ecclesiæ regimen regulatur. Eò usque tamen valet *Kimhi* Glossema, quòd ratio talium statutorum adplurimum ignoratur. (5) Scripturæ S. quatenus Legis Ideam induunt, dicuntur etiam משפטים *Judicia*: *Quæ*, ut *Kimhi* arridet, sunt *rationes vivendi cum altero*, & propriè notant adjunctam præcepto vel mercedis promissionem, vel pœnæ comminationem. Sed *Beza*, & alii putant, hanc notionem propriè indicare eam partem Legis, quæ ad *Civilem* Judæorum *politiam* & forenses controversias pertinet, quam *Judicialem* nuncupant. (6) Alia legis vox *synonyma* est דרך *via*: Quæ, in genere, denotat vivendi *Institutionem* sive Rationem, secundùm Divinum exemplar. Voce דרכים admonemur, nos fore hoc

pacto

pacto Dei Imitatores, atque eo duce nos itineri commiſſuros, ſi non noſtro arbitrio, ſed illius vivemus ; uti *Camero*. Sicut enim Deus eſt juſtus, ſanctus, miſericors ; ſic & homo ad hoc exemplum Divinum vitam ſuam componere debet. Quare Lex ſæpe, præſertim *Pſal.* 119. nominatur *via Dei*, i. e. talis, ad quam quiſque viam ſuam componat. (7) S. Scriptura dicitur, אמרה *eloquium*, ſeu *dictum : Item* דבר *Verbum* ſeu *Sermo* : Quæ voces *promiſſiones* Dei, ſenſu ſtrictiori, ſignificant ; quamvis & generaliùs notent omnia mandata Dei ; ſæpiſſimè autem additur פי יהוה *Os Domini*, quo innuitur, Deum eſſe verbo ſuo adeò præſentem, ac ſi is vocem emitteret, auribus noſtris inſonantem. (8) *Iterum*, verbum Dei aliquando עדות *Teſtimonium* appellatur : Quod ſignificat propriè Legis doctrinam, quatenus habet *Ceremoniales*, & *Sacramentales* inſtitutiones ſibi adjunctas, qualis circumciſio, &c. (9) S. Scriptura dicitur etiam אמונה *Veritas* : Quæ ſæpiſſimè pro tota lege ponitur ; utcunque aliquando pro *fidelitate* Dei in præſtandis promiſſis uſurpetur. (10) Lex Dei appellatur צדק *Juſtitia* : Quæ æquitatem & Rectitudinem omnium præceptorum indicat.

De ſynonymis hiſce Legis Dei emphaticis primò notatu dignum eſt, nullum eſſe comma *Pſal.* 119. excepto 122. in quo una ſaltem harum vocum non reperienda eſt. Secundò notandum etiam eſt, quòd

varia hæc vocabula utcunque specie differre videantur, tamen sæpiùs, præsertim *Psal.* 119. unius ac ejusdem Ideæ sunt, & promiscuè usurpantur, ad doctrinam θεόπνευστον depingendam. Tertiò animadvertendum est, Hagiographos tantâ nomenclaturæ diversitate verbi Dei plenitudinem ac perfectionem indicare voluisse. Vocum enim synonymarum accumulatio rei plenitudinem & præstantiam demonstrat; ac inde multum reverentiæ eidem conciliat. Ita verbum Dei, quatenus est *Agendorum regula* sive *Lex*, variis hisce nominibus synonymis adumbratur, ad ejus perfectionem illustrandam. Porrò sacram scripturam, ratione Agendorum esse Legem perfectissimam, ulteriùs demonstrari potest in genere ex Legis Ideâ absolutissimâ.

SECT. II.

De S. Scripturæ Æquitate.

1. OMnis lex quò æquior eò perfectior est. *Æquitas* enim est *Mens Legis.* Ideo acutè dixit *Aristoteles Libr. polit. Legem esse mentem aliquam sine cupiditate,* i. e. *æquissimam.* Sacra autem Scriptura leges continet æquissimas. Immo, nonne dicam, totam æquitatis Rationem in lege hac Dei præscriptam esse? Nonne

Lex

Lex Dei moralis in ejus verbo promulgata, legum omnium & scopus, & regula, & terminus est? Immo, tanta est Legis Dei *Æquitas*, ut ipsæ Gentes, Hebræis inimicissimæ, leges suas ab eadem depromere haud renuerint. Græcos enim & Romanos optimas suas leges à legibus Hebræis traduxisse, fusiùs probatum est, *Atrio Gentilium, Part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. Neque hoc fuit sine prædictione Divina; quippe dicitur *Deut.* 4. 5 6. Dei statuta ac jura Hebræis communicata *sapientiam eorum fore coram Gentibus*: utpote quæ admiraturæ essent legum Hebraicarum *Prudentiam* & *Æquitatem*. Legis Divinæ, præ omnibus aliis Legibus, *æquitas*, ex hoc satis patet, quòd nullâ indiget *correctione*. Omnes autem Leges humanæ aliquâ lege corrigente indigent: Inde *Aristoteles, Rhetor. l.* 2. *c.* 25. *Androclem* ita loquentem citat, δέονται οἱ νόμοι νόμου τοῦ διορθώσαντος· καὶ γὰρ οἱ ἰχθύες ἁλὸς; *Leges lege corrigente indigent; sicut pisces sale.* Hæc legum correctio dicitur apud Græcos ἐπιείκεια *Æquitas*; quæ apud *Juristas* significat *Moderationem* quandam Rigoris istius, quem lex, ob universalitatem, præ se fert. Unde, ἐπιεικὲς, definiente *Aristotele*, ἔστι τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον· *Æquum est, quod justum præter legem scriptam est.* Idem *Hesychius*: ἐπιεικὲς καθῆκον, πρέπον, προσῆκον, ἱκανόν. Idem *Phavorinus*: ἐπιεικὲς ἀντὶ τοῦ πρέπον, *Æquum est quod convenit.* Et *Groti-*

us, de *Jure Bel. l. 2. c. 16.* ἐπιείκειαν sapienter definivit *Aristoteles*, correctionem ejus in quo lex deficit ob Universalitatem. Tali æquitate omnes Leges humanæ indigent. Sed omnes leges Dei, tum *morales*, tum *institutæ*, summâ æquitate gaudent: Nullus est casus particularis, in quo, ob rigorem, vel *correctione*, vel *moderatione* indigent.

Nullas leges humanas tam æquas esse, quin suis indigeant restrictionibus, aut exceptionibus in aliquibus casibus, ex infinitudine casuum particulariū qui occurrunt, probatur. Objectum enim legis est τὸ καθ' ἕκαστον, *singulare quid agendum*: Singularia autem sunt infinita: Quod verò infinitum est non potest terminari aut regulari à facultate finita. Ita *Aristoteles Rhet. l. 1. c. 2.* ἐπιστήμη ὴ τέχνη σκοπεῖ τὸ καθ' ἕκαστον· τὸ ὴ καθ' ἕκαστον ἄπειρον καὶ οὐκ ὀπιστόν. *Nulla ars considerat singularia: singularia enim sunt infinita, & non cognoscibilia.* Hinc in omnibus disciplinis activis exceptiones à regulis sunt perquam necessariæ: In his enim regulæ rarius κατὰ παντός, *universaliter*, veræ sunt: Quare qui regulas sive leges universales sine exceptionibus constituunt, adplurimùm falluntur & fallunt, uti bene notat *Aristot. lib. 1. Politicor.* τοῖς κατὰ μέρος ὀπισκοποῦσι μᾶλλόν ὀζι δῆλα τὰ πράγματα· καθόλα ὴ οἱ λέγοντες ἐξ ἁπάντων ἐξ ἁπάντων ἀυλῆς· *Iis qui ad partem aliquam attendunt, omnia sunt manifesta magis: sed qui*

qui universa pronunciant, decipientes seipsos decipiunt. i. e. qui ad pauca respicit facile respondet, sed qui de universis statuit citò fallitur & fallit, nisi abundanti cautelâ utatur. Hæc nullibi magis quàm in legibus constituendis locum habent. Quodliber enim factum, quilibetque casus particularis variat pro circumstantiis: circumstantiæ verò sunt suo modo infinitæ; ideóque nullis legibus universalibus finiri aut terminari possunt. Inde optimi Legislatores in legibus suis condendis semper locum reliquerunt *æquitati*; quæ est legis emendatio quædam, virtute cujus id quod in universali non erat exceptum, suppletur. Ita *Trajanus* ad *Plinium*, de Christianis puniendis, scribit: *Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest.* Bene novit sapiens Imperator Christianorum crimina haud jure ipsius definita esse, ac ideò noluit quicquam in particulari præscribere. Ab hac legum humanarum imperfectione oritur commune illud effatum, *quòd leges sine magistratu sunt mortuæ*; nempe quia vitam ac spiritum hauriunt ab illa æquitate, quæ in pectore magistratus latere debet, estque quasi *mens* legis, uti priùs. Hinc etiam est quòd omnes Leges humanæ sunt mutabiles & temporibus accommodandæ, uti in sequentibus.

Hæc omnia perfectionem Legis Dei S. Scripturâ promulgatæ magnopere demonstrant. Nullus enim est casus tam singu-

laris, nulla est circumstantia tam extraordinaria, cujus non datur aliqua regula ac determinatio, vel particularis vel generalis, in S. pagina. Porrò leges Divinæ S. Scriptura consignatæ, nullas exigunt emendationes, nullas admittunt exceptiones, nullóve Judice externo & visibili indigent, ad illas secundùm æquitatis regulam corrigendas: sunt enim in se commensuratæ cuique casui & circumstantiæ; sunt etiam vivæ, quatenus spiritu Dei animantur. Summa Divinarum legum æquitas optimè depingitur Psal. 19. 9.

Psal. 19. 9. *Judicia Jehova sunt veritas, & pariter justa comperiuntur omnia, vel omnia justificata sunt simul.* Nam צדקו significat *justificata sunt*, à צדק *justus, æquus, verax est, & talis agnitus est.* Verbum forense est, & dicitur primariò de personis, rebus, actionibus & sermonibus: hîc attribuitur judiciis sive legibus Dei, de quibus dicitur, *omnia justificata sunt simul*, i. e. omnia ad unum, citra vel minimam exceptionem, æquissima & justissima sunt, utpote facta in maxima veritate ac æquitate. Nullum in eis inventum est vitium, nullâ, ob nimium rigorem, exceptione aut emendatione opus est. Humana judicia sunt aliquando nimis severa, aliquando nimis laxa; aliquando etiam secum ipsa discordant, variisque intricantur injustitiis ac repugnantiis. At Dei Judicia æquissima sunt, ideóque quadrant undiquaque, ac mirè inter se consentiunt. Inde

dicitur

dicitur Psal. 45. *Virga rectitudinis sceptrum regni*: per *sceptrum regni* intelligenda sunt judicia Christi, quæ dicuntur *virga*, sive *sceptrum rectitudinis*; quod indicat summam eorum æquitatem.

SECT. III.

De Legis Divinæ regali Majestate.

2. ALterum Legum Divinarum Attributum, quod summam præ se fert perfectionem, est earum *regalis* ac Augustissima *Majestas*. Omnis enim *Lex* est *Rex*; & quò magis Regalis quælibet lex est, eò magis perfecta est. Unde *Pindarus*, referente *Platone*, dixit, ὁ νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς, θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων, *Lex omnium Rex est, tum mortalium tum immortalium.* Et ipse *Plato* vult, quòd *Lex sit*, Δεσπότης τῶν ἀρχόντων, οἱ δὲ ἄρχοντες δοῦλοι τοῦ νόμου, *Dominus principum, principes autem servi legis.* Idem *Arist. Polit. l. 4. c. 4.* Δεῖ μὲ νόμον ἄρχειν πάντων, *oportet legem omnibus imperare.* Hæc autem Legis proprietas.

(1) Ab ejus Æquitate emanat: nam quò major est æquitas legis, eò majus est ejus imperium: Inde Lex naturæ (quæ fons

ſons aliarum legum humanarum eſt) quia æquiſſima, ideo & auguſtiſſima eſt. Ita *Plato*, *Minos* 317. τὸ μὲ ὀρθὸν νόμῳ ὄν βασιλικὸς, *Rectum eſt Lex baſilica*, ſive *Auguſtiſſima & regalis*. Per *rectum*, intelligit *Legem Naturæ*, (ſi non Divinam) quæ fons eſt Rectitudinis, & æquitatis. Et hæc ſanè *Legis* Idea nullibi tam illuſtris & conſpicua eſt, quàm in Legibus Divinis, S. Scripturâ delineatis. Lex enim Dei expreſſim nominatur *Regalis*, Jac. 2. 8. Jacob. 2. 8. *Quòd ſi legem Regiam præſtatis*, βασιλικὸν, i. e. *Auguſtiſſimam Dei legem*. Nec immeritò ſanè Lex Dei *baſilica*, ſive maximè regia nominatur, quum maximam in ſe contineat *æquitatem & rectitudinem*. Leges humanæ non rarò multùm *rigoris*, ſed parum *æquitatis* præ ſe ferunt. Unde *Hippias* Sophiſta, apud *Platonem*, *Protagor. fol.* 337. Ita loquitur: ὁ δὲ νόμος τύραννος ὢν τῶν ἀνθρώπων, πολλὰ παρὰ τὴν φύσιν βιάζεται, *Lex autem, cùm ſit Tyrannus hominum, multa præter naturam* (i. e. æquitatem quæ lex naturæ eſt) *cogit*: tam iniquæ, ſaltem parum æquæ, ſunt leges adplurimùm humanæ. At Leges divinæ, quum ſint æquiſſimæ, etiam maximè regiæ ſunt.

(2) Leges Dei maximè *Regiæ* dicuntur, quia poteſtatem habent ligandi & ſolvendi conſcientias hominum. Leges humanæ eouſque Regiæ ſunt, quouſque ligant & ſolvunt homines quoad externa. Nulla autem lex humana, quà talis, conſcientiam,

ſcientiam immediatè ligat aut ſolvit. Conſcientiæ enim Legiſlator & Judex ſolus Deus eſt: Jac. 4. 12. *Unus eſt Legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere.* Jac. 4. 12. Poſterior propoſitio rationem reddit prioris: ratio enim cur unus ſolus conſcientiæ Legiſlator eſt, nempe Deus, hæc eſt, quia ipſe ſolus poteſt bonos ſervare, & remunerare, malòſque perdere ſive punire. Ideo omne peccatum contra Deum eſſe dicitur, *Pſal.* 51. 4. 1. Joan. 3. 4. Deus autem conſcientiam ligat & ſolvit per leges ſuas, tum *morales* tum *inſtitutas.* Ita Mat. 16. 19. *Et tibi dabo claves regni cœlorum*; Mat. 16. 19. *& quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis; & quicquid ſolveris in terra erit ſolutum in cœlis.* Per *claves cœlorum*, intelligendæ ſunt hîc Inſtitutiones ſive leges Evangelicæ, quas Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, tanquam *œconomo* tradidit, nomine *Petri* ac Apoſtolorum. Metaphora evidenter deſumta eſt ab *Oeconomis*, quibus *claves* Domûs dantur, ad res utiles condendas, & promendas. Hinc in *Politicis* clavis traditio ſignum fuit poteſtatis miniſterialis collatæ, *Eſa.* 22. 22. Sic & in *Scholis Judaicis* clavis fuit ſignum *Doctoris*, Luc. 11. 52. Ita hic *claves regni cœlorum*, ſunt Leges Chriſti primariò *Petro* aliiſque Apoſtolis, ac per eos toti Eccleſiæ Evangelicæ traditæ. Proxima autem metaphora *ligandi* & *ſolvendi* à metaphora clavium recedere videtur; ſed tamen eandem reverà explicat. Chriſtus enim

reſpicere

reſpicere videtur ad ligationem & ſolutionem vinculorum ſive catenarum; quæ appoſitis ſeris compingi, & ope clavium reſerari ſolent. Et ſanè peccata ſunt vincula, quibus ligati detinentur homines, ne regnum cœlorum ingrediantur: demtis verò illis introire licet. Ita per *claves regni cœlorum* Leges Chriſti intelligendæ ſunt; per *ſolvere* & *ligare Actus* miniſtrorum & Eccleſiæ, quibus ex officio convenit leges Chriſti declarare & applicare. Hinc patet clavium poteſtatem *ſupremam* ac *regiam* non in Papa, non in Conciliis, non in paſtoribus ſeorſum, non denique in Eccleſiis, ſed legibus Chriſti ab eo impertitam eſſe; utcunque particularis & miniſterialis applicatio harum clavium, Eccleſiæ ſuiſque miniſtris competit. Ex his ſatis luculenter patet, Leges Dei eſſe maximè Regias, quia eis ſuprema ac principalis poteſtas ligandi ac ſolvendi conſcientias convenit.

(3) Leges Dei ſunt auguſtiſſimæ, quia *via Regia* ſunt ad cœlum. Hunc vult *Beza* eſſe ſenſum *Jac.* 2. 8. νόμον βασιλικὸν; Lex, inquit, eſt *regia*, i. e. ſine ullis diverticulis, & quaſi *via regiæ* inſtar, omnibus patens. Hoc etiam cum Syriaco Interpretamento convenit: *Syrus* enim βασιλικὸν accipit pro τῦ θεῦ, i. e. *Dei*, qui per antonomaſiam *Rex* vocatur, ac proinde ἀυτοκράτωρ, à cujus mandatis deflectere haud fas eſt. Ita Leges Dei ſunt maximè Regiæ, quia tanquam *via Regia*,

Jac. 2 8.

Regia ab ejus conſtitutione manant, & ad ſui-ipſius fruitionem quaſi terminum nos ducunt; ac denique omnibus liberè patent. Inde commate 12. Lex regia nominatur *Lex libertatis*; quia uti via regia omnibus libera eſt; ſed præſertim, quia omnibus in hac via ambulantibus regium animum, ac ſtatum impertiunt. Ita Pſal. 119. 45. *In latitudine ambulabo, quia præcepta tua quæro.* ברחבה *In latitudine*, i. e. *in lata via.* Mens verborum videtur eſſe hæc: Non quæro obliqua politicorum diverticula; non carnis viam fallacem; ſed ampliſſimam ac regiam legis tuæ viam; unde ſummâ Amplitudine & Libertate ambulabo. Jac. 8. 12. Pſ. 119. 45.

(4.) *Leges Dei* non immeritò maximè *regiæ* æſtimantur, quia ſunt vinculum *Unionis* inter animum pium ac Deum. Leges humanæ regiæ nuncupantur; quia ſunt Ideæ ſive ſigna voluntatis ejus, qui ſupremam obtinet poteſtatem, ac ita vinculum inter illum ac populum ei ſubditum. Quam ob rationem Leges Dei auguſtiſſimæ reputandæ ſunt, quoniam Dei voluntatem nobis exhibent, virtute cujus anima pia unionem cum Deo, Rege Regum, habet. Quantò enim magis homo Deo unitur, tantò auguſtioris & altioris ſtatûs efficitur: quò etiam arctiùs creatura creatori ſuo, qui ſumma èſt Dignitas & Libertas, ſubditur, eò fit liberior: Omnis autem pius legibus Divinis Deo ſubditur ac unitur: quare leges hæ ſunt maximè

maximè regiæ. Ita *Aquinas*, 'Homo, inquit, 'quantò Deo magis conjungitur, tantò 'efficitur melioris conditionis: Et ideo 'quantò populus Judæorum magis astrictus 'erat ad Divinum cultum, tantò dignior 'aliis populis erat. Unde dicitur Deut. 4. 6, 7. *Quæ alia gens tam inclyta est, &c.* Hæc dignitas Judæorum, præ cæteris gentibus, ortum suum habuit à lege illa regia quam Deus illis tradidit, & virtute cujus unionem cum Deo habuerunt. Inde *Calvinus*; 'Huc, inquit, respicit legis 'doctrina, ut hominem vitæ sanctitate 'cum Deo suo conjungat, & cohærere 'faciat. Hinc commune illud dictum, *Deo servire est regnare*; quia Dei servitus, lege suâ præscripta, unionem cum illo ac inde summam dignitatem simul ac libertatem affert. Hujus exemplum & symbolum fuit *Mosis* facies, *Exod.* 34. 29. Ubi *Mosis* facies gloriâ Divinâ irradiari dicitur: Et quid hoc vult? Sanè nihil aliud, quàm *regiam gloriam* legis quam *Moses* promulgavit, quâ mediante, populus Judaicus unione ac communione cum Deo habebat: Ita explicatur à *Paulo*, 2 *Cor.* 3. 7.

(5) Leges Dei sunt maximè regiæ, quia omnes alias leges humanas judicant, sed à nullis judicantur. Inter leges humanas, quò superior lex est, eò magis regia; quia plus Autoritatis sibi vendicat. Leges autem Dei supremæ sunt: nullam habent legem superiorem; ideóque à nulla judicantur: quare qui legem Dei judicat,

judicat, reus est læsæ majestatis Divinæ: Ita Jacob 4. 11. *Quòd si judicas legem, non es observator Legis sed judex.* Talis ac tanta est legum Dei regia Majestas præ omnibus legibus humanis.

SECT. IV.

De Legis Divinæ Universalitate.

3. LEgum Divinarum perfectio ab earum latitudine ac universalitate evincitur. Lex enim eò perfectior est, quò latior ac magis comprehensiva est. Ita *Aristoteles Rhet. l. 1. c. 1.* Μάλιστα μὲν γὰρ πάντων τὰς ὀρθῶς κειμένας νόμους, ὅσα ἐνδέχεται, πάντα διορίζειν αὐτὰς, καὶ ὅτι ἐλάχιστα καταλείπειν ἐπὶ τοῖς κρίνουσι· *Ac maximè quidem convenit, leges rectè conditas, quacunque contingunt, ipsasmet omnia definire, ac quàm paucissima potestati Judicum relinquere.* Et in iis quæ sequuntur, rationem reddit optimam; nimirum, *quia Legislator non judicat de particularibus, neque de præsentibus; sed de futuris & universalibus: Judex autem judicat de præsentibus ac particularibus; ideóque affectus adjunctos habet, qui ejus judicium obscurant.* Maxima sanè ratio est, cur Legislator totum,

tum, ac Judex minimum quod possit determinet. Sed, heu! inter mortales quis unquam leges tam universales constituit? Nonne omnes leges humanæ nimis angustæ & contractæ sunt? Quare, multum, quod Legislatori magis convenit, Judici relinquitur. Optimè quidem *Cicero*, *Latiùs*, inquit, *patet officiorum, quàm juris regula*, i. e. *Jus* Romanorum *civile*, (quod tamen optimum fuit) nimis angustum & contractum erat, ad officia omnia regulanda.

Leges autem Dei tum *morales*, tum *positivæ* amplitudine & universalitate quadam gaudent. Non *latiùs* hîc *patet officiorum, quàm juris regula*. Nullum est officium, quod non sub aliqua lege divina comprehendatur: nulla est virtus cujus ratio formalis in conformitate alicui legi Divinæ non consistat: nullum denique est vitium, quod non lege aliquâ divinâ corrigatur. Bene *Seneca*, *Nisi ad regulam prava non corriges*. Et quænam regula est quæ prava magis corrigit quàm Lex Dei?

Legem Dei tum moralem, tum positivam, sive institutam esse in se maximè extensivam ac universalem, facilè patebit, (1) Si ejus ideam contemplemur. *Aristoteles Rhet. l.* 1. *c.* 13. Legem dispescit in *privatam* ac *communem*: *legem communem* vult esse ἣ κατὰ φύσιν, eam quæ *secundùm naturam est*. Et annon talis est Lex Dei? Nonne quodlibet ejus præceptum naturæ humanæ maximè congruit?

Iterum

Iterum *Aristoteles, Eth. l. 2. c. 2.* dicit, τὸ μὲν ἓν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττειν κοινὸν, καὶ ταυτόν, *Secundùm rectam rationem agere commune est, & hoc supponatur.* Quid autem secundùm rectam rationem agere esse statuamus? Nonne hoc, secundùm Dei legem moralem agere? Hinc satis patet, præcepta Dei moralia esse maximè communia, quæ omnibus naturaliter conveniunt. Illud quidem longissimè à natura & recta ratione distat, quod à lege Dei morali distat.

(2) Legem Dei esse universalissimam ex ejus objecto constat. Dicit *Plato Leg. 10. Legislatoris officium esse respicere, non ad partem,* ἀλλὰ πρὸς παῦαν ἀρετὴν, *sed ad omnem virtutem.* Talis autem respectus nullibi nisi in Lege Dei invenitur. Leges humanæ imperant bona tantùm exteriora, quæ Reipublicæ & vitæ communi conferunt: faciunt cives bonos, sed non homines bonos simpliciter. Lex autem Dei omnia bona, tam interiora, quàm exteriora jubet; omniaque mala prohibet; ipsaque sola non bonos tantùm cives, sed homines optimos simpliciter reddit. Decem præcepta Decalogi non literaliter & sensu strictiori sunt sumenda, sed largissimè, tanquam totidem *Pandectæ* Christiana, sive *loci communes* omnium officiorum moralium; & sic exponenda & extendenda sunt secundùm commentarios prophetarum, & Christi, & Apostolorum. Inde *Lutherus,* ‘Verbum, inquit,

‘publicè

tum, ac Judex minimum quod poſſit determinet. Sed, heu! inter mortales quis unquam leges tam univerſales conſtituit? Nonne omnes leges humanæ nimis anguſtæ & contractæ ſunt? Quare, multum, quod Legiſlatori magis convenit, Judici relinquitur. Optimè quidem *Cicero*, *Latiùs*, inquit, *patet officiorum, quàm juris regula*, i. e. *Jus* Romanorum *civile*, (quod tamen optimum fuit) nimis anguſtum & contractum erat, ad officia omnia regulanda.

Leges autem Dei tum *morales*, tum *poſitivæ* amplitudine & univerſalitate quadam gaudent. Non *latiùs* hîc *patet officiorum, quàm juris regula*. Nullum eſt officium, quod non ſub aliqua lege divina comprehendatur: nulla eſt virtus cujus ratio formalis in conformitate alicui legi *Divinæ* non conſiſtat: nullum denique eſt vitium, quod non lege aliquâ divinâ corrigatur. Bene *Seneca*, *Niſi ad regulam prava non corriges.* Et quænam regula eſt quæ prava magis corrigit quàm Lex Dei?

Legem Dei tum moralem, tum poſitivam, ſive inſtitutam eſſe in ſe maximè extenſivam ac univerſalem, facilè patebit, (1) Si ejus ideam contemplemur. *Ariſtoteles Rhet. l.* 1. *c.* 13. Legem diſpeſcit in *privatam* ac *communem*: *legem communem* vult eſſe ἣν κατὰ φύσιν, eam quæ *ſecundùm naturam eſt.* Et annon talis eſt Lex Dei? Nonne quodlibet ejus præceptum naturæ humanæ maximè congruit?

Iterum

Iterum *Aristoteles, Eth. l. 2. c. 2.* dicit, τὸ μὲν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττειν κοινὸν, καὶ ἀναγκαῖον, *Secundùm rectam rationem agere commune est, & hoc supponatur.* Quid autem secundùm rectam rationem agere esse statuamus? Nonne hoc, secundùm Dei legem moralem agere? Hinc satis patet, præcepta Dei moralia esse maximè communia, quæ omnibus naturaliter conveniunt. Illud quidem longissimè à natura & recta ratione distat, quod à lege Dei morali distat.

(2) Legem Dei esse universalissimam ex ejus objecto constat. Dicit *Plato Leg. 10. Legislatoris officium esse respicere, non ad partem, ἀλλὰ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν, sed ad omnem virtutem.* Talis autem respectus nullibi nisi in Lege Dei invenitur. Leges humanæ imperant bona tantùm exteriora, quæ Reipublicæ & vitæ communi conferunt: faciunt cives bonos, sed non homines bonos simpliciter. Lex autem Dei omnia bona, tam interiora, quàm exteriora jubet; omniaque mala prohibet; ipsaque sola non bonos tantùm cives, sed homines optimos simpliciter reddit. Decem præcepta Decalogi non literaliter & sensu strictiori sunt sumenda, sed largissimè, tanquam totidem *Pandectæ* Christiana, sive *loci communes* omnium officiorum moralium; & sic exponenda & extendenda sunt secundùm commentarios prophetarum, & Christi, & Apostolorum. Inde *Lutherus*, ‘Verbum, inquit,

‘publicè

'publicè prædicatum cives domum repor-
'tant; & ex verbo diſcunt ſe, & ſuos
'gubernare. Ita ut ubique experiamur
'in Templo, in Republica, in Oeconomia,
'certos verbi fructus; quod ceu *Fermen-*
'*tum* omnes Reipublicæ partes, officia &
'ſtatus omnes pervadit. Immo Decalo-
gus non ſolùm officia moralia, ſed & E-
vangelica aliquo modo determinat: Etſi
enim non mentionem facit de quolibet
officio Evangelico in ſpecie, genus tamen
cujuſlibet exprimit: quare utcunquè non
fuit officium ex generali præcepto, donec
in Evangelio ſpecificatum erat: poſt ta-
men Evangelii ſpecificationem, ejuſdem
omiſſio peccatum eſt contra Decalogum.
Confitendum eſt Decalogi præcepta, quoad
literam, eſſe valde contracta; ſed nemi-
nem latere debet, in omnibus fere præ-
ceptis ſynecdochas eſſe; ut à ſcopo mul-
tùm errare neceſſe ſit, qui legis ſenſum ad
verborum anguſtias reſtringit. Sapien-
ter *Calvinus*, 'Deus, inquit, velut dimi-
'diatis præceptis, per ſynecdochas ſignifi-
'cârit magis quid vellet, quàm expreſſe-
'rit, ut meliùs intelligamus quantâ ſint in
'abominatione cætera vitia, cujus voce
'in tam horrendi flagitii ordinem rejici-
'untur.

(3) Legis univerſalitas ex *ſubjecto*, quod informat ac dirigit, demonſtrari poteſt: Dirigit enim & ordinat omnes animæ humanæ facultates, functiones, & operationes tum internas, tum externas, ad propria

propria sua objecta proprioſque fines; easque afficit accidentibus inseparabilibus, ac circumstantiis essentialibus; adeò ut actus qui hac lege bonus est nunquam fieri possit malus & qui malus est nunquam fieri possit bonus; & qui bonus vel malus est nunquam fieri possit indifferens; immo nullus actus in individuo indifferens sit.

(4) Legem Dei ampliſſimam ac universaliſſimam esse, ex ejus *Fine* constat: Finis enim eundem locum habet in *Moralibus*, ac Forma in *Naturalibus*. Finis autem legis est vel *universalis* ac *ultimus*, vel *particularis* & *proximus*. Finis universalis ac ultimus est, ut homo Deo adhæreat: Lex enim Dei ad hoc principaliter tendit, ut homo per amorem & obedientiam Deo adhæreat: Intentio enim cujuslibet Legislatoris est, eos, quibus legem dat optimos reddere: sed inter humanos actus optimus est Deo adhærere: ex hoc igitur fine universaliſſimo, lex amplitudinem ac efficaciam quandam universaliſſimam, penè dixeram infinitam adipiscitur. Finis autem proximus & particularis legis est is, ad quem quodlibet præceptum propriè collimat. Ut autem finis hic sit cognitus, in singulis præceptis inspiciendum est de quo agitur: deinde quærendus finis, donec reperiatur quid propriè illic intenditur. Ita *Calvinus*, 'Ultra verba, inquit, progrediendi 'hunc modum optimum fore censeo, si

'ad

'ad præcepti rationem dirigatur: nempe 'ut in unoquoque præcepto expendatur, 'cur datum nobis fuerit. Hoc cujuslibet præcepti fine proximo reperto, exinde abunde patebit quanta est universalitas illius præcepti: Finis enim est mensura rei.

(5) Legis universalitas ex ejus *spiritualitate* liquet. Quò enim magis spiritualis lex est, eò magis extensiva. Legis autem spiritualitas, ex ejus Autore, objecto, subjecto, fine, efficacia, & effectis abunde constat. Ita *Calvinus*, 'Initio, 'inquit, constitutum sit, non ad externam 'honestatem modò, sed ad interiorem 'spiritualemque justitiam, hominis vi'tam in lege informari: Id fit quia à Le'gislatoris ingenio, natura quoque legis 'æstimanda est. Nam quum sit spiritua'lis Legislator, animæ non minùs quàm 'corpori loquitur. Idem *Paulus*, Rom. 7. 14. *Lex est spiritualis, &c.* Hactenus de Legis Divinæ universalitate in genere.

Speciatim, Leges Dei *positivas* sive *Institutas*, Amplitudine quadam ac universalitate gaudere, haud difficile est demonstrare. Per leges *positivas* & *Institutas* intelligo eas, per quas Deus suum cultum, suamque Ecclesiam, ordinat ac disponit. Dei autem Instituta esse unicam & adæquatam cultûs Divini mensuram, ex ipsis Philosophorum placitis probari potest. Sic *Plato*, *Leg.* 6. Ἐκ Δελφῶν δὲ χρὴ νόμους περὶ τὰ θεῖα κομισαμένους, καὶ καταστήσαντες

σαντες ἐπ' αὐτοῖς ἐξηγητὰς τούτοις χρῆσθαι. *Leges autem de rebus divinis, ex Oraculo Delphico petantur, illisque Interpretes constituantur: Atque harum ita usus esto.* Idem *Plato, Leg.* 10. Μὴ ἐξεῖναι θεοπολεῖν παρὰ νόμον, &c. *non liceat sacra constituere contra, vel præter, legem.* Et alibi docet, οὐδὲ θεοφιλὲς, *nihil Deo gratum esse quod non voluntate ipsius mensuratur.* Idem *Mirandulan.* de fide & Ord. Cred. *Omnis Religio supernis revelationibus nititur, aut niti præsumitur.* Ita *Tertullianus*, de Anima: *Quis revelabit, quod Deus texit? &c.* Et *Basilius*, in *Definit. Quæst.* 98. dicit, *eos qui præsunt, extra scripturæ canonem nihil præcipere debere, ne falsi Dei testes, & sacrilegi inveniantur.* Optimè *Marsil. Patavinus*, *Defens. Pacis, part.* 3. *concl.* 4. ‘Solius, inquit, novæ legis Divinæ præcepta, vel ‘ad ipsa per necessitatem sequentia, & quæ ‘secundum rectam rationem fieri aut omitti convenit, propter æternam salutem necesse servari. Sic *Lutherus*: ‘Omne quod extra Dei verbum fit, est ‘Idololatria: Omne quod fit in verbo Dei ‘est cultus verus. Iterum: Nullus, inquit, est finis peccandi, ubi semel à verbo Dei deflexum est. Et *Cassander*, *Consult.* in *Art.* 15. ‘*Erasmus*, inquit, alicubi conqueritur, idque fortassis non immeritò, totam ferè Religionem hactenus ‘redactam esse ad ceremonias, & vigorem Evangelicum propemodum per eas ‘fuisse antiquatum. Immo ipse *Campanella*,

nella, pol. agnoscit, quòd *Legislator Divinus Ideam propriæ Reipublicæ habet in curia cœlesti*, i. e. S. Scriptura. Idem etiam *Davenantius, de Jud. cap. 4. fol.* 8. ‘ Opera cultûs pendent à voluntate Dei colendi: unde non colitur omnino Deus illis ‘ operibus, quibus an velit se necne coli, ‘ non indicavit. Sed voluntatem Dei ‘ nemo potest scire hac in re, nisi ipso ‘ Deo revelante & mandante. *Quis enim ‘ cognovit mentem Domini, aut quis fuit ei ‘ à consilio* ? Huic rei illud attestatur, ‘ quòd omnes quotquot unquam ex proprio sensu operibus suis adventitiis Deum colere putârunt, illum non honorârunt, sed irritârunt, imò Dæmonia, aut ‘ proprii sui cordis idola, potiùs quàm ‘ Deum coluisse inveniuntur. *Fornicati sunt in adventionibus suis, & iratus est Dominus, &c.* Psal. 106. 39. Plura videas apud eundem *Davenant.* è patribus collecta, quæ hanc thesin stabiliunt. Idem *Davenant. de Jud. c. 9. fol.* 38. Ubi ita ad *Bellarmini* objectionem respondet: ‘ Ad ‘ profanas respublicas quod attinet, quæ ‘ partim scriptis legibus, partim non scriptis reguntur, illud dico, non esse eandem rationem: Nam quæ humanum ‘ captum non superant, possunt humanis ‘ judiciis committi; sed Religio est quidam supra captum hominis; ac proinde ‘ certis ac immutabilibus legibus ab ipso ‘ Deo præscribenda. Ad jus civile quod ‘ attinet, nempe eandem *autoritatem tri-*

‘ *bui*

'*bui consuetudini non scriptæ, & legi scriptæ,* 'ex ipso jure respondemus, *valere consue-* 'tudinem quando deficit lex: Et, *contra le-* 'gem scriptam non valet consuetudo.

Legum Divinarum tum moralium tum positivarum Amplitudo ac Universalitas, ex ipso Dei Testimonio liquescit: Dicitur enim Psal. 119. 96. *Sed latum præceptum tuum valde*: רחבה, i. e. *ampliſſimum*, nullos dimensionis terminos admittit; longitudinem sine fine, latitudinem sine termino habet: utcunque enim radix cujuslibet præcepti sit finita, ramuli tamen qui inde pullulant sunt infiniti, utì *Kimhi*. Antithesis hîc inter Dei legem ac omnem perfectionem creatam est notatu digniſſima, *Vidi* (inquit *Psaltes*) *finem cujusvis perfectionis*, i. e. quælibet perfectio creata suos habet terminos, eósque valde contractos ac angustos: quilibet enim oculatus eosdem videat, sicut & ego. *Præceptum autem tuum valde latum est*, i. e. nullos habet terminos, nullosque fines, sed summâ amplitudine ac universalitate gaudet. 'Hæc est ratio, inquit *Calvinus*, 'cur *David* tam magnificè prædicet legis 'excellentiam, totque ejus encomia 'recenseat, ne scilicet Judæi quicquam 'expeterent extraneum, quum tota per-'fectio illic inclusa est. Idem probari possit ex Psal. 119. 129. *Testimonia tua sunt mirabilia*, פלאות, i. e. multa mysteria sublimia, varios sensus spirituales, plurima, immo penè infinita, ad humanam Psal. 119. 96. Psal. 119. 129.

vitam ordinandam, omnibus non obvia in ſe continent præcepta. Vel ſimpliciter *mirabilia* explicare poſſes præſtantiſſima, & ſupra omnes leges humanas perfecta, uti *Deut.* 4. 6, 7. Tanta eſt perfectio legum divinarum ratione amplitudinis.

SECT. V.

De Legis Divinæ Immutabilitate.

4. PErfectio legum Divinarum præ omnibus humanis ex earum *Immutabilitate* patet: Quò enim permanentior Lex eſt eò perfectior: Leges autem Divinas maximè permanentes eſſe facilè demonſtrari poteſt, tum ab earum æquitate, tum ab univerſalitate. Leges enim humanæ, ob nimium rigorem vel anguſtias, valde mutabiles ſunt. Ideo ingeniosè dictum fuit à philoſopho, *quòd leges principum accommodandæ ſunt temporibus, non aliter quàm ſoleæ pedibus*; Ratio eſt, quia minima variatio circumſtantiarum, aut accidentium, aliquando variationem legum requirit. Talis autem variatio non competit Legibus Dei; quia ipſe prævidet omnes circumſtantias maximè contingentes, omneſque caſus qui accidere poſſunt: ideoque leges ſuas ita ordinat, ut omnes caſus omneſque circumſtantias

stantias comprehendant. Iterum, Leges humanæ ideo aliquando mutandæ sunt, quia mutantur magistratus: Leges enim sine magistratu sunt mortuæ. Deus autem nunquam mutatur; ergo nec leges ejus, quæ se extendunt usque ad ultimum providentiæ ipsius terminum, i. e. in æternum. Deus enim per suum Spiritum præsens est cum suis fidelibus, ad leges suas interpretandas, &c. Optimè *Cunæus, de Repub. Jud. p. 6.* 'Jam verò, quò firmior Respublica foret, ita sanxit edixitque 'omnia (Deus) uti ex legibus fierent. 'Legum autem non dominos, sed custodes & ministros esse magistratus voluit. 'Quæ constituta ab illo rectissimè sunt. 'Cùm enim homines etiam optimos, ira 'interdum aut amor transversos à recto 'agat, solæ leges repertæ sunt, quæ cum 'omnibus semper unâ ac eadem voce loquerentur. Atque hoc est, quod subtiliter dixisse mihi *Aristoteles*, in libris polit. videtur, *Legem esse mentem quandam sine cupiditate.* Accedit, quod rerum 'omnium primum est, æterna legum stabilitas; quibus adjicere aliquid aut demere piaculare nefas fuit. Non veteres 'aboleri, non rogari novas contigit. 'Observatio verò earum exacta ab omnibus rigidissimè est, etiam inclinantibus 'Reipublicæ fatis. Quod planè contrà 'aliis in rebus-publicis fuit, quæ legibus 'fundatæ cùm essent, legibus eversæ sunt. 'Nam & dominantium plerique, ut ali-

'quid ſuum viderentur afferre, etiam 'recta commutaverunt; & ſanctiones 'multæ per deſuetudinem, plures (quod 'flagitioſius eſt) contemptu abolitæ, ſe- 'curiora vitia fecere. Sed nos eam di- 'verſitatem nunquam mirati ſumus. 'Cæterarum enim gentium leges cùm 'hominum excogitatæ ingeniis ſint, ſe- 'veritas pœnæ tuetur, quæ tempore ple- 'runque, aut dominantium ſocordiâ ceſ- 'ſat. At quæ Judæis obſervantur æterni 'Numinis ſcita ſunt, quibus nihil longa 'dies, aut judicum derogat facilitas. 'Manent enim eademque ſunt; & cùm 'ſecures, & virgæ non ampliùs timentur, 'terret tamen animos Religio. Hactenus *Cunæus* de Legibus Hebræorum.

Sed dum de Legum divinarum Immutabilitate diſſerimus, haud obliviſcendum eſt, leges Hebræorum ceremoniales abrogatas fuiſſe. Hoc autem evenit non ex legum ipſarum imperfectione, ſed ex Dei Legiſlatoris conſtitutione: Voluit enim ſapientiſſimus noſter Legiſlator legibus hiſce ſymbolicis, velut umbris tenebricoſis viam ſternere ad corpus ſolidum vivamque imaginem legis Evangelicæ: Ideoque etſi umbræ evanuerunt, corpus tamen & imago hiſce umbris involuta manet. Nihil enim in legibus Hebræorum umbraticis, cujus non eſt aliquid *σύσοιχον* & *ἀνάλογον* in lege Evangelica. Nonne *Moſi* propoſitum fuit terrenis typis res ſpirituales & Evangelicas adumbrare?

brare? Nonne hæc fuit mens ceremoniarum, modum reconciliationis inter Deum & homines edocere? Quid fuere ſacrificia cæterique carnales Judæorum Ritus, niſi Evangelium involutum; vel potius *Sol Juſtitiæ* nubibus hiſce typicis obvelatus? Quare nubes diſſipantur, ut Sol magis eluceſcat; τὸ αἰσθητὸν aboletur, ut τὸ νοητὸν clarius appareat.

Leges autem Dei *morales* in æternum, & *Evangelicæ* dum mundus durat, immutabiles ſunt. Haud negandum eſt, aliquos Theologos aſſerere, quædam Decalogi præcepta, quæ non à natura, ſed a libera Dei voluntate fluunt, ut præceptum 4, 5, 6, 8. & ex parte 10. pro eadem divina voluntate mutabilia eſſe: concedunt tamen, præcepta ea, quæ abſolutè pendent à Dei natura, ut contraria iis velle aut præcipere ἀδύνατον ſit, qualia ſunt 1, 2, 3, 7, 9. ſimpliciter immutabilia eſſe. Immo volunt Decalogum eouſque immotam eſſe Juſtitiæ regulam, ut nulli hominum liceat regulam hanc mutare, aut ab ea deflectere. Quouſque hæ diſtinctiones valeant, impræſentiarum nobis haud incumbit inquirere: Hoc tamen videtur pluſquam probabile, omnia Decalogi præcepta eſſe moralia, i. e. humanæ naturæ maximè congrua, immo moraliter eſſentialia, ideóque immutabilia, ſaltem ſecundùm Dei voluntatem conſtitutam.

Legis Dei Immutabilitas multis S. Scripturæ locis inſignitur: Sic Pſ. 119. 89.

Pſal. 119, 89. *In æternum Jehova verbum tuum permanet: in cœlis ſtabilitur.* Per *verbum Dei* primariò intelligendum eſt promiſſum; ſed paritate rationis etiam præcepta intelligantur. Hoc verbum Dei dicitur, *ſtabiliri in cœlis.* נצב ſignificat ita *ſtabiliri*, ut firmiſſimo nitatur fundamento: ideo ſequitur, *in cœlis*, i. e. apud te, in tua determinata voluntate ac conſtitutione cœleſti. Idem v. 152. *Initio jam pridem*

Pſal. 119. 152. *cognovi de teſtimoniis tuis, quod in æternum fundâris ea.* Demonſtrat, quod modò dicebat, *& omnia præcepta tua veritas.* Quaſi dixerat: Jamdudum mihi exploratum fuit de præceptis tuis, quòd illa ſint æternæ veritatis, ac immutabilia. Verbum יסדתם *fundâſti ea*, magnam habet emphaſin, fundamentum enim immotum denotat. Ita commate 160. *Ab*

Pſal. 119. 160. *initio verbum tuum eſt veritas: & in perpetuum omnis ordinatio juſtitiæ tuæ.* Vel, *omnia judicia tua æquiſſima in æternum permanebunt.* Alii Sic: *præſtantiſſimum verbum tuum eſt ipſa veritas: & in ſeculum eſt quodque judicium juſtum tuum.* ראש & *caput*, & *initium*, & *præcipuum*, & *ſummam* denotat; unde varietas verſionum. *Ab initio.* Deficit פ ad ſervandum ordinem alphabeticum: Sic opponi videntur *initium*, & *finis.* Senſus videtur eſſe talis: meo judicio, Verbum tuum ſemper verum fuit, atque in æternum permanebit immotum omne illud tuæ juſtitiæ, atque æquitatis judicium.

Legis

Legis autem moralis *Immutabilitas* vivis coloribus depingitur à Domino noſtro, Mat. 5. 17. &c. *Ne exiſtimate, me venisſe, ut diſſolvam legem*, καταλῦσαι, i. e. *ut violem*, eleganti tranſlatione: homines enim legibus quaſi vinculis alligantur. Sed aliquid amplius *Idiotiſmo* hoc implicari videtur: καταλῦσαι enim idem notat, ac λύειν v. 19. λύειν νόμον non ſignificat privatam violationem legis, ſed depravationem legis, quæ fit interpretamentis maleſanis, aut legis in univerſum abrogationem. Sic Phariſæi Gloſſematibus ſuis pravis, falſiſque interpretationibus legem ſolvebant: Docebant enim, *Legem externam tantùm obedientiam exigere.* Hæc depravatio fuit λύσις τῦ νόμε, *diſſolutio legis.* Deinde, λύσις τῦ νόμε aliquando Legis totalem deletionem ſive *Abrogationem* notat: ſic λύειν νόμον, ſæpiùs apud *Demoſthenem* eſt, *abrogare.* Forſan notio hæc ſenſu laxiori intelligenda eſt, pro, *Legem dictis factiſve impugnare.* Vult Chriſtus, ſe nullo modo legem, vel corruptelis depravare, vel dictis factiſve oppugnare, vel in univerſum abrogare voluiſſe. Inde ſequitur: ἀλλὰ πληρῶσαι, *ſed ut eam impleam.* Chriſtus implebat legem multifariam, (1) *Interpretando*, i. e. Phariſæorum Gloſſemata detorta refellendo, & legem ad ſuum priſtinum & ſpiritualem ſenſum reſtaurando. (2) Obediendo. (3) Suſtinendo maledictionem & pœnas, pro noſtro peccato debi-

Mat. 5. 17.

tas. (4) Legem credentium cordibus Spiritu S. inſcribendo. Hinc ſequitur v.

Mat. 5. 18. 18. *Amen quippe dico vobis, uſquedum præterierit cœlum ac terra, ἰῶτα unum, aut unus apex nequaquam præterierit ex lege, uſquedum omnia facta fuerint.* Primò, notatu digniſſimũ eſt, hoc eſſe proverbiale dictum, qualia ſunt quamplurima in Domini noſtri ſermonibus. Quare proverbiũ hoc ex ſcribendi ratione, quæ tunc temporis vigebat, ortum ſuum hauſiſſe perquam probabile eſt. In lingua enim Hebræa litera [י] *Jod*, cui reſpondet *Iota* apud Græcos, inter omnes literas minimum ſpatium occupat: κεραία autem vocabulum à quibuſdam trahitur ad Hebraicum *Chirek*, vel ad alia puncta vocalia: alii idem referunt ad angulos quoſdam literarum Hebraicarum, unde Critici Hebræorum magna myſteria depromere ſoliti fuere. Sed probabilior videtur ſententia eorum, qui κεραίας originationem Græcam eſſe volunt; et ſic ſignificare ipſa literarum initia, vel extrema, vel ductus, vel partes. Hoc ſenſu idem eſt ac *Apex* apud Latinos: unde *Apices literarum* apud *Gellium* ſunt ipſi literarum ductus, aut partes. Ita in Gloſſis veteribus, κεραία, κεράμια ἢ ἄκρον, ſive *Aper*. Hinc metaphora, de *Juris Apicibus diſputare*, pro *minimis*: Ideo etiam de *Epicuro* dicitur, quòd contendebat περὶ συλλαβῶν καὶ κεραιῶν, i. e. de minimis apicibus. Unde proprius verborum ſenſus videtur eſſe talis; ſicut

[ν]

[ι] *Jod*, cui respondet *Iota*, est minima litera; & κεραία notat ἀρχὴν sive ἄκρον γράμματος, *minimum apicem literæ*; ita ne minima pars Legis *præterierit*. οὐ μὴ] *nequaquam*: duo enim negativa apud Græcos vehementiùs negant. παρέλθῃ] παρέρχεσθαι est. *irritum fieri*; quare ἕως hîc vim habet adversativam. Ex quibus patet, legem moralem esse æternam & immotam Justitiæ regulam; cujus *Fons* in mente divina subsistit; radios autem aliquos *objectivos* in verbum suum, & *subjectivos* in corda sanctorum transfudit Deus; quibus obligantur omnes, vel ad obedientiam vel ad pœnam.

SECT. VI.

De Legis Divinæ Dulcedine.

5. S. Scripturam, quatenus est agendorum *Regula* sive Lex, esse perfectissimam, abunde demonstrari potest, ex *Dulcedine*, quæ & comitatur, & sequitur ejusdem observantiam. Certissimum est, eam legem esse perfectissimam, quæ sanctissima, & tamen dulcissima est: Tales autem leges inter homines rarò aut nunquam inveniuntur: Humanæ enim leges aliquando multum Rigoris sed nihil Dulcedinis habent: aliæ nimis laxæ sunt, sed nihil sanctitatis spirant. Leges verò divinæ S. Scripturâ exhibitæ, optimam

dulcedinem, cum ſumma ſanctitate conjunctam, præ ſe ferunt. De legum Divinarum ſanctitate in iis quæ proximè ſequuntur; impræſentiarum de earum Dulcedine diſſerendum eſt. Legis Divinæ, tum *Inſtitutæ*, tum *moralis*, ſuavitas ex variis topicis evinci poteſt.

Primò, ſi argumenta inartificialia deſideremus, ipſius *Dei*, ac omnium ſanctorum Teſtimonia habemus. Ita Chriſtus, de Lege ſua, Mat. 11. 30. *Jugum enim meum facile eſt, & onus meum leve.* Jugum eſt inſtrumentum illud, quo boves alligantur, ad trahendum aratrum, aut currum: hîc metaphoricè deſignat Leges Chriſti Evangelicas, quæ Chriſtianis ſuaviſſimæ ac maximè commodæ redduntur; (1) Quia cordi inſcribuntur. (2) Quia rigore & maledictione liberantur. (3) Ob Spiritûs S. vires auxiliares ad eas præſtandas. (4) A ſympathia, quæ eſt inter animam piam ac Leges Dei. (5) Ob amplitudinem ac certitudinem præmii, quod offerunt. (6) Ex effectis, quæ ſecum, quando ritè obſervantur, afferunt. Quantum enim honorem; quantam libertatem; quot ac quantas divitias; quantam pacem; immò quantam vitam, ac ſalutem æternam, affert legum Chriſti obſervatio? Nonne tales ſunt, quales per ſe naturæ humanæ rectè conſtitutæ conveniant? Quid magis homini convenit, quàm Deum, *Finem* ſuum *ultimum*, ac *primum principium* diligere? Nonne multò

Mat. 11. 30.

multò dulcius eſt Chriſti jugo ſuaviſſimo, quàm Satanæ imperiis tyrannicis ſubmittere? Annon graviſſima tributa pendunt, qui cupiditatibus ſuis ſerviunt? Quid autem ſuavius, quàm Chriſtum viâ præceptorum regiâ, ductu Spiritûs ſequi? Idem 1 Joan. 5. 3. *Et præcepta ejus gravia non ſunt*; βαρεῖαι, i. e. *ingrata, moleſta*, nimirum novæ creaturæ. ὰ, hîc pro relativo ponitur; quaſi dixiſſet; *quæ præcepta ejus gravia non ſunt*, nempe quatenus Spiritu Dei facilia redduntur. 1 Joan. 5. 3.

Deinde, Legum Divinarum ſuavitas ex communi ſanctorum experientia ac ſuffragio conſtat. Ita *David*, Pſal. 119. 70. *Obeſatur quaſi adipe cor illorum; ego lege tuâ oblecto me.* Senſus eſt: Illi voluptatibus maleſanis afficiuntur: Ego verò ex legis tuæ meditatione voluptatem multò puriorem ac fortiorem capio. Ita ſponſa in ſponſi, ſcilicet Chriſti, deſcriptione, *Cant.* 5. 16. (alias 15.) *Palatum ejus dulciſſimum eſt.* Per *palatum* Chriſti intelligendum eſt *verbum* ejus, quatenus *credendorum* ſimul ac *agendorum* regula eſt. De hoc dicitur, quòd ſit מַמְתַקִּים *ſuavitates*: i. e. nihil aliud eſt, quàm mera dulcedo. Notio hæc multùm ſpirat emphaticæ elegantiæ: Primò enim abſtractum ponitur pro concreto: Abſtracta autem prædicantur de eſſentiis ac formis: Deinde plurale ponitur pro ſingulari, quod emphaſim augmentat. Vocabulum Hebraicum primariò ſignificat cibos ſuaves, Pſal. 119. 70. Cant. 5. 16.

&c.

& inde transfertur ad Dei verbum, quod hîc per palatũ exprimitur: palatum enim, cùm ſit inſtrumentum loquendi, figuratè uſurpatur pro *loquela*, utì *Prov.* 5. 3. & hîc pro Dei Doctrina, promiſſis ac præceptis, quæ ſuaviſſima nuncupantur à ſponſa. Sed de teſtimoniis ſacris plura in ſequentibus.

Ad Legum Divinarum dulcedinem pleniùs enucleandam ac demonſtrandam, earum natura ac effecta intimiùs penetranda ſunt. Legum Divinarum ſuavitas ortum ſuum trahit, non ex ipſis legibus; ſed ex gratia Evangelica cum ipſis contemperatâ. Lex enim moralis in ſe nil niſi amaras maledictiones adverſus peccatores ſpirat; ſed quatenus gratiâ Evangelicâ commiſcetur, optimam dulcedinem adipiſcitur. Dulcedo autem hæc legis Divinæ, Gratiâ Evangelicâ inſpiratæ oritur,

(1) Ex *fœdere Gratiæ*, virtute cujus fideles liberantur à *Rigore* & *Maledictione* Legis. Peccator enim reus nunquam ſe alacriter accingit, ad opera legis præſtanda, dum ſub maledictione legis ſe eſſe percipit; ſed cùm fœdere Gratiæ ab hac maledictione liberatur, Ezech. 20. 37. *Et tranſmittam vos ſub virgam, & inducam vos in vinculum fœderis.* Alii ſic: *Et ſubjiciam vos ſceptro meo, & inducam vos in vinculum fœderis.* Quibus ſatis patet, tunc ſolùm *Iſraelem* alacriter ſe ſubjicere ſceptro Chriſti, quando in vinculum fœderis

deris inducitur. Lex Dei, quatenus fœdere Gratiæ perfuſa eſt, optimas ſpirat ſuavitates. Ita Pſal. 45. 9. *Myrrha*, & *Santalis*, [ſive Aloes] *Caſiáque omnia veſtimenta tua; prodeuntis è Templis eburneis; præ iis quæ lætificant te.* Vult Propheta, Chriſti veſtimenta, vario Aromatum genere perfuſa, ſuaviſſimum odorem longè latéque ſpargere. Et quid ſignificat totum hoc, niſi verbi Chriſti, Evangelicis promiſſis perfuſi, prædicationem? Ita *Brentius*: ‘ *Myrrham, Aloen, & Caſiam* [*ſpirant*] *omnia veſtimenta tua, è domibus eburneis* [*prolata.*] h. e. omnia veſtimenta ‘ tua, quibus indutus es, & quæ proferri ‘ ſolent in uſum tuum, non è ligneis & vilibus receptaculis, ſed ex eburneis & ‘ precioſiſſimis repoſitoriis (hæc enim dicuntur domus, ſeu palatia veſtimentorum) non aliud ſpirant aut redolent, ‘ quàm *Myrrham, Aloen, & Caſiam*, h. e. ‘ ſuaviſſimum odorem; unde tu ipſe ſummam capis voluptatem. Hæc eſt jucundiſſima illa fama, quam Chriſtus ipſe, prædicatione Evangelii ſui, & Apoſtoli ejus, ‘ non tantùm in Judæa, ſed & in toto terrarum orbe ſparſerunt. Hic ſuavis legis Evangelicæ odor dicitur 2 Cor. 2. 16. *Odor vitæ ad vitam.* Pſal. 45. 9.

(2) Dulcedo Legis Evangelicæ oritur ex eo, quòd cordi fidelium inſcribatur. Lex enim, quæ tabulis lapideis inſcripta fuit à *Moſe*, quando tabulis cordis renovati carneſis imprimitur, ſuaviſſima evadit.

Deut. 6. 6. dit. Ita *Deut. 6. 6. Et ſunto verba hæc, quæ præcipio tibi hodie, in corde tuo.* Dixerat Deus, commate 5. *Jehovam amandum eſſe ex toto corde, &c.* quibus innuit, nullam obedientiam ſibi arridere, niſi quæ ab amore ortum & progreſſum habet: ſed quomodo talis obedientia amatoria acquirenda eſt? hoc ſequitur *v. 6.* ex inſcriptione præceptorum cordibus: Hoc enim modo præcepta Dei ſummo amore ac dulcedine perfuſa ſunt. Idem *David*, de Juſto aſſerit, Pſal. 37. 31. *In cujus animo eſt lex Dei ſui, &c.* & de ſeipſo, Pſal. 119. 11. Pſal. 119. 11. *Verbum tuum in animo meo recondidi, ut non peccem in te.* Suavis eſt metaphora in verbo *recondendi*, ab iis depromta, qui theſaurum inventum recondunt, ne pereat: ſignificat, legem Dei eſſe ſibi dulciſſimam, quia cordi inſcriptam: Quò enim altiores in corde radices habet lex, eò ſuavior eſt.

(3) Suavitas hæc ortum ſuum habet ex *ſympathia*, quæ inter legem Dei, ac animam piam invenitur. *Simile enim gaudet ſimili*; Quare, quò magis aſſimilatur cor fidele Legi Evangelicæ, eò dulciora ſunt ejuſdem vincula. *Quiſque in ſingulis voluntariè ac ſuaviter obtemperat Amori*; uti loquitur *Plato*. Lex autem Evangelica, ex ſympathia, quam habet cum nova creatura, nil niſi Amorem ſpirat. Ex hac ſympathia, inter Legem Evangelicam ac cor ſacrum, vehementiſſimæ ſunt ſanctorum *Anhelationes*, ad legem Dei cognoſ-

cognoſcendam ac implendam. Ita *David*, Pſal. 119. 20. *Nam comminuor ipſe, ob deſiderium erga jura tua omni tempore.* גרסה נפשי, *comminuitur anima mea.* A גרס *fregit, contudit, comminuit.* Item, *contritus, fractus fuit*; nempe præ vehementia deſiderii. *Davidis* vires omnes ferè conſumtæ ac attritæ fuere, jugi ac vehementi legis Divinæ anhelitu. Idem commate 48. *Attollam manus meas ad præcepta tua, quæ diligo.* Senſus eſt: præcepta tua, ut rem mihi longè ſuaviſſimam, obviis veluti ulnis, avidè complectar. Proverbialis hîc eſt locutio, uti notat *Muis*, ducta ab eis, qui porrectis manibus properant in complexum eorum, quorum magno deſiderio tenebantur. Cui ſimile extat apud Latinos proverbium: *Ego tuas literas obviis ulnis excepi.* Innuit *David*, præcepta Dei ei ſummis eſſe in deliciis. Idem v. 131. *Os meum diſtendo & anhelo: quia præceptorum tuorum cupidus ſum.* Metaphorica eſt locutio, ab eis ſumta, qui præfamè, ſiti, aut defectu reſpirationis, os aperiunt & aerem attrahunt. *David* præ legis deſiderio os veluti aperit, & aerem attrahit: ſicut dum ſitienti offertur potus, is, præ vehementi ſiti, avidè os aperit, & aerem priùs quàm potum attrahit. Tam dulcis fuit lex ſitienti animæ *Davidis*. Et unde dulcedo hæc, niſi à ſympathia illa quæ fuit inter cor ejus ac legem Evangelicam?

Pſal. 119. 20.

Pſal. 119. 48.

Pſal. 119. 131.

(4.) Datur adhuc altior Dulcedinis hujus

jus radix, nimirum *unitas* quædam inter legem divinam ac animum fidelem. Quilibet sanè sibi charissimus ac dulcissimus est. Identitas & unitas amoris fons efficacissimus est. Fidelis autem anima non tantùm similitudinem & sympathiam, sed & Identitatem ac unitatem habet cum lege Christi Evangelica: sicut enim per Spiritum S. unitur Christo, ita & legi ejus, per ejusdem implantationem. Hinc est, quòd vir justus sibimet ipsi *Lex* esse dicitur: nempe, quia Lex Dei intimam cum corde suo unionem habet, ideoque eidem conformis est, non tam ex vi aliqua externa impellente, quàm ex voluntaria quadam novæ creaturæ propensione. Hinc *Paulus* dicit, se esse ἄνομον ἔννομον, 1 Cor. 9. 21. sive, *sine lege*, 1 Cor. 9. 21. *Exlegibus ut exlex (ita tamen ut non sim exlex Deo, sed sublex Christo.)* *Paulus* parenthesin addidit, ne quis vocem *exlex* male interpretaretur. Loquitur primariò de ritibus *Mosaicis*, quas non imposuit Gentibus: sed propositio hucusq; e universalis est, quòd si nulla esset lex externa impellens, tamen justus, quousque justus, sibi lex esset; & ita ἄνομος *exlex* sensu sobrio diceretur. Hoc legis Dei summam dulcedinem arguit.

(5) Dulcedo hæc legis Evangelicæ ex Spiritûs S. *Adjutorio* efficacissimo & suavissimo procedit. Optimè *Augustinus*; *Det Deus quod jubet, & jubeat quid velit.* Jugum Christi hoc modo facillimum ac dulcissimum redditur; quia dat Christus quod

quod jubet: Ipſo cum mandato dantur vires ad idem præſtandum. Inde *David* precatus eſt, Pſal. 119. 35. *Fac ut incedam itinere præceptorum tuorum; nam eo delector.* Nihil ſuavius, quàm tramite legis Evangelicæ, Chriſto duce, incedere. Ita eommate 117. *Suffulci me, ut ſalvus ſim, & reſpiciam ad ſtatuta tua jugiter.* שׁעה, *reſpiciam*: alii, *meditabor*: Raſi *ſtudebo, occupabo me*: Chaldæus *delectabor*. Senſus omnium eſt unus ac idem, nempe, *Davidem* ſumma cum voluptate in ſtatutis Domini verſaturum fuiſſe, modò Deus Spiritûs S. afflatum præberet. Pſal. 119. 117.

(6) Legis Evangelicæ ſuavitas ex ejus *fine ſalutari* fluit. Finis optimus Bonitatem ac Dulcedinem in media, utcunque in ſe amariſſima, inſpirat: Finis autem legis Evangelicæ eſt optimus, utpote hominum ſalus: ac proinde lex ipſa ſuaviſſima redditur. Dicit *Ariſtot. Rhet.* ἐν τοῖς νόμοις ἔστιν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως, *Salus civitatis in legibus conſiſtit.* Hoc veriſſimum eſt, de lege Evangelica. Inde *David* Pſal. 19. 11. *Ac dulciora melle, & quidem deſtillatione favorum*: נופת צופים *favorum*; *Liquor favorum* eſt quaſi mellis medulla; eſtque id, quod in *alveario* eſt purius, & ſponte ex favo ſtillat, ſine compreſſione: vulgò *mel virgineum* dicitur. Mel inquit *Franzius*, eſt quaſi vinum Apum factitium, eadem homini bona præſtans, quæ vinum, & reddens longævos. Tali melle præcepta Dei dulciora ſunt: & Pſal. 19. 11, 12.

quare?

quare? Id ſequitur v. 12. *In quorum obſervatione eſt emolumentum magnum*: mercedem ampliſſimam ſecum afferunt; ideòque non mirum eſt ſi dulciſſima ſint. Idem Pſal. 119. 103. Immo quod multò plus dulcedinis legi Evangelicæ addit eſt hoc, quòd ſuiipſius merces ſit, i. e. obſervatio legis Evangelicæ eſt in ſe optima merces. Ita ſanè fuit *Davidis* æſtimatione, uti Pſal. 119. 56. *Hæc conſolatio eſt mihi, me mandata tua cuſtodire.* Vel meliùs ſic: *hoc factum eſt mihi, quia mandata tua obſervavi. Hoc factum eſt mihi*, ſcilicet, ut noctu legi tuæ vacarem, uti *v.* 55. Et unde hoc privilegium? *Quòd præcepta tua obſervavi.* Hinc illud vetus dictum Rabbinicum: *Merces præcepti præceptum*: vel, *præceptum trahit præceptum*: i. e. qui unum præceptum bene obſervat, ei Deus hanc mercedem confert, ut etiam aliud & difficilius præceptum obſervet. Idem v. 101. *Ab omni ſemita mala cohibui pedes meos, ut obſervem verbum tuum.* Senſus eſt: Cohibui me ab omni mala via, non ob timorem hominis aut pœnæ temporalis, ſed tantùm, ut obſervem præcepta tua, quod mihi maxima merces eſt. Nonne hoc legis Evangelicæ ſummam dulcedinem prædicat.

Pſal. 119. 56.

(7) Legis Evangelicæ Dulcedo ex *meditatione*, aliiſque exercitiis ſacris oritur. *Plato* dicit, τῆς καλῶν εἰκόνες καλαί: *Pulchrorum imagines ſunt pulchræ.* Hoc veriſſimum eſt de lege Dei, quæ pulcherrima eſt Imago Dei ſanctitatis: Quare legis

gis Divinæ contemplatio ac meditatio pulcherrima ac ſuaviſſima eſt: Ita *David*, Pſal. 119. 15. *De mandatis tuis meditor, & intuitor ſemitas tuas*, i. e. cum delectatione: ita enim ſequitur, v. 16. *In ſtatutis tuis meipſum oblecto, non obliviſcor verbi tui.* וְאָשִׂיחָה, *Oblectabo meipſum*, vel *cum delectatione* contemplabor: A שִׂיחַ *aſpexit*, aut *contemplatus eſt cum delectatione*. *David* ſumma cum delectatione contemplatus eſt legem Dei; quia illic aſpexit ſanctitatis Dei imaginem pulcherrimam. Pſal. 119. 15, 16.

Idem commate 97. *Quàm diligo legem tuam! toto die eſt meditatio mea. Quàm diligo!* Tantus fuit amoris ejus ardor, ut verbis haud exprimi poſſet: Inde ſequitur, *toto die eſt meditatio mea.* Quæ ſuaviſſima ſunt, amore maximo proſequimur: & quæ amore maximo proſequimur, de iis diu meditamur: Talis fuit Lex Dei *Davidis* æſtimatione. Ita v. 112. *Inclino animam meum ad faciendum ſtatuta tua; in ſeculum, in finem uſque.* Pſal. 119. 97, 113.

Hujus commatis ratio ſequitur commate proximo, 113. *Cogitationes (alias) odi, legem autem tuam diligo.* Primum hujus commatis vocabulum סֵעֲפִים variè exponitur: *Tremellius* ac *Junius* ſic exponunt, *Cogitationes alias odi*: quaſi dixiſſet, nihil niſi lex tua, mihi ſuave eſt. Chaldæus exponit, *Qui cogitant cogitationes inanes*: Idem ferè Raſi. *Kimhi* ita interpretatus eſt totum verſum: *Omnes alias cogitationes odio habui, ſed legem tuam dilexi, omnéſque meas cogitationes*

cogitationes ad illam retuli. Quod notat ſummam voluptatem, quam ex legis meditatione acquiſivit. Hactenus de cauſis Dulcedinis quam Lex Dei præ ſe fert.

2. Legis Evangelicæ Dulcedo ex *effectis*, quæ ejuſdem obſervationem ſequuntur, demonſtrari poteſt. Nihil enim in effecto eſt, quod non fuit priùs in cauſa: Quare ſi effecta legis Evangelicæ ſuaviſſima ſunt, ipſa etiam eſt ſuaviſſima.

(1) Sapientia, præſertim cùm ſit rerum ac cauſarum præſtantiſſimarum, dulciſſima eſt: Immo, (ne dicam?) non datur inter res naturales quid ſapientiâ ſuavius. Leges autem divinæ maximam ſapientiam piis animis ingenerant. Ita Pſal. 119.

Pſal. 119. 24. 24. *Etiam Teſtimonia tua oblectationes meæ ſunt, conſiliarii mei.* Pars poſterior videtur eſſe exegetica prioris: Ideo enim Dei Teſtimonia *Davidis oblectationes* fuere; quia & *conſiliarii*. Hebr. אַנְשֵׁי עִצָּתִי, *viri conſilii mei*. Ubi elegans ad Legem Jehovæ eſt tranſlatio; cui perſona & officium *Conſiliarii* tribuitur, ad ejus efficacitatem in mente illuminanda demonſtrandam. Nomen enim ſubſtantivum אִישׁ, aliud ſubſtantivum in caſu genitivo regens, denotat hîc *Subjectum* reſpectu *Adjuncti*: quare, notio hæc, *viri conſilii*, ſignificat *conſiliarios ſapientiſſimos*. Mens *Davidis* talis eſſe videtur: Teſtimonia tua Domine, mihi ſummis ſunt in deliciis: & cur? Quia ſunt *viri conſilii mei*, i. e. in rebus dubiis & perplexis pro *conſiliariis* ſunt.

Alphonſus

Alphonſus Rex interrogatus, *Qui eſſent optimi conſiliarii? Mortui*, reſpondit; intelligens libros, qui affectibus liberi veritatem ſine præjudicio enarrant. Hoc optimè Dei legi convenit.

(2) Legis Dei obſervatio optimas affert *Divitias*; ideóque dulciſſima eſt. Inter mortales nihil divitiis adplurimum dulcius eſt; quia menſura ſunt omnium, uti vulgò loqui amant. Legis autem Dei obſervantiam maximas divitias afferre, facilè patet ex communi ſanctorum judicio. Ita Pſal. 119. 72. *Melior eſt mihi lex oris tui multis millibus nummûm aureorum & argenteorum.* Dicunt, R. *Joſeph* provocatum, ſpe ingentis lucri, ut adiret locum, ubi nulla erat Synagoga, adduxiſſe hunc verſiculum ad ſe excuſandum. Idem v. 111. *Teſtimonia tua ut hæreditatem poſſideo; quia gaudium animi mei ſunt.* Hebr. נחלתי, i. e. Teſtimonia tua ſunt mihi pro æterna hæreditate, his fruor: & quare? *Quia gaudium animi ſunt*: i. e. nihil, præter illa mihi ſummam affert delectionem. Idem Deut. 33. 4. Iterum v. 127. *Propterea amplius diligo præcepta tua, quàm aurum, & quidem aurum purgatiſſimum.* Dixerat v. 126. *irritam faciunt legem tuam*; quare ſubjungit, *Propterea amplius diligo, &c.* quaſi dixiſſet: Propterea quòd aſpicio illos terræ filios, divitias mundanas legis tuæ obſervantiæ præferre, ideo mihi eò præſtantiora ſunt præcepta tua. Idem Pſal. 119. 14. *De via teſtimoniorum tuorum gaudeo, ut de omnibus opibus.* i. e. Tam mihi ſuavis eſt legis tuæ obſervantia, quàm omnium opum poſſeſſio.

Pſal. 119. 72.

111.

127.

(3) Legis Evangelicæ obſervantiam ſuaviſſimam eſſe, exinde patet, quòd ſecum ferat ſummum honorem ac dignitatem. Magnis animis nihil honore dulcius eſſe videtur: Et quid plus honoris affert, quàm Divinæ legis obſervatio? Inde *David*, Pſal. 119. 39. *Averte opprobrium meum, quod reformido; quia jura tua bona ſunt.* Quid fuit opprobrium, quod *David* timuit? hoc nimirum, peccare in Deum, & leges ſuas: poſterior enim pars, nempe, *quia jura tua bona ſunt*, ratio eſt prioris, ſcilicet *averte opprobrium meum quod reformido.* Quaſi dixiſſet: Meo judicio non datur majus opprobrium, quàm in legem

Pſal. 119. 39.

legem tuam peccare. Hinc ſequitur, maximum eſſe
46. honorem legem Dei obſervare. Inde v. 46. *Et loquar de teſtimoniis tuis coram regibus, & non erubeſcam.* Oſtendit ſe, viam regiam præceptorum Dei ingreſſurum, ac ejuſdem legis publicam profeſſionem amplexurum, non erubeſcere coram Regibus, qui res politicas ſolùm curant, de eadem diſcurrere: Tantus fuit honor, in *Davidis* æſtimatione, legem Dei profiteri ac obſervare. Inde *Eſa.* 42. 21.
Eſa. 42. 21. יהוה חפץ, &c. quod aliqui ſic vertunt, *Deo placuit legem ſuam magnificare & illuſtrem reddere.* Alii ſic: *Jehova delectabatur eo, propter juſtitiam ſuam: illum magnificabat & illuſtrem reddebat lege ſuâ.* Senſus idem eſt, nempe lege Deum populum ſuum magnificum & illuſtrem reddidiſſe. Hebr. יגדיל & יאדיר notant celſitudinem ac dignitatem, quam lex Dei affert.

(4) Lex Dei Evangelica jucundiſſima eſt, quia ejus obſervantia maximam *Tranquillitatem* & *pacem* affert. Pax inter ſuaviſſima enumeratur: & pax conſcientiæ omnium ſuaviſſima eſt: Hæc autem pax individuo nexu legis Dei obſervationi connectitur.
Pſal. 119. 165. Ita Pſal. 119. 165. *Multam pacem habent, qui legem tuam diligunt, & nullum erit ei offendiculum:* quippe qui rectam viam ſunt ingreſſi. Verum eſt, Impii aliquando pacem habent; ſed damnoſam, ſed miſerrimam; quia ex fœdere cum Satana, ac propriis cupiditatibus exſurgit. Legis autem Evangelicæ obſervatores pacem habent ſalutarem, *cum*, & *in* Deo, quæ ſuaviſſima eſt. Qui ambulant cum Deo viâ Regiâ legis ipſius, Deus ambulat cum eis pacis viâ beatâ. Optima enim pax emergit ex conformitate voluntatis noſtræ divinæ voluntati: Tales, etſi non ſemper habeant pacem in propriis conſcientiis, eandem tamen cum Deo ſemper habent.

(5) Solamen in miſeriis dulciſſimum eſt: Hoc etiam Legis Evangelicæ obſervantiam ſequitur. Ita
Pſal. 119. 54. Pſal. 119. 54. *Pſallendi argumenta fuere mihi ſtatuta tua, in loco peregrinationum mearum.* Dixerat commate 52. ſe conſolationem accepiſſe ex recordatione *Judiciorum* Dei: Redit nunc ad eandem Legis Divinæ commendationem: Hujus, inquit, peregrinationis

regrinationis meæ ærumnoſa tædium & moleſtias cantandis tuis ſtatutis levare ſoleo. Idem v. 87. *Propemodum conſumſerunt me, dejectum in terram: quamvis ego non dereliquerim mandata tua.* David nihil habuit, quo ſe conſolaretur, præter Dei mandata. Hæc ſunt effecta jucundiſſima, quæ ex legis Divinæ obſervantia pullulant.

SECT. VII.

De Legis Divinæ Sanctitate.

6. ALterum Adjunctum S. Scripturæ, quatenus Legis notionem præ ſe fert, eſt ejus *Sanctitas.* Leges Dei non minùs ſanctæ, quàm dulces ſunt; immo, eò dulciores, quò ſanctiores: quod ſanè earum perfectionem maximè demonſtrat. Leges humanæ ſi quid dulcedinis, parum aut nihil ſanctitatis ſpirant: ſed in legibus Divinis utrumque optimè conſpirat. Legis Divinæ, præſertim *moralis*, ſanctitas conſtat (1) Ex eo, quòd Dei ſanctitatis *Imago* eſt limpidiſſima. Omne enim ſanctum eò perfectius eſt, quò magis accedit ad primum ſanctum, nempe Deum: Lex autem Dei ſpeculum eſt, in quo ſanctitas Dei maximè relucet. Ita enim ingenium ſuum Deus in lege ſua depinxit, ut quilibet illic vivas ac accuratas ſanctitatis Dei imagines contemplari poſſit. Immo, qui dictis & factis, quicquid illic delineatur, repræſentat, imaginem Dei quodammodo in vita exprimit. Lex eſt Divinæ ſanctitatis *imago notionalis*; cor ſanctum eſt *imago realis.* (2) Legis Divinæ ſanctitas ex ejus *Fine* conſtat. Huc enim tendit Legis ſcopus, ut hominum interna principia ac externas operationes, ſanctitatis vinculo, cum Deo ſuo cohærere faciat. Et hoc audacter aſſerendum eſt, in tota lege ne minimam ſyllabam occurrere, quæ regulam homini de iis ſtatuat, quæ carnis ſuæ commodo faciat. (3) Denique legis Divinæ ſanctitas ex ejus *effectis* liquet. Lex enim Dei,

Dei, à Spiritu S. inſpirata, ſanctitatis organum Evangelicum, idque efficaciſſimum ſit. Magnopere igitur hallucinantur, qui volunt rudimenta & primordia ſolùm ſanctitatis in lege tradita eſſe: Tota enim ſanctitatis ratio in lege Dei morali delineatur: Quare & ipſa ſola omnium legum humanarum & *finis* & *menſura* eſſe debeat.

Legis Divinæ ſanctitas exactiſſimè depingitur in S. Pagina. Ita Pſal. 12. 7. *Dicta Jehovæ dicta pura ſunt: ut argentum purgatum in clibano terræ, defæcatum ſepties.* טְהוֹרוֹת *puræ*, i. e. ab omni mendacii ſorde, ac ſcoriis pura. בְּעַלִיל, *in clibano*, ab aliquibus refertur ad experientiam ſanctorum, in quorum cordibus legis Dei ſanctitas probata redditur, per ignem tribulationis. Unde per *clibanum terræ*, ſanctos intelligunt, in quibus legis Divinæ efficacitas explorata eſt. Sicut enim clibanus igne caleſcit, ita ſancti legis Divinæ, cum calamitatibus cooperantis igne, à Deo ſanctitate replentur. Idem Pſal. 119. 140. *Verbum tuum eſt valde repurgatum; quapropter ſervus tuus diligit ipſum.* צְרוּפָה מְאֹד, *valde repurgatum*, i. e. repurgatiſſimum. Rationem reddit commatis præcedentis, cur tanto zelo flagret ob contemtum legis, quæ tota pura ac ſancta eſt, ideoque ſibi cordi. צְרוּפָה, *eſt purgatum* ſeu *defæcatum igne*, in quo tranſlatio eſt à metallis repurgatis, notans legi Dei nihil ineſſe impuritatis, ſed totam ſanctam & puram eſſe, inſtar metalli probè defœcati. Ita Pſal. 19. 9. *Præceptum Jehovæ purum, &c.* Tot ac tantæ ſunt S. Scripturæ Qualitates eminentes, quatenus Legis Ideam præ ſe fert.

Pſal. 12. 7.

Pſal. 119. 140.

CAP. IX.

CAP. IX.

De S. Scripturæ perfectione, ratione ejus Influentiæ & Effectorum.

SECT. I.

De S. Scripturæ Efficacitate in genere. Et primò de ejus Lumine Informativo.

S. Scripturæ perfectione, quatenus Regula eſt, ſatis diſcuſsâ, jam ad ejus perfectionem enucleandam, quatenus *Organon Spiritûs* S. Efficaciſſimum eſt, progredimur. Verbum Dei eſſe *medium* Salutis Efficaciſſimum, multis textibus evincitur. Sic *Jac.* 1. 21. *Cum lenitate recipite inſitum ſermonem, qui poſſit ſervare animas veſtras.* Etſi Dei Gratia medicinalis non alligetur externæ verbi prædicationi, nos tamen eidem tanquam ordinario ſalutis medio alligavit; quod qui re-

rejiciunt, salutis viam recusant, & multis pernicioſis laqueis ſe involvunt. Ita
Eph. 3. 6, 7. Epheſ. 3. 6. *Gentes eſſe cohæredes, & concorpores, conſorteſque promiſſionis ejus in Chriſto, per Evangelium.* διὰ τοῦ εὐαγγελίου, tanquam per Inſtrumentum, quo Chriſtus ad res illas efficiendas utitur. Verum eſt, literam Evangelii peræque ac Legis, à Chriſti Gratia divulſam, ac abſtractam, emortuam eſſe, & intacto corde auribus tantùm inſonare; ſed quando Gratiâ Chriſti medicinali ac efficaci inſpiratur, inſtrumentum ſalutis potentiſſimum evadit. Inde ſequitur Commate 7. *Cujus factus ſum miniſter, ex dono Gratiæ Dei, quod datum eſt mihi, ſecundùm efficacitatem potentiæ ipſius.* Per Evangelium enim convincuntur ac convertuntur electi, diriguntur fideles, cohibentur infideles, purgantur peccata, ingeneratur & conſervatur Gratia; Illuminatur cæcus animus, corroboratur infirmus, inſtauratur lapſus & pœnitens, &c.

Sed ad efficacitatem Verbi Dei penitiùs penetrandam, ejus *Objectum*, *Inſtrumenta*, *Modus operandi*, & *Effecta* ſunt penſiculatiùs trutinanda & inſpicienda.

1. *Objecti* ſive *Materiæ Indiſpoſitio* verbi Divini efficaciam maximè demonſtrat. Communis enim eſt regula à natura ſtabilita quòd quò magis indiſpoſita materia eſt ad recipiendam formam, eò plus efficaciæ requiritur in Agente ad illam formam introducendam. Peccatores autem

tem maximè indiſpoſiti ſunt ad formam Divinæ Gratiæ recipiendam: quare requiritur maxima efficacia in Verbo Dei, quatenus Divinæ Gratiæ organon eſt, ad fidem ingenerandam. Incapacitatem peccatorum ad formam Gratiæ recipiendam multis nominibus S. pagina illuſtrat. Ita *Epheſ.* 2. 1. *Et vos unà vivificavit, quum eſſetis mortui in offenſis & peccatis.* Mors eſt totalis vitæ privatio, à qua naturaliter non datur regreſſus: ita *Epheſii* hi fuere in peccatis mortui, ſine vel minima capacitate naturali, ad vitam Gratiæ regrediendi. Deinde ſequitur, v. 2. *In quibus olim verſati eſtis*, i. e. *in peccatis.* Hoc notat, totam eorum vitam ad ſcelera pronam ferri: Tales, ſine commatis, dicuntur, υἱοὶ τῆς ἀπειθείας *filii diffidentiæ*, ſive *contumaciæ*, i. e. Infidelitati ac contumaciæ penitus dediti. Eſt enim Idiotiſmus Hebræis communis, apud quos בן, i. e. filius, cum genitivo appellativorum accipitur pro eo, qui alicui rei prorſus deditus eſt. Idem Col. 3. 6. ὅτι τὰς υἱὸς τῆς ἀπειθείας, *In filios Infidelitatis*, ſive contumaciæ, i. e. totaliter vitiis addictos. Inde v. 7. *Quibus in vitiis & vos verſabamini quondam, quum in iis viveretis.* Diſtinguunt aliqui in hoc loco, inter *Verſari* & *Vivere*, quorum poſterius indicat naturæ habitum, prius autem ἐνέργειαν ipſam: utrumque ſimul conjunctum notat ſummam peccatorum incapacitatem ad vitam ſpiritualem. Hinc igitur colligimus

Epheſ. 2. 1, 2.

Col. 3. 6, 7.

Verbum Dei, quod novæ vitæ instaurandæ instrumentum est, summam præ se efficacitatem ferre. Hanc ob causam Evangelium nominatur *Spiritûs Gladius*, Brachium & potentia Dei, &c.

2. Verbi Dei efficacia ex *Instrumentis*, sive *Ministris* idem annunciantibus, demonstrari potest. *Socrates*, apud *Platonem*, Meno. 99. demonstrat, *Virtutem nec à Natura esse, nec Arte doceri*; sed θεία μοῖρα divino afflatu infundi: & ratio quam reddit hæc est; quia Deus utitur instrumentis imperitissimis ad eandem virtutem ingenerandam. οὐκοῦν Μένων ἄξιον τούτους θείους καλεῖν τοὺς ἄνδρας; οἵτινες νοῦν μὴ ἔχοντες πολλὰ καὶ μεγάλα κατορθοῦσιν ὧν πράττουσι καὶ λέγουσι. *Annon Meno æquum est, illos Divinos nominare? qui intellectum non habentes, multa & magna reformant, &c.* Tales quidem sunt Verbi Divini Ministri, qui in se imperitissimi sunt. & tamen, virtute verbi Dei quod prædicant, miranda edunt Gratiæ effecta. Ita 2 Cor. 4. 7. *Habemus autem Thesaurum hunc*, (de Evangelio loquens) *in testaceis vasculis, ut ejus virtutis præstantia sit Dei, & non ex nobis.* Σκεῦος designat quodlibet utensile ad domum pertinens: Horum aliqua sunt *testacea*, ὀστράκινα; quæ apud Platonicos notant corpora deteriora: Ipsi enim duo corpora hominis esse volunt; unum purius, ac interius; quod nominant ὄχημα τῆς ψυχῆς, *currum* seu *vehiculum animæ*: alterum

2 Cor. 4. 7.

rum exterius ac impurius; quod appellant ὀστράκινον *testaceum*. Ita hîc, quum dicit Apostolus, *nos habere thesaurum hunc in testaceis vasculis*, notat tum infirmitatem, tum impuritatem Instrumentorum, qui Evangelium hoc annunciant. *Et cur in testaceis vasculis? ut ejus virtutis præstantia sit Dei, & non ex nobis*, i. e. ut ejus doni tam illustris præstantiam, omnes intelligant à Deo procedere.

3. Verbi Dei Efficacitas ex ejus modo operandi patet: Modus enim operandi sequitur modum essendi: quare quod efficacissimè operatur, in se est efficacissimum. Modum autem, quo operatur verbum Dei, efficacissimum esse, ex partium enumeratione facilè liquescet. Nam (1) Verbum Dei agit *suaviter*, & tamen *potenter*. *Suaviter* agit quatenus Instrumentum *morale* est, humanæ naturæ attemperatum: agit etiam *potenter*, quatenus Instrumentum Gratiæ Dei vorticordiæ est. Utrumque exprimitur Luc. 14. 23. *Et coge ingredi*. Coactio hæc denotat suavem violentiam verbi Dei in peccatorum conversione. Argumenta enim irresistibilia, ac solicitationes potentissimas urgent Verbi Præcones, Spiritu S. agitati. (2) Verbum Dei agit *intimè* & *insensibiliter*. Inde comparatur rori ac pluviæ; quæ intimè, insensibiliter, & tamen efficaciter se in terræ viscera insinuant, ad herbas vegetandas, &c. Sic Esa. 55. 10. *Nam cùm descendit pluvia, aut nix de cælo,* Luc. 14. 23. Esa. 55. 10, 11.

Verbum Dei, quod novæ vitæ instauran-
dæ instrumentum est, summam præ se
efficacitatem ferre. Hanc ob causam E-
vangelium nominatur *Spiritûs Gladius*,
Brachium & potentia Dei, &c.

2. Verbi Dei efficacia ex *Instrumentis*,
sive *Ministris* idem annunciantibus, de-
monstrari potest. *Socrates*, apud *Plato-
nem*, Meno. 99. demonstrat, *Virtutem nec
à Natura esse, nec Arte doceri*; sed θεία
μοῖρα divino afflatu infundi: & ratio
quam reddit hæc est; quia Deus utitur
instrumentis imperitissimis ad eandem
virtutem ingenerandam. ἄκων Μένων
ἄξιον τούτους θείους καλεῖν τοὺς ἄνδρας; ὅι-
περ νῦν ὠὴ ἔχοντες πολλὰ ϗ μεγάλα κα-
τορθοῦσιν ὧν φροντίσαι ϗ λέγουσι. *Annon
Meno æquum est, illos Divinos nominare?
qui intellectum non habentes, multa & ma-
gna reformant*, &c. Tales quidem sunt
Verbi Divini Ministri, qui in se imperi-
tissimi sunt. & tamen, virtute verbi *Dei*
quod prædicant, miranda edunt Gratiæ
2 Cor. 4. 7. effecta. Ita 2 Cor. 4. 7. *Habemus autem
Thesaurum hunc*, (de Evangelio loquens)
*in testaceis vasculis, ut ejus virtutis præstan-
tia sit Dei, & non ex nobis.* Σκεῦος de-
signat quodlibet utensile ad domum per-
tinens: Horum aliqua sunt *testacea*, ὀστράκινα;
quæ apud Platonicos notant cor-
pora deteriora: Ipsi enim duo corpora
hominis esse volunt; unum purius, ac
interius; quod nominant ὄχημα τῆς ψυ-
χῆς, *currum* seu *vehiculum animæ*: alte-
rum

rum exterius ac impurius; quod appellant ὀστράκινον *testaceum*. Ita hîc, quum dicit Apostolus, *nos habere thesaurum hunc in testaceis vasculis*, notat tum infirmitatem, tum impuritatem Instrumentorum, qui Evangelium hoc annunciant. *Et cur in testaceis vasculis? ut ejus virtutis præstantia sit Dei, & non ex nobis*, i. e. ut ejus doni tam illustris præstantiam, omnes intelligant à Deo procedere.

3. Verbi Dei Efficacitas ex ejus modo operandi patet: Modus enim operandi sequitur modum essendi: quare quod efficacissimè operatur, in se est efficacissimum. Modum autem, quo operatur verbum Dei, efficacissimum esse, ex partium enumeratione facilè liquescet. Nam (1) Verbum Dei agit *suaviter*, & tamen *potenter*. *Suaviter* agit quatenus Instrumentum *morale* est, humanæ naturæ attemperatum: agit etiam *potenter*, quatenus Instrumentum Gratiæ Dei vorticordiæ est. Utrumque exprimitur Luc. 14. 23. *Et coge ingredi*. Coactio hæc denotat suavem violentiam verbi Dei in peccatorum conversione. Argumenta enim irresistibilia, ac solicitationes potentissimas urgent Verbi Præcones, Spiritu S. agitati. (2) Verbum Dei agit *intimè & insensibiliter*. Inde comparatur rori ac pluviæ; quæ intimè, insensibiliter, & tamen efficaciter se in terræ viscera insinuant, ad herbas vegetandas, &c. Sic Esa. 55. 10. *Nam cùm descendit pluvia, aut nix de cælo,* Luc. 14. 23. Esa. 55. 10, 11.

rursus illuc non revertitur; sed inebriat terram ipsam, facitque ut pariat ipsa, & producat; ut edat semen satori, & panem comedenti. 11. *Sic esto verbum meum, quod egressum fuerit ex ore meo; non revertatur ad me vacuum; sed faciat id quo delector, & prosperetur id quod emisero.* Notatu dignissimum est, quod dicit, *sed faciat*, aut *efficiet*. Verbum hominis *præcipit* quod efficiendum est; sed verbum Dei *efficit* quod præcipit: Verbum hominis *perficitur* dum impletur; at verbum Dei *perficit* quod implendum est: vim enim habet effectivam; mensura est non solum *officii*, sed & *beneficii*, quando Spiritu Dei inspiratur.

4. Verbi Divini efficacia, ex mirandis effectis, quæ post se relinquit, evidenter constat. Causæ enim virtus in ejus effectis elucet: Effecta præstantissima, non nisi causam præstantissimam habere necesse est. Verbum autem Dei, dum Gratiæ Christi medicinalis vehiculum est, effecta maxima & miranda producit. Ita 1 Thes. 2. 13. ἐνεργεῖται, i. e. vim maximè effectivam habet. Vis hæc verbi Dei energetica, sub notione Luminis & Lucernæ optimè exprimitur. Ita 2 Cor. 4. 4. *Ne irradiet eos lumen Evangelii.* Evangelium hîc comparatur Lumini solari, quod res sublunares *irradiat*, *illustrat*, *discernit*, *afficit*, *animat*, *purgat*, *dirigit*, *corroborat*, *conservat*, *fructificat*, & *transformat*. Ac tale quidem est Lumen Evangelii

vangelii uti ex sequentibus liquebit.

1. Verbum Dei est *Lumen Informativum.* Apostolus, uti Natura, nos edocuit, omnia à lumine manifesta reddi; Nec minor est vis verbi Divini *manifestativa.* Ita *Psal.* 119. 98. *Præceptis tuis sapientiorem me reddidisti inimicis meis.* David agnoscit totam suam sapientiam à verbo Dei ortum habuisse. Idem v. 99. *Omnibus Doctoribus meis intelligentior fio; quia testimonia tua meditatio mea sunt.* David taxat Doctores, qui legis studium negligentes, aliis disciplinis operam darent; affirmatque se ex jugi & assidua solius legis meditatione, doctiorem illis evasisse. Item v. 100. *Senibus prudentior sum, quia mandata tua custodio. Senibus*: qui adplurimùm majorem prudentiam, quia majorem experientiam habent. כי i. e. hanc ob rationem, *quia mandata tua custodio*; h. e. quia à lege tua prudentiam solidam ac veram acquisivi. Iterum, v. 130. *Aditus verborum tuorum illuminat, prudentiâ instruit simplices.* Dixerat v. 129. *Mirabilia sunt testimonia tua.* Idem nunc confirmat, immo scandit oratio: quasi dixisset: Quid! dixíne mirabilia esse testimonia tua? Immo ipse Aditus, ipsaque verborum tuorum principia & rudimenta lumen cæcis animis afferunt, magnaque mysteria recludunt, Alii aliter exponunt verba hoc modo: *Aditus verborum tuorum illuminat, &c.* quasi dixerat; Etsi verbum tuum mysteriis sit repletum,

Psa. 119. 98, 99, 100.

Psal. 119. 130.

pletum, tamen tu idem aperis & revelas, per *Spiritum* tuum, fidelibus, qui in omni simplicitate seipsos dociles reddunt. Ita פתח *aperis*, *explicas*, *revelas* reddendum est. Sensus idem est, nimirum S. Scripturam tremendis mysteriis repletam esse, quæ Spiritus S. aperit & exponit fidelibus. Tam plenum ac perfectum est *lumen* hoc verbi *Informativum*, ut totum *Officii* nostri, Deique erga genus humanum *Beneficii* propalet. Inter Dei beneficia summum est *Christus*; qui est totius legis ac Evangelii scopus & finis. Quid est Evangelium, nisi speculum, in quo Christi Idea vivis coloribus depicta relucet? Ita Gal. 3. 1. *Quibus ob oculos Jesus Christus priùs fuerat depictus, inter vos crucifixus.* οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη. Sensus est: ita antehac descriptus est vobis Christus cum sua cruce, ut quasi vestris oculis repræsentata fuerit viva ipsius imago, ac si apud vos ipsos esset crucifixus. Historica narratio bene composita solet conferri picturæ vivis coloribus depictæ; & hinc ὑποτύπωσεως nomen; quod *subjectionem sub aspectum* vocare liceat, inquit *Grotius*: *Quintilianus*, formam rerum expressam verbis. Vult Apostolus Christum, ejusque mortem, tam vivis coloribus Evangelio descriptum esse, ut quasi ab oculos *Galatis* versaretur. Idem de cæteris beneficiis, quæ ad vitam futuram referuntur, dicitur, 1 Cor. 13. 12. *Cernimus enim*

Gal. 3. 1.

1 Cor. 13. 12.

nunc

nunc per ſpeculum. δι' ἐσόπτρου, utpote per verbum Dei, quod nobis tradit reflexam quandam imaginem rerum ſperandarum. Verum eſt, nos haud contemplari poſſe rerum Divinarum propriam eſſentiam, ac veritatem originalem intuitu directo; earundem tamen imaginem quandam reflexam & *ænigmaticam* habemus in Evangelio: ita ſequitur ἐν αἰνίγματι, *in ænigmate*: i. e. in hoc ſpeculo contemplamur hanc imaginem, ſed multis obſcuris ſymbolis involutam: non nobis adhuc indulgetur *viſio facialis* & *intuitiva*. Ac ut S. ſcriptura tale lumen informativum ratione *Divini Beneficii*, ita non minùs ratione noſtri *Officii* præbet: Sic *Eſa.* 8. 20. Ubi demonſtrat Propheta in ſolo verbo legis, & teſtimonii Divini reperiri illam שחר *auroram* luminis Divini; & eos qui hoc verbum negligunt, non niſi in tenebris ambulare. Idem 2 Tim. 3. 15. *Téque à puero ſacras literas noviſſe; quæ te poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem.* Hoc in genere; inde ad partes procedit commate 16. *Tota Scriptura divinitus eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam,* πρὸς διδασκαλίαν, למלמדה *ad inſtruendum. Ad convictionem,* πρὸς ἔλεγχον. ἔλεγχος non eſt unius ac ejuſdem ideæ: in *Phyſicis* enim notat evidentiam meridianam ac manifeſtam: in *Logicis* ſignificat evidentiam concluſionis, à principiis neceſſariis legitimè ac evidenter deductæ: in *Juriſprudentia* evidentiam conſpicuam tam Ju-

2 Tim. 3. 15, 16, 17.

ris quàm *facti*. Sed hîc designare videtur peccati detectionem ac redargutionem; & sic respondet, לתוכחה uti sæpius in *Proverbiis*. Inde sequitur, *ad correctionem*, πρὸς ἐπανόρθωσιν. Discrimen inter ἔλεγχον & ἐπανόρθωσιν tale ab aliquibus traditur: ἐλέγχονται *inverecundi*; ἐπανορθοῦσθαι *teneri ac infirmi*. ὀρθοῦν enim vel ἐπανορθοῦν est, אמן *labantem sustentare*. Deinde concluditur, *ad Institutionem, quæ est in justitia*, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, i.e. eos qui jam bene cœpêre magis magisque dirigunt scripturæ: Ita enim sequitur v. 17. *Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* ἄρτιος, *perfectus sit homo Dei*, Hebraismus est: Hebræi enim, Doctores suos, qui omnibus numeris absoluti fuerunt, תמים *perfectos* nuncupabant. Quibus Paulus sæpiùs allusisse videtur, uti *Phil.* 3. 12, 15. Sic & apud *Pythagoræos*, qui ad summum Philosophiæ fastigium promoti fuere, nominabantur τέλειοι *perfecti*. Sequitur: *ad omne opus bonum perfectè instructus.* ἐξηρτισμένος: Metaphorâ translatâ à compage membrorum in humano corpore aptissimè & perfectâ συμμετρία connexorum. Ita Verbum Dei lumen est tum *informativum* Beneficii divini, tum *descriptivum* nostri Officii. Optimè *Augustinus, Civ. Dei. l.* 2. *c.* 1. 'Si Rationi 'perspicuæ veritatis infirmus humanæ 'consuetudinis sensus non auderet ob- 'sistere, sed doctrinæ salubri languorem 'suum

'ſuum tanquam medicinæ ſubderet, do-
'nec divino adjutorio, fide pietatis impe-
'trante, ſanaretur, non multo ſermone
'opus eſſet ad convincendum quemlibet
'errorem.

SECT. II.

De Verbi Divini Lumine Convictivo & Diſpoſitivo.

2. VErbum Dei eſt Lumen *Convictivum* & *Diſpoſitivum*. Hoc eſt alterum verbi Dei effectum, quod ejus efficacitatem perfectiſſimam demonſtrat. Sicut enim in Generatione naturali, præſertim *Inſectarum*, dantur *præviæ* aliquæ *Diſpoſitiones*, à radiis ſolaribus ante introductionem formæ eſſentialis peractæ: Ita in *Regeneratione novæ Creaturæ*, ante introductionem *Divinæ Naturæ*, quæ habet ſe ad inſtar Formæ, dantur *præparativæ* quædam *Diſpoſitiones*, à *Spiritu ſervitutis*, mediante lumine convictivo & diſpoſitivo legis Dei, productæ. Omnes enim *Diſpoſitiones materiales*, ſive præparationes peccatoris ad vitam ſpiritualem, peraguntur à *Spiritu Servitutis*; qui agit mediante lege Divinâ, eandem irradiando, & aptam reddendo ad *Convictionem*, quamvis

quamvis non ſit efficax ad *Converſionem.* Ita Lex Dei, quatenus Inſtrumentum Spiritûs ſervitutis eſt, lumen efficaciſſimum tum convictivum, tum diſpoſitivum præbet peccatoribus ſub mortis ſpiritualis vinculis detentis.

(1) Lex eſt lumen convictivum quatenus peccatum manifeſtat. *Ariſtoteles, Rhet. lib. 1. cap. 17.* Nos docet, quòd, ὁ νόμος ὑπόθεσις ἐν τοῖς δικανικοῖς, *Lex eſt Hypotheſis in judicialibus*, i. e. nullum poteſt componi judicium legale, vel Juris vel facti, ſine lege, quæ unica eſt menſura in judicialibus. Hoc apprimè convenit legi Dei in judicialibus divinis: omnes enim *Convictiones & Terrores* conſcientiæ, à Spiritu Servitutis, mediante lege, efficiuntur. Ita Rom. 3. 19.

Rom. 3. 19. *Scimus autem quæcunque Lex dicit, iis qui ſub lege ſunt, dicere: ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.* ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ. Hoc ideo attulit, ut nihil habeant quo ſe tueantur. ὑπόδικος γένηται, i. e. ut agnoſcant ſe omnes reos eſſe iræ Divinæ. ὑπόδικος, חיב, *debitor*, pœnarum ſcilicet. *Grot.* Hſc γένηται *fiat*, pro agnoſcat uſurpatur; uti Hoſ. 5 15. *Dum rei ſint*, יאשמו, h. e. *reos ſe agnoſcant* & peragant, ut ſequentibus verbis declaratur. Lex autem convincit peccatores ſe reos eſſe, dum vitam peccaminoſam cum juſtitia legis comparant, & inde cognoſcunt, ſe longiſſimè abeſſe, quò minùs voluntati Divinæ reſpondeant.

ſpondeant. Idem Rom. 4. 15. *Nam lex iram efficit*, i.e. *manifeſtat*; & ita cùm eam in lucem edat, videtur effeciſſe. Verbum *efficiendi* hîc non *actum* vel *effectum* ſignificat, ſed ejuſdem *notificationem*. Hinc etiam dicitur, Rom. 5. 20. *Lex verò præterea introiit, ut augeretur peccatum: Sed ubi auctum eſt peccatum, ibi ſuperabundavit Gratia.* νόμος δὲ παρεισῆλθεν. Poterat objicere Judæus: *His conceſſis, quòd Chriſtus ſit unica vitæ radix & cauſa, quid opus eſt lege Moſaicâ?* Huic objectioni reſpondet Apoſtolus his verbis; *Lex* inquit *de tranſverſo intervenit*, inter peccati exordium & Chriſti Mediatoris introductionem. Sic παρεισῆλθεν ſignificat *Gal.* 4. 4. *Jud.* 4. utì *Grotius*. Inde ſequitur: ἵνα δὲ πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα, *ut augeretur delictum*, i. e. ut meliùs agnoſceretur, & vis ejus ſentiretur, utì *cap.* 3. 19, 20. Sæpiùs enim res dicuntur *fieri*, cùm *factæ* eſſe agnoſcuntur, utì *Job.* 5. 3. *Pſal.* 51. 4. *Mat.* 5. 44, 45. *Mat.* 12. 33. *Joan.* 9. 41. & *Rom.* 3. 19. Et Idiotiſmus hic apud Hebræos communis eſt; quibus ſæpiùs eſſe dicitur id quod notum fit. Per legem igitur augeri dicitur peccatum, quia per eam augmentum ejus magis innotuit; ſicut ſuprà *cap.* 2. 12. & 3. 19, 20. & 4. 15. Forſan tamen aliquid ampliùs hîc intelligendum eſt, per hanc phraſeologiam, *ut augeretur delictum*; nempe legis *vis irritativa*: Lex enim ſine Gratia peccata tantùm irritat, non removet; Rom. 4. 15. Rom. 5. 20.

vet. Et hoc Deus ſapientiſſimo ſuo propoſito permittit, ut legis infirmitate agnitâ *abundaret Gratia*, uti ſequitur: *Sed ubi auctum eſt peccatum, ibi ſuperabundavit Gratia.* Rom. 7. 8, 9. Ita Rom. 7. 8. *Sed peccatum, occaſione ſumtâ, genuit in me omnem cupiditatem per mandatum illud.* 9. *Nam abſque lege peccatum eſt mortuum.* Ἀφορμὴν, *occaſione.* Diſtinguunt Græci inter αἴτιον, *cauſam*, & ἀφορμὴν *occaſionem*: αἴτιον volunt eſſe *cauſam principalem*; ἀφορμὴν autẽ *cauſam minùs principalem* (quam προκαταρκτικὴν nominant) nempe vel circumſtantiam *temporis, loci, &c.* quæ non eſt cauſa, ſed facultatem præbet flagrantibus cupiditate aliquâ agendi quod volunt; & ideo vulgò dicitur *Occaſio.* Hoc modo Lex non eſt cauſa; ſed tamen eſt ἀφορμὴ *occaſio* peccati, quatenus ſine Gratia tantùm irritat cupiditates: Cupiditates autem irritatæ magis ebulliunt; ac inde magis apparent: & cupiditatibus magis apparentibus, conſcientia peccatoris legis lumine convictivo perfuſa eaſdem agnoſcit, & ſic Gratia magis abundat. Optimè *Janſenius, Auguſt. Tom. 3. l. 1. c. 11.* 'Conſilium, in-'quit, Dei reformando Judæorum popu-'lo, ſaluberrimum in danda lege fuit, 'non ut per Gratiam ſufficientem quæ ad-'eſſet ipſis, eam obſervando recte vive-'rent, quod eos nondum poſſe præſci-'ebat; ſed ut multitudine peccatorum, '& magnitudine prævaricationum, quæ 'per legem, quam implere non poterant, 'ſecu-

'secutura sciebantur, eorum superbia 'frangeretur, & convicto superborum 'fastu tandem agnoscerent se ægrotos 'esse. Tam altis enim ac sinuosis recessibus latent cupiditates humanæ, ut peccatoris acies obtusa eas haud penetret. Quare data fuit Lex, ut vi *Spiritûs servitutis* animata, homines reos faceret; & reos factos timore afficeret; & timentes ad Gratiam petendam induceret; uti in sequentibus.

(2) Verbum Dei quatenus lex est, non solùm de peccato, sed & de *statu miserrimo* inde sequente peccatores convincit: & hoc modo lumen est non modò *convictivum*, sed & *dispositivum* ad conversionem. Ita Rom. 7. 9. *Ego enim vivus eram sine lege quondam: mandati autem illius adventu peccatum revixit.* ἔζων, *vivus eram*, i. e. vivere mihi videbar & de viribus propriis præsumebam, securus eram, idque *absque lege*, i. e. absque accurata legis consideratione. Sequitur, *præcepti autem illius adventu*, i. e cùm *Spiritus servitutis* legem divinam irradiaret, & ejus ministerio profundos & abscónditos concupiscentiæ recessus mihi explicaret: *peccatum quidem revixit*, i. e. omnium peccatorum meorum, ac statûs inde sequentis miserrimi, viva mihi adhibita fuit imago; adeo ut terroribus & angoribus conscientiæ, ob peccatorum multitudinem & magnitudinem totus fuerim obrutus. Ita sequitur; *ego vero mortuus sum*, i. e. agnovi me propter peccata mea morti Rom. 7. 9.

morti æternæ obnoxium esse : vel conscientia mea lethali iræ divinæ sagittâ vulnerata fuit. Duo hîc sunt notatu digna : primò verba quæ *esse*, vel *facere* significant poni φαινομένως, pro *rei opinione*. Ita *vivus eram*, pro vivere videbar : & *moriebar*, pro agnoscebam me morti obnoxium esse. Secundò Legis hîc insignis σωματοποιΐα est sive *prosopopœia* : per legem enim reviviscere peccatum, & vicissim hominem mori dicitur, cùm ex Lege agnitio peccati fiat ; unde angores conscientiæ, & terrores non minimi ob mortis æternæ prævisionem sequuntur. De lege enim hîc loquitur *Paulus*, ut de homine vi ac armis illum aggrediente. Idem explicat commate 10. *Et inventum est illud præceptum, quod erat ad vitam, mihi cedere ad mortem.* i. e. ex præcepto per *Spiritum servitutis* illuminato, ac conscientiæ meæ applicato, memet reum esse mortis æternæ agnoscebam, immo sentiebam. Inde v. 11. *Nam peccatum, occasione per illud præceptum sumtâ, seduxit me, & per illud occidit.* ἐξηπάτησε, *decepit*, i. e. ostendit me deceptum esse, uti *Glassius* : vel *seduxit me*, nimirum à Deo. Ita sequitur commate 13. *Sed peccatum mihi factum est mors, ut appareret esse peccatum, mihi per id quod bonum est.* ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία : Peccatum est vox relativa, cujus *fundamentum* est omnis inobedientia contraria Justitiæ Dei : *Terminus* est reatus ; qui in persona non justificata est obligatio

Rom. 7. 11, 13.

tio ad æternam damnationem: peccatum igitur per legem fit excellenter peccatum, quatenus lex à *spiritu servitutis* irradiata, peccati tum maculam tum reatum, qui personæ obligatio ad æternam mortem est, manifestat. Efficacia hæc legis mortifera optimè exprimitur, 2 Cor. 3. 6. *Litera occidit*: per literam hîc intelligenda est lex, à Spiritûs Gratiâ medicinali abstracta: Lex autem occidere dicitur, quatenus occisionem, seu mortem æternam manifestat. Ita *Chrysostomus* in hunc locum; οὐ γράμματος] νόμος πνευματικὸς μὲν ἐστι, ἀλλὰ οὐ πνεῦμα παρεῖχεν· οὐ γὰρ πνεῦμα ἐκόμισε Μωϋσῆς ἀλλὰ γράμματα. *Lex Spiritualis est; non verò spiritum exhibet: Moses enim non spiritum attulit, sed literas.* Hoc pleniùs exprimitur commate 7. *Quòd si mortis ministerium, literis informatum in saxis, fuit gloriosum.* Primò Lex, quæ litera nominatur v. 6. hîc dicitur in *tabulis lapideis* per literas expressa. Secundò *Ministerium mortis* nominatur, i. e. quatenus maledictionis & æternæ mortis sententiam contra homines pronunciat. Lex enim, cùm perfectam obedientiam ab homine requirat, eam verò nuspiam ob corruptam carnem inveniat, non nisi mortis sive occisionis ministerium est. Optimè *Chrysostomus* in hæc verba, διακονία τοῦ θανάτου] διακονίαν δὲ θανάτου τὸν νόμον λέγει, σκόπει ἐν τῇ συγκρίσει πολλὴν ποιεῖται τὴν ἀσφάλειαν, ὥστε μὴ δὲ μίαν δοῦναι τοῖς αἱρετικοῖς

2 Cor. 3. 6, 7.

κοῖς λαβὴν. οὐ γὰρ εἶπεν ὁ ποιητικὸς τοῦ θανάτου, ἀλλ' ἡ διακονία τοῦ θανάτου· διακονεῖ γὰρ θάνατον, οὐκ ἔτικτε θάνατον· ἡ γὰρ τοῦ θανάτου ποιητικὴ ἡ ἁμαρτία ἦν. οὗτος δὲ τὴν κόλασιν ἐπῆγε, καὶ τῆς ἁμαρτίας δεικτικὸς ἦν, οὐ ποιητικός. Quibus eleganter demonstrat, quomodo Lex est *minister* non *parens*, *declarativa* non *effectiva* mortis: Parens enim mortis peccatum solum est. Hac ratione *Lex* opponitur *Spiritui*, i. e. doctrinæ Evangelii salutiferæ, quæ vitæ ministerium est. Legis Lumen hoc mortiferum, quod peccatorum statum miserrimum manifestat, optimè
Exo.34.30. adumbratur Exod. 34. 30. *Quamobrem videns Aaron & omnes filii Israelis Mosem, quòd ecce splendida facta erat cutis faciei ejus, timebant accedere ad eum.* *Moses* legis fuit Minister; ejusque facies irradiata symbolum splendoris Legis; quæ eò plus terroris peccatorum conscientiis injicit, quò magis gloriosa est: & hæc genuina ratio est, cur ipse *Aaron*, cum filiis *Israelis*, timuit accedere ad *Mosem*; nimirum, quia Ministerium ejus, etsi gloriosum, Ministerium tamen mortis fuit, utì 2 Cor. 3. 7.

(3) Lex Dei est Lumen *Convictivum*, & ad Gratiam *Dispositivum*; quatenus virium nostrarum defectum demonstrat; & sic ad Christum viam sternit efficacissi-
Rom.10.4. mam. Ita Rom. 10. 4. *Nam finis legis est Christus, ad justitiam cuivis credenti.* τέλος hîc, inquit *Grotius*, est *viæ meta*. Pulcherrimè se explicat *Paulus* Gal. 3. 24.

Ita-

Itaque lex pædagogus noſter fuit, in Chriſtum reſpiciens, ut ex fide juſtificaremur. Legis pædagogiam bene illuſtravit *Janſenius, Auguſt. Tom.* 3. *l.* 1. *c.* 12. 'Lex, inquit, 'dicitur, Gal. 3. *Pædagogus* noſter in 'Chriſtum, quòd eos, qui ſub ſe vivebant 'Judæos, tanquam parvulos ad agnitio-'nem Gratiæ Chriſti, & conſequenter ad 'fidem authoris ejus manuduceret, & 'quodammodo cogeret, quatenus defe-'ctu virium ſe id quod jubebatur imple-'re non poſſe cernebant; ideoque pec-'cata legis cognitione non caveri, ſed 'magis magiſque cumulari. Hac ergo 'de cauſa plerumque docet *Auguſtinus*, 'Legem, tanquam pædagogum, ſeverum 'atque terribilem, infirmos animos ad 'Chriſti gratiam agnoſcendam invocan-'damque terrore ſupplicii perduxiſſe, 'quod convictâ per prævaricationem in-'firmitate, ſine Dei auxilio ſe effugere 'non poſſe ſentiebant. Idem legis offici-um pædagogicum oſtendit *Paulus*, Rom. 11. 32. *Concluſit enim Deus omnes in Incre-dulitate, ut omnium miſereretur. Concluſit*, i. e. lege ſuâ declaravit, omnes eſſe in incredulitate, & in peccato, uti *Gal.* 3. 22. exponitur: ubi *Scripturæ* tribuitur, quod hoc loco Deo; quia ſcilicet per Scripturæ, ſive legis vocem, illa declaratio peccati à Deo facta fuit. Et cur *concluſit Deus omnes in incredulitate*? *Ut omnium miſereretur*: i. e. *omnium illorum*, uti

Gal. 3. 24.

Rom. 11. 32.

uti *Beza*, nempe Judæorum ac Græcorum electorum, de quibus disseruit. Appositè *Augustinus*: ‘Jubet, inquit, Deus quæ ‘non possumus, ut noverimus quæ ab ‘ipso petere debeamus. Immo fidem ip‘sam exigit à nobis Deus, & non invenit ‘quod exigit, nisi dederit quod inveniat. Idem etiam *Calvinus* (Institut. fol. 69.) ‘Deinde vires nostras reputando, adim‘plendæ legi non impares modò eas esse, ‘sed prorsus nullas. Hinc necessariò se‘quitur, tum propriæ virtutis diffidentia, ‘tum animi anxietas & trepidatio. Neque ‘enim iniquitatis pondus sustinere potest ‘conscientia, quin mox Dei judicium ob‘servatur. Sentiri verò Dei judicium non po‘test quin mortis horrorem incutiat. Simi‘liter impotentiæ documentis coacta fa‘cere nequit, quin protinus in viriũ suarũ ‘desperationem concidat: Utraque af‘fectio humilitatẽ generat ac dejectionẽ.

Lumen hoc legis convictivum ac dispositivum clariùs exprimitur Gal. 3. 19. *Quid igitur lex? Transgressionum gratiâ adjecta est, usquequo venisset semen illud, cui facta est promissio. Transgressionum gratiâ*, i. e. ut homines intelligerent, patefactis transgressionibus, se solâ Dei gratiâ, quam *Abrahamo* patefecerat & promiserat, servari; ac proinde omnes in Christum respicerent, uti *Beza*. Idem fusiùs explicatur v. 22. *Sed conclusit illa Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* συνέκλεισε, con-

Gal. 3. 19, 22.

concluſit, i. e. declarat, omnia ſub peccatum concluſa eſſe: Scriptura enim *facere* dicitur id, quod *oſtendit*; ſecundùm communem Grammaticorum regulam; *verba quæ fieri, eſſe, vel agere quid ſignificant, quandoque non tam eſſentiam, vel actum, quàm ejuſdem notificationem denotant.* Porrò aliquid in objecto notatu digniſſimum eſt: dicitur enim, *concluſit* ſcriptura τὰ πάντα, *omnia*, i. e. *omnes homines*, & quicquid ab hominibus proficiſci poteſt. Omnia dona *naturalia*; omnes virtutes *morales*; omnes actus maximè heroici, à natura corrupta pullulantes, ſub peccatum concluduntur. Et quare? *ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus. Ex fide Jeſu Chriſti*, i. e. in Jeſum Chriſtum. *Nomen enim genitivi caſûs denotat objectum*, ut ſæpiùs alibi. Hac ratione Lex dicitur hominem ad Chriſtum adducere; nimirum, *per accidens*, quatenus demonſtrat quid homo Deo debeat, & quæ non ſolventem debitum maneat pœna; unde ad Mediatorem cogit reſpicere; cùm homo nec ſolvendo debito, nec ferendæ pœnæ videat ſe eſſe parem. Inde dicitur, Eſa. 59. 12. *peccatorum noſtrorum quodque reſpondet, vel teſtificatur, contra nos.* De accuſatione peccatorum agnitorum in conſcientia agi, ex ſequentibus verbis patet. Et unde hæc accuſatio, niſi à lege lumine Spiritûs convictivo perfusâ? Hinc Lex *Teſtis* nuncupatur: Ita *Janſenius, Auguſt. Tom. 3. lib. 1. c. 12.* Eſa 59.12.

Hac

'Hac eâdem consideratione Lex subinde 'etiam Testimonium dicitur, non tam 'quòd testetur quid Deus jubendo ve- 'tandoque fieri, vel non fieri velit; sed 'juxta *Augustinum*, quo *hominibus* de 'prævaricatione convictis demonstratur 'esse puniendos, & ut legem impleant, 'pœnamque evadant, auxilium Gratiæ 'postulandum. Non enim est adjutor 'operantium, sed testis peccantium; si- 'mul hoc ipso testimonium reddens im- 'plorandæ Gratiæ Dei, quâ possent justi 'esse Justitiâ Dei. Tale est legis lumen Convictivum & ad Christi Gratiam Dispositivam.

SECT. III.

De S. Scripturæ Lumine persuasivo.

3. VErbum Dei est *Lumen Persuasivum*. Non solùm vulnerat, sed & *Remedium* affert: non tantùm *Acetum*, sed etiam *Oleum* in cor vulneratum injicit. Apud *Platonem Rhetorica dicitur* ψυχαγωγία, *animæ manuductio*. Talis vis attractiva Verbo Dei apprimè convenit. Efficacitas hæc S. Scripturæ *persuasiva* & *attractiva* oritur ex novo fœdere, sive promissis Evangelicis. Nam sicut *Lex* lumen

lumen Convictivum, & mortiferum; ita *Evangelium* Lumen ſalutare, amicum, & perſuaſivum præ ſe fert. Hoc è textu priùs citato eruitur, 2 *Cor.* 3. 6, 7, 8, 9. Ubi **Lex** nominatur, *Litera quæ occidit, & mortis miniſterium*; Evangelium autem, *Spiritus qui vivificat, & juſtitiæ miniſterium* nuncupatur. Evangelium hîc Spiritûs nomen ſibi vendicat; (1) Quia Spiritûs, ejuſque Gratiæ vehiculum eſt: Lex enim mortis æternæ terrores; ſed Evangelium vitæ ac gratiæ ſalutaris promiſſum & ſpem in Conſcientiam vulneratam injicit. (2) Quia efficaciſſima præ ſe fert *Motiva* & *Attractiva*, quæ uſque ad intimam animæ vulneratæ medullam penetrant; eandémque, ad Dei Gratiam oblatam amplectendam attrahit. Inde *Chryſoſtomus*, in *Rom.* 6. ὁ γὰρ νόμος ἐλέγχει τὰ παραπτώματα· ἡ δὲ χάρις λύει τὰ παραπτώματα, *lex manifeſtat peccatum; ſed Gratia* (Evangelii) *peccatum diſſolvit.* 2 Cor. 3. 6, 7, 8, 9.

Lumen hoc Evangelii *Perſuaſivum & Attractivum* efficaciſſimum eſſe, ex quamplurimis S. Scripturæ locis demonſtrari poteſt. Inſignis occurrit textus, *Gen.* 9. 27. יפת אלהים ליפת *Alliciet Deus Japhetum*, &c. Primùm hîc notatu digniſſimum eſt Paranomaſia, quam Hebræi nominant לשון נופל על הלשון *Vocabulum cadens ſuper vocabulum alterum.* יפת *Japhth* enim eleganter alludit ad nomen, יפת *Japhet*. Deinde dicitur; *alliciet* Gen. 9. 27.

liciet Deus Japhetum. Radix פתה primariò notat verbis uti ad persuadendum mollibus & blandis, qualibus nimirum Procus, vel Amator utitur, ad Fœminam, cujus nuptias aut consuetudinem ambit, alliciendam: Unde etiam *blandiri*, & illecebris aliquem ad suam voluntatem sive voluptatem attrahere significat. Verbum notat hîc orationem blandam, benignam, nihil nisi suavitates & benevolentiam spirantem. Inde, ex Hebræo פתה oritur Græcum, Πείθω *persuadeo.* Sensus est Deum verbi Evangelici annunciatione allecturum fuisse nos *Gentiles*, *Japheti* posteros, *in tentoriis Semi*, i. e. unà cum Ecclesia Judaica habitare. Verbum idem, ac eodem sensu invenitur Hos. 2. 14

Hos. 2. 14. *Idcirco, ecce ego allecturus* (vel pellecturus) *sum eam.* Verbum פתה significat, opinor, (inquit *Sanctius*) verbis uti ad persuadendum mollibus, qualibus nimirum amatores utuntur ad fœminam, &c. Inde sequitur, & *loquar ad cor ejus. Loqui ad cor*, idem est quod *loqui amatoriè*, aut *blandè*, & talia denique verba, qualia sunt in audientium votis; aut quæ eò tendunt, ut cor alicujus capiant; & ad redamandum alliciant; aut certè cor exhilarent mœrore contractum, utì *Esa.* 40. 1, 2. Tanta est vis *pelliciendi* in verbo Dei Evangelico, ad cor persuadendum & vincendum. *Fullerus*, *Glassius*, *Bochartus* & alii volunt, promissum hoc illustre, de Gentium conversione, ita reddi: *Dilat*

Deus

Deus Japheto; scilicet *locum*, i. e. amplissimam ipsi, ejusque posteris regionem habitandam largiatur. Ita *Bochartus*, *Phaleg*, *l.* 3. *c.* 1. ‘ *Dilatet*, Hebraicè est ‘ יפת *japhth* futurum *Hiphil*, à פתה, ‘ quod in *Cal* est *pellici*, in *Piel pellicere*. At ‘ in *Hiphil* alibi nusquam occurrit, præ‘ terquam apud Chaldæos, quibus אפתי ‘ est *dilatare*. Hoc sequuti *Chaldæus*, *Onkelos*, *Græci*, *Arabes*, &c. cum Hieronymo, hîc reddunt; *Dilatet Deus Japheth*, ‘ pro eo quod recentiorum nonnulli, ex ‘ Hebræorum usu; *Alliciat Deus Japhe‘ tum*. Quarum Interpretationum, cùm ‘ utraque pia sit & erudita, prior tamen, ‘ multis de causis, videtur præferenda. ‘ Primò enim credibile non est, *Noam* ‘ frustrà mutasse conjugationem *Piel* in ‘ *Hiphil*, quâ in alliciendi significatione ‘ nemo unquam usus. Secundò, פתה, ‘ verbum ita medium est, ut tamen fere ‘ semper sumatur in malam partem. ‘ Tertiò, פתה, cùm in *alliciendi* significatione sumitur, semper regit accusati‘ vum: At hîc יפת Dativo jungitur. Hactenus *Bochartus*. Ego mallem utramque sententiam simul conjungere, ut hæc sit mens *Noæ*; Deum aliquando *Japheti* terminos ita dilaturum, & cor suum ita allecturum, ut habitet etiam in *Semi* fratris tentoriis; i. e. unà cum Ecclesia Judaica; aut Judæis incredulis ejectis, eorum loco, nimirum in tentoriis Ecclesiæ Christianæ. Prioris autem interpreta-

menti ſenſum includi etiam in poſterior
ex ſequentibus patet; *& habitabit in ten*
toriis Semi. Quibus, vel unionem Gen
tilium, & Judæorum ex *Semo* progenito
rum, in Chriſti regno futuram, *Eph.* 2
13. vel Gentilium in locum populi Judai
ci, ob incredulitatem abjecti, cooptatio
nem gratuitam, aſſumtionemque intelligi
concedit *Glaſſius.* Ita *Bochartus*: ‘ Se
‘ & vocationem Gentium iiſdem verbi
‘ contineri, prævidit jam ante eventu
‘ Chaldæus Interpres *Jonathan*, in cuju
‘ paraphraſi hæc verba ſunt valde no
‘ tanda, *Condecorabit Dominus termin*
‘ *Japheti, & Proſelyti fient*, [i. e. conve
‘ tentur] *filii ejus, & habitabunt in Sch*
‘ *la*, [i. e. templo vel eccleſia] *Semi.* N
‘ ſcilicet, qui ſumus *Japetionidæ*, aut
‘ eadem Eccleſia habitamus cum Judæi
‘ qui crediderunt, aut incredulis ejecti
‘ eorum locum occupamus. Eccleſia D
exprimitur per *Tabernacula Semi*, qu
uſque ad Chriſti adventum, Eccleſia f
miliæ *Semi* fuit affixa. Status Eccleſ
militantis, per *Tabernacula* optimè d
pingitur: *Patriarchæ* enim in Tentor
habitârunt ut peregrini, *Hebr.* 11. 9.
fidelium ad unum omnium eadem in h
vita ſors eſt, uti 2 Pet. 2. 13. *Japh*
autem poſteros hodie ita habitare in te
toriis *Semi* ut præcipuam partem con
ſtuant Eccleſiæ Chriſtianæ, ex eo pat
quòd Religio Chriſtiana jam inde
ætate Apoſtolica in *Europa* maximè
gu

guit, & *Asiæ* partibus, quæ in *Japheti* sortem cesserunt. Sic, etsi verbum פתה *dilatandi* potiùs quàm *alliciendi*, aut *persuadendi* significationem hoc loco admittat; tamen non tam de extensione loci, quasi *Japheto*, ejusque posteris auctarium plurium regionum solùm promitteretur; quàm de ampliori Evangelii propagatione inter *Japheti* posteros intelligendum est: quod in priori notione *persuadendi* includitur, ut effectum in sua causa: *persuasiva* enim vis Evangelii causa est, cur idem apud *Japheti* posteros dilatatur & propagatur. Notio hæc *persuadendi*, quatenus ad Evangelii efficacitatem applicanda est, sæpiùs in novo Testamento invenitur. Ita *Act.* 17. 4. Nonnulli, ἐπείσθησαν, *persuasi sunt*, i. e. ad amplectendum Evangelium *adducti* fuere. Idem Act. 18. 4. ἔπειθέ τε, *in suam sententiam adducebat tum Judæos, tum Græcos.* Item Act. 19. 8. καὶ πείθων, & *suadens, quæ ad regnum Dei pertinent.* Idem *Act.* 28. 23, 24. Hæc autem Evangelii *suasio* dicitur Joan. 6. 44. Patris Tractio. Tam efficax est lumen hoc Evangelii persuasivum & attractivum, quando vis Dei *vorticordia* idem inspirat ac influit.

Act. 17. 4.

Act. 18. 4.

Act. 19. 8.

Act 28. 23, 24.

Lumen Evangelii *persuasivum* ejusque efficacia apprimè insignitur, Psal. 45. 16. *Deportantur cum summa lætitia & exultatione.* Heb. *cum lætitiis*, i. e. uti R. *Ezra*, *sponte, non vi.* Idem fusiùs illustratur, Psal. 110. 2. *Scipionem roboris tui emissurus*

Psal. 45. 16.

Psal. 110. 2, 3.

rus est Jehova. *Scipionem* vel *sceptrum*, i. e. verbum Evangelii, quod est *potentia Dei ad salutem*, Rom. 1. 16. Quid inde sequitur? v. 3. *Populus tuus aderit maximè omnium voluntarius, die copiarum tuarum.* עַמְּךָ נְדָבֹת. *Populus spontaneitatum*: Ubi primò abstractum pro concreto; deinde plurale pro singulari summam habet emphasin. Tota hæc spontaneitas ortum suum trahit à vi Evangelii persuasiva. Uti in eis, quæ sequuntur. Idem exempl ficatur in sponsa Christi, Cant. 1. 4. *Trahe me.* Christus trahit objectivè & moraliter suavissimis Evangelii promissis, Gratiâ & amore summo perfusis.

Cant. 2. 4. Unde addit sponsa, Cant. 2. 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam. Cella vinaria* peculiarem quandam voluptatem designat; sumitur hic *Synecdochicè*, pro omni deliciarum genere: immo credit *Sanctius*, quòd Proverbiali figurâ sumatur pro maximis deliciis, quæque ita capiunt animum, ut suiipsius impotentem reddant. Christi deliciæ spirituales verbo ejus exhibitæ tam attractivæ fuere, ut sponsa mentis excessum, ecstasimque pateretur. Unde sequitur; *habens pro vexillo amorem erga me. Vexillum* in se est attractivum; milites ad illud confugiunt: Christi autem vexillum nil nisi amor fuit; uti *Esa.* 11. 10. Vel ejus Inscriptio sententia fuit amatoria. Per vexillum Christi, ut mihi videtur, ejus Evangelium primariò intelligendum est;

quod

quod promiſſa blanda & maximè attractiva ſibi inſcripta habet. *Sanctius* hæc verba tali paraphraſi explicat: 'Non potui, quin cederem ſponſi viribus; quia 'amorem contra me tanquam exercitum 'inſtruxit; i. e Charitatis vim totam 'effudit; cujus pondus ſuſtinere, neque 'debui neque potui. Acies autem quam 'ordinavit ſponſus in me, & quâ munitus animum meam expugnare aggreſſus 'eſt, illa ſunt, quæ ad redamandum vehementèr alliciunt. Inter autem amatoria munera, quibus cor ſponſæ maximè allicitur, primum locum habet Chriſti Gratia Evangelio annunciata. *Grotius* ſic interpretatus eſt hunc locum: *Vexillum ejus ſuper me eſt dilectio*; quaſi dicat, milito ſub ejus vexillo, cui inſcriptum eſt, *AMOR*. Senſus eſt, milito ſub ejus Evangelio, quod nil niſi promiſſa attractiva amore plena præ ſe fert. Simile ſymbolum habemus, Cant 3. 9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon.* Hebr. אפריון, non niſi in hoc loco invenitur; ideoque interpretes multùm ſudant, ad ejus ideam propriam depingendam. Aliqui volunt nomen hoc ſignificare, *Thorum*; alii *Throum*; vel *conclave nuptiale*, uti Jarchi; alii, *Fercu'um*, ſive mobilem quendam & geſtatorium lectum; quod Interpretamentum probabilius videtur. Quid autem per hoc ſymbolum intelligendum eſt, variæ etiam ſunt conjecturæ. Chaldæus exponit de *Templo*: ſed veriùs ab *Ainſ-* Cant. 3. 9.

wo th nostro exponitur de Templo mystico, nimirum Ecclesiâ; quæ per Evangelii prædicationem, tanquam per *ferculum*, Christum transfert in corda electorum. Ita Evangelium, saltem *inclusivè*, si non *formaliter*, sub hoc symbolo exhibetur. Et nonne *Solomonis ferculum* sive *lectus gestatorius* viva fuerit Imago Evangelii Christi, quo, tanquam curru nuptiali, seu triumphali in corda electorum vehitur? Cant. 3. 10. De hoc autem ferculo dicitur v. 10. *Media ejus strata amore à puellis Hierosolymitanis*: i. e. inquit *Grotius*, media lecticæ amorum historias habent, mulierum Judæarum acu pictas. Amatoriæ hæ sententiæ sunt Evangelii promissa & historiæ. *Sanctius* sic explicat: *Media charitate constravit.* Sensus hujus loci est, ut puto, talis; stratum esse lectum *charitate*, i. e. rebus amabilibus, & pretiosis; putà gemmis, lapidibusque lucidis, quos amant curiosi, & elegantes oculi. Hîc vero charitas significat, quod animos pellicit ad amorem sui, sumiturque pro amabilibus, & gratis; abstractum nempe pro concreto. Hoc interpretamentum haud revera differt quoad sensum à priori; sed denotat Evangelii promissa pretiosa & amabilia, quibus pelliciuntur & rapiuntur animi fideles. *Ainsworth* per *Ferculi media*, intelligit *sedem*, cui insidebat *Solomon*; & vult eandem referre ad aureum *Ilasterium* sive propitiatorium supra Arcam; cui Deus insidere dicitur, *Psal.* 80. 2. Et sic per hoc symbolum

symbolum fœdus Gratiæ significari. Hoc etiam verbi Dei motiva & attractiva amatoria exprimit. Fœdus enim Gratiæ nil nisi Evangelium Gratiâ perfusum spirat. Sed verba Christi persuasiva & blandissima clariùs describuntur Cant. 5. 1. *Vox Dilecti mei pulsantis, aperi mihi, &c.* i. e. Interim dum ego dormio, ecce sponsi vox sonat in auribus meis, qui dum pulsat fores, admittique postulat, sic nomen meum suaviter & sæpiùs inclamat: *Aperi mihi, &c.* Accommodat se cœlestis sponsus eorum mori, qui amore fervente capti intemperanter amicarum fores obire, incommodo etiam tempore, preces addere & munera, & nihil non tentare ad pelliciendos animos solent. Porro earum, quarum ambiunt nuptias, fores ornare coronis, & ramis convestire, & osculari, & tales inanes voluptates captare solent. Quod ergo ex amore vesano illicitè faciunt amatores isti intemperantes, id sanctissimè facit cœlestis noster Amator, cujus verba Evangelica blandiora sunt blandissimis dictis vulgaris & amentis amoris. Talia enim sunt quæ sequuntur: *Soror mea; amica mea; columba mea; integra mea; caput meum opletum est rore, capilli mei aspersionibus nocturnis.* Hæc omnia sunt verba maximè persuasiva & blanda; quibus, ut tot amatoriis machinis, utitur Divinus sponsus ad alliciendum cor sponsæ suæ.

Cant. 5. 1.

Evangelii lumen persuasivum aliis

textibus luculenter illustratur, uti Hos. 11. 4. *Funiculis humanis traho eos, densis funibus amoris.* *Funiculi* humani, & densi funes amoris sunt Attractiva, sive Argumenta Evangelii, quæ rationi humanæ, Spiritu Dei irradiatæ, maximè rationalia, & amatoria videntur. Hisce Christus trahit peccatores suis peccatis oneratos. Et nonne magna esse debet eloquentia quæ invitis placeat? Ita Ezech. 20. 37. *Et transmittam vos sub virgam, ut inducam vos ad exhibitionem fœderis.* Christus hîc, ut bonus Pastor, populum suum sub virgam pastoralem transmittere promittit, ad eum in caulam fœderis Gratiæ recipiendum. Virga autem hæc non habet unam ac eandem ideam: significat enim Afflictionum *Crucem* atram, *Legis* terrores; sed primarii *Evangelii* attractiva Amatoria. Idem etiam exprimitur, Joan. 10. 3. *Et oves vocem ejus audiunt.* Bene notatum est, pastores, illis temporibus ac regionibus, habuisse quasdam voces peculiares, quibus oves suas assuefecerunt. Ita Christus oves suas voci Evangelii sui persuasivæ assuefecit; quâ eas regit ac ducit. Ita enim sequitur v. 4. *Et oves eum sequuntur quia nôrunt vocem ejus.* Pastores præire solebant, & oves auditâ eorum voce distinctivâ sequebantur, ut in aliquibus locis apud nos: Ita Christi oves, auditâ voce Evangelii sui efficaciter persuasivâ, eum alacriter sequuntur. Tam

Hos 11.4.

Ezech.20. 37.

Joan.10.3, 4.

efficax

efficax eſt *lumen* Evangelii *perſuaſivum.*

SECT. IV.

De S. Scripturæ lumine Converſivo, Purgativo, Conſervativo, & Viviſicante.

4. VErbum Dei, S Scripturâ conſignatum, eſt *Lumen Converſivum*: non ſolùm animum allicit, ſed & cor flectit ad Chriſtum amplectendum. Hæc verbi Dei *Efficacitas* Evangelio, afflatu Spiritûs inſpirato, propria eſt. Lex enim Inſtrumentum Convictivum, ſed Evangelium ſolùm Inſtrumentum Converſivum eſt. Lex oſtendit quid ſimus naturâ; Evangelium autem quid ſimus Gratiâ: Lex eſt *litera*, quæ *occidit*; ſed Evangelium eſt *ſpiritus, qui vivificat*, 2 Cor. 3. 6, 7 Lex eſt Inſtrumentum ſpiritûs ſervitutis; ſed Evangelium ſpiritûs Adoptionis. Lex terrores Conſcientiæ ingenerat; ſed Evangelium ſolùm pacem ſolidam præbet. Lex vulnerat; ſed Evangelium tantùm ſanat. Lex ſeparationem qualem qualem à peccato; ſed Evangelium ſolùm unionem cum Chriſto producit. Lex officium monſtrat; ſed nil niſi Evangelium beneficium confert.

Lex peccatum amarum; ſed Evangelium ſolùm Chriſtum ſuavem reddit. Lex eſt Regula novæ vitæ; ſed Evangelium Gratiâ animatum, principium eſt. *Lex* (inquit *Auguſtinus*) *data eſt ut Gratia quæreretur: Gratia data eſt ut Lex impleretur.* Evangelii lumen converſivum efficaciſſimum multis S. Textibus inſignitur. Aliquid de hoc in Veteri Teſtamento
Pſal. 19. 8. conſpicuum eſt. Ita Pſal. 19. 8. *Doctrina Jehovæ integra eſt reſtituens animam.* Locutus fuerat in prioribus, de imperfecta Dei cognitione, à lumine Naturæ acquiſita: nunc de Dei verbo, ejuſque perfecto lumine loquitur. Ita *Muſ.* 'Docuit 'quomodo ex cœlorum ſoliſque motu atq; 'efficacia, cognitio Dei haberi poſſet: 'Nunc aliam cognoſcendi Dei rationem 'multò ſublimiorem profert, legem nimi-'rum Divinam. *Doctrina Jehovæ*, i. e. totum verbum Dei ex præceptis ac promiſſis conflatum: *perfecta ſive integra eſt*, ἀνεπίληπτος v. 1. &c. *reſtituens animam* מְשִׁיבַת *convertens*, nimirum ad Deum. Lumen naturæ priùs memoratum aliquid de Deo annunciat; ſed non poteſt animam ad Deum *convertere*: Hoc verbi Divini ſolùm privilegium eſt: Immo creaturæ maximè glorioſæ, nempe Sol & Stellæ tam procul abſunt ab animam ad Deum convertendo, ut pravos hominum animos à Deo ad ſuiipſius Admirationem & Adorationem induxerint.

Sed Lumen hoc verbi converſivum

ſplendidiùs

splendidiùs emicat in Novo Fœdere. Ita Jacob. 1. 18. *Progenuit nos sermone veritatis.* Sermo veritatis Evangelicæ semen est regenerationis. Idem 1 Pet. 1. 23. *Regeniti, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili*, i. e. *per sermonem Dei vivi & manentis in æternum.* Verbum Dei Evangelicum Regenerationis semen incorruptibile dicitur, quatenus à Deo immortali fluit, & ad vitam immortalem tendit. Deus *Sator* nuncupatur frequenter apud Hebræos: Ita in parabolis Christi, verbum Dei semini comparatur. Sicut enim semen, tum Plantarum, tum Animalium, vim quandam πλαστικὴν, sive *efformativam* habet; sic & verbum Dei Spiritu Christi animatum. Hinc de regno Christi dicitur, Esa. 11. 6. *Quapropter commorabitur lupus cum agno, &c.* i. e. tanta erit vis Evangelii à Spiritu Christi animati, ut Lupus, Pardus, & Leo, quæ sunt ferociſſima animalia, priſtinam ſuam feritatem deponent, & in novas creaturas transformabuntur. Evangelii efficacitas conversiva ex ejus *fine* demonstratur, Rom. 15. 16. *Ad hoc ut sim minister Jesu Christi apud Gentes, operans Evangelio Dei, ut oblatio Gentium fiat accepta.* Primò *Paulus* dicit se esse Jesu Christi λειτουργὸν, *ministrum.* Critici λειτουργίαν deducunt, non à λιτὴ *preces*, sed à λεῖτον, *publicum.* Ita apud Hesychium in λειτουργῶν, λεῖτον exponitur δημόσιον, & λειτουργοὶ ὑπηρέται & δημιοργοί. *Plutarchus* etiam testatur, λεῖτον

Jacob. 1. 18.

1 Pet. 1. 23.

Esa. 11. 6.

Rom. 15. 16.

λήϊτον olim idem fuisse ac τὸ δημόσιον. *Herodotus l.* 7. scribit, *Achæorum* vocabulum esse, significans illis *prytaneum*, i. e. Curiam. Hinc igitur est λητουργὸς, q. d. *opus publicum faciens*, & λητουργεῖν, sive λειτουργεῖν, *publicum munus obire, ministrare*, & λειτουργία, *publici ministerii administratio*, Luc. 1. 23. Sic *Hesychius*, λειτουργεῖν, δουλεύειν, servire; & λειτουργὸς, ὑπηρέτης, *minister*. Unde λειτουργεῖν propriè significat res publicas administrare, tractare, ac in S. Scriptura aliquando *concionari*. Sic *Act.* 13. 2. λειτουργούντων, i. e. inquit *Theophylactus*, κηρυττόντων *concionantibus*: & λειτουργία, apud Græcos Scriptores, notat publica ministrorum munera & officia: Sic *Nazianzenus*, de *officio Episcopi* loquitur, ἐπιτκοπὴ οὐκ ἔστι πορισμὸς, ἀλλὰ λειτουργία, *Episcopatus non est lucrum sed publici muneris administratio*. Unde sequitur ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον. ἱερουργεῖν, *est sacrificia præparare, & eadem præparata offerre*: Prius Levitis, posterius Sacerdotibus fuit proprium: Levitæ enim mactabant sacrificia; sed Sacerdotes eadem mactata & præparata offerebant. Sic *Paulus* ait se Evangelium annunciare, & eodem annunciato Gentes ad vitam æternam præparare. Hinc subjungit, *ut oblatio Gentium fiat accepta*. προσφορὰ, intelligi potest tam *activè* quàm *passivè*: primò *activè*, ut Gentes se Deo offerant, ut spirituales hostias, in Christo acceptas; vel *passivè*, ut Gentes Deo in Christo oblatæ,

latæ, sint hostiæ spirituales & placentes. Uterque sensus indicat conversionem Gentium fuisse primarium finem & effectum *Paulini* ministerii.

5. Verbum Dei est lumen *Purgativum* & *Medicinale*. *Socrates*, referente *Platone*, *Charm. fol.* 157. dixit: θεραπεύεσθαι τὴν ψυχὴν ἐπῳδαῖς τισι. τὰς δ' ἐπῳδὰς ταύτας, τοὺς λόγους εἶναι τοὺς καλούς. *Necesse esse purgari animum quibusdam* ἐπῳδαῖς: ἐπῳδὰς *autem hasce esse bonos sermones.* Talis ἐπῳδὴ est verbum *Dei*; inde à *Basilio* nominatur, *communis medica animarum officina.* Pontificii multùm jactant de suo *Purgatorio*: sed nos nulla *Purgatoria* nisi *Christi sanguinem, spiritum,* & *verbum* agnoscimus; Vis autem Christi sanguinis & spiritûs purgativa per verbum ipsius operatur. Ita Psal. 119. 9. *Quomodo purificabit puer semitam suam? Observando eam secundùm verbum tuum.* נער *puer* propriè significat *ardentem affectibus*, i. e. talem, cujus cor flagrat febrili Juventutis ardore; & quomodo talis febrilis ardor expelli possit? Efficacius sanè remedium præscribi haud potest, quàm Spiritus Christi verbo suo operans. Estne cor peccatoris obduratum, instar metalli aut lapidis? Tum verbum Dei habet se ut *ignis* & *malleus*, utì *Jer.* 23. 29. de quibus in eis quæ sequuntur. Lumen hoc verbi Dei purgativum pleniùs enarratur à Domino nostro, Joan. 15. 3. *Jam verò puri estis*

Psal. 119. 9.

Joan. 15. 3.

estis per sermonem quem locutus sum vobis. διὰ hîc notat *causam instrumentalem*, & ideo vertendum est *per*, non *propter*, uti
Joan. 17. 17. *Beza*. Idem, Joan. 17. 17. *Sanctifica eos veritate tuâ; Sermo ille tuus veritas est.* Verissimus Evangelii sermo organon efficacissimum est, quo utitur Spiritus S. ad cordis impuritatem expurgandam, & veram sanctitatem ingenerandam. *Sermo ille tuus veritas est.* Sermo Evangelii non falsus est, ut pseudoprophetarum dogmata; non falso admistus, ut Philosophorum placita; sed ipsissima veritas; imo talis veritas, quæ vim habet πλαστικὴν sive *efformativam*, & purgativam. Inde idem sermo comparatur *Gladio*,
Ephes 6. 17. Eph. 6. 17. *Et Gladium Spiritûs, hoc est, verbum Dei.* Verbum Dei, manu Spiritûs, intimè penetrat separatque affectus malos à bonis. Alluso videtur esse ad Esa. 49. 2. *Et disposuit os meum velut gladium acutum.* Loquitur hîc Christus de vi & efficacia verbi sui. Idem Apocalyp. 1. 16. & 2. 12. Explicationem totius habemus,
Hebr. 4. 12. Hebr. 4. 12. *Vivus enim est sermo Dei.* ὁ λόγος. Aliqui per *sermonem Dei* intelligunt Christum; alii verbum Christi: Nos utrumque sensum admittimus; & sic per *sermonem Dei* intelligimus verbum Christi, per spiritum suum animatum & applicatum. De hoc Christi sermone dicitur primò, quòd sit ζῶν *vivus*. Alludere videtur Hagiographus ad Esa. 49. 2. *Vivus* appellatur *ser-*

mo

no *Christi* tum in se, quatenus spiritu Christi animatur; tum ratione effectorum, quatenus vitam electis communicat. Deinde sequitur: καὶ ἐνεργής. Hoc *verbi* Attributum prioris consequens est; nam quò magis *vivum* quid est, eò magis energeticum & activum est. Aliqui volunt allusionem esse ad *Ignem*, qui erat in altari victimarum, & perpetuò agebat, ut ea quæ vivunt. Hinc sequitur: καὶ τομώτερον ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον. *Grotius* vult hac phrasi alludi ad cultrum ancipitem Levitarum, quo usi sunt in dissecandis hostiis. Sicut enim Levitæ cultro suo ancipiti discernebant, quæ in sacrificiis ad Deum, & quæ ad hominem pertinebant; ita verbum Dei vim habet penetrantem & dijudicantem omnia, quæ in homine latent. τομώτερον *secantior*: Est comparativus, à Substantivo τομὴ, *Sectio*, formatus: Cujusmodi apud Græcos plures dantur quàm apud Latinos. Sic ab Ἄρης *Mars*, ἀρείων *præstantior*, & ἄριστος *præstantissimus*. Sequitur, καὶ διϊκνούμενον ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος. Tribuit Apostolus verbo Dei vim accuratissimam penetrandi & discernendi hominum affectus intimos & quodammodo similes, immo tantùm non eosdem; ψυχὴ enim & πνεῦμα ferè idem sunt. Vel per ψυχὴν intelligi potest, pars animæ *animalis*, quæ dicitur, 1 *Cor.* 2. 14. ψυχικὸς, i. e. *naturalis*; vel pars *carnalis*. Sic *Jud.* 19. homines ψυχικοὶ opponuntur

opponuntur eis qui ſpiritum habent: Et tum per πνεῦμα hîc intelligendi ſunt affectus ſpirituales novæ Creaturæ. Sequitur ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν, *compagúmque & medullarum.* Quæ corpori propria ſunt, hîc animo applicantur. Levitæ culter pertingebat ad *minima*, utpote ad nervos in junctûris; & ad *intima*, quippe ad ipſas medullas: Sic & fermo Dei ad minimos & intimos affectus penetrat, malóſque à bonis ſeparat. Unde concludit v. 13. πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. Pergere videtur in Tranſlatione ſacrificiorum, quibus non lana tantùm, ſed & cutis detrahitur, ut interiora appareant. Id Hebræi vocant קָרַע. τραχηλίζειν, ſecundum *Phavorinum*, ſignificat à collo pellem victimæ in duas partes diſſecare & detrahere; unde τετραχηλισμένοι metaphoricè dicuntur *manifeſti.* Talis eſt efficacia verbi Divini, ad affectus hominum diſcernendos, & malos à bonis ſeparandos.

Purgativa hæc vis verbi ſecundùm nonnullos, optimè deſcribitur, 1 Pet. 4.

1 Pet. 4. 6. 6. *Nam idcirco mortuis quoque prædicatum fuit Evangelium, ut damnarentur quidem ſecundùm homines*, i. e. *carne*; *viverent autem ſecundùm Deum*, i. e. *Spiritu.* ἵνα κριθῶσι. Cœperat (*Petrus*) de ſanctificatione diſſerere: cujus duas partes eſſe dixerat, nempe paſſum eſſe in carne, ſeu mori peccato, & voluntati Divinæ vivere. Hoc ipſum igitur eſt, quod nunc dicit fuiſſe

ſſe ſuperioribus etiam ſeculis annuncia-
tum: Nam *damnari carne*, *pati in carne*,
mortuum eſſe peccato, idem notant. Dici
tur igitur *damnari in carne*, cujus in carne
damnatur, i. e. exſtinguitur, peccatum.
Ita explicatur, 1 *Cor.* 2. 5 εἰς ὄλεθρον τῆς
σαρκὸς, *ad interitum carnis.* Hunc-
que eſſe ſenſum hujus textûs ex antitheſi pro-
bat *Beza*: Nam *damnari* & *vivere* contra-
ria non eſſent, niſi damnari pro interire
& mori accipias; ſicut *mortificatio* & *vivi-
ficatio* mutuò inter ſe reſpondent. Inde
ſequitur; *viverent autem ſecundùm Deum.*
Alteram partem ſanctificationis explicat,
priori individuo nexu conjunctam: Nam
qui mortuus eſt peccato, Deo vivit. Un-
de autem oriuntur hæ duæ partes vitæ
Chriſtianæ? Ex Evangelii prædicatione,
uti in initio commatis.

6. Verbum Dei eſt Lumen *Conſervati-
vum*, & *corroborativum*: vim habet con-
ſervandi animum, contra omnes *Satanæ*,
mundi, & *peccati* Tentationes. Ita Pſal.
119. 11. *In animo meo abſcondo ſermonem* Pſal. 119. 11.
tuum, *ut non peccem in te.* בלבי צפנתי
Quaſi dixerat: mandata ac promiſſa tua
reconduntur in corde meo, tanquam
antidotum efficaciſſimum, quod vim habet
expellendi omnes venenoſas Satanæ ſagit-
tas, omneſque peccati vapores malignos.
Suavis eſt metaphora in verbo *recondendi*,
ab iis tranſlata, qui aliquod antidotum
precioſum, ſive theſaurum inventum re-
condunt,

condunt, in loco aliquo tuto, ne pereat. Significat igitur verbum Dei ei esse loco *Antidoti* efficacissimi, quo cor ejus fortificatum fuit, contra omnia pestifera Satanæ & mundi blandimenta. Idem ferè, Psal. 37. 31. *In cujus animo est lex Dei sui, nullus gressuum ejus labascit.* בלבבן. Ratio cur nullus gressuum ejus labascit, est quia Legem Dei habet in corde suo. Ita Psal. 17. 4. *Quòd ad opera humana, ex verbo labiorum tuorum conservavi memet à semitis effractoris.* Hinc Psal. 110. 2. Verbum Dei nuncupatur *virga roboris tui*, i. e. robustum sceptrum, quo repelluntur omnes tentationes. Inde etiam Evangelium Dei comparatur caligis militaribus, Ephes. 6. 15. *Calceatis pedibus præparatione fœlicis illius nuncii pacis.* Sicut κνημῖδας milites apud Græcos, & *caligas* milites apud Latinos gerebant, quibus pedes eorum conservati fuere à *scandalis*, (vox enim *scandalum* militarem quoque habet notionem) sive offendiculis militaribus; Ita pedes affectuum nostrorum Evangelii caligis præparantur & conservantur ab omnibus scandalis Satanæ & hujus mundi. Quare vult Apostolus, nos, ad ineundum prælium Christianum, contra omnia hujus mundi scandala, Evangelii caligis præparatos esse. Denique vis hæc verbi corroborativa & conservativa efficaciter exprimitur, 1 Joan. 2. 14. *Scripsi vobis, adolescentes, quia fortes estis, & verbum Dei habitat in vobis, & illum malum vicistis.*

Psal. 37. 31.

Eph. 6. 15.

1 Joan. 2. 14.

Reddit

reddit Apostolus cuilibet Christianorum ætati sua propria Attributa, eaque conformia hominum ætatibus. Sicut enim inter homines pueruli convenit patrem agnoscere, & senibus antiqua cognoscere; Ita adolescentibus fortitudo maximè propria est: Hæc enim ætas est bellicosa, tum ratione affectuum, tum ratione virium externarum. Pari ratione inter Christianos media ætas est ad plurimum maximè bellicosa, quia tentationibus & ebullientibus cupiditatibus maximè infestatur: Huic igitur ætati mediæ fortitudo Christiana propriissima est: Sed unde hæc fortitudo? respondet Apostolus, καὶ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐν ὑμῖν μένει, καὶ νενικήκατε τὸν πονηρόν. Notat *Grotius*, illud prius καὶ valere hîc *Quia*; & alterum καὶ positum esse pro *ob id*; quales usurpationes particulæ copulativæ frequentes Hebræis. *Fortes jam estis*: sed non vestris viribus; verùm quia verbum illud Dei, profectum à Christo, est in vobis, inde vobis robur tantum obtigit. Ita verbum Dei influxum habet instrumentaliter causalem, & efficacissimum ad tentationes repellendas.

7. Verbum Dei est Lumen *animans & vivificans*. Sic Psal. 119. 40. *Ecce desidero mandata tua, in justitia tua fac ut vivam*, vel *vivifica me*, i. e. per justissima tua promissa: Idem v. 88. *Pro benignitate tua vivifica me, ut observem testimonium* Psal. 119 40. 88.

um oris tui. חוני, i. e. ſecundùm, ve
per promiſſa tua, ex multa benignitat
donata, vivifica me. Plenius au em v

93. 93. *In ſæculum non obliviſcar mandatorum tuorum, nam illis vivificâſti me.* לעולם לא אשכח פקודיך כי בם חיתני per mandata Dei hîc intelligendum eſt verbum Dei, ſpiritu ejus animatum; quod vim habuit vificandi cor *Davidis* efficaciſſimam: Vis autem hæc verbi vivifica propriè convenit promiſſis Dei Evangelicis. Hinc Evangelium nuncupatur *ſpiritus vivificans*, 2 Cor. 3. 6. *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat.* Evangelium hîc, quatenus Legi in ſe conſideratæ opponitur, *ſpiritus vivificans* appellatur, quia virtutis ſpiritûs vivificantis vehiculum eſt. Hoc fuſiùs explicatur, Joan. 6.

Joan. 6 63. 63. *Spiritus eſt id quod vivificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquor vobis ſpiritus ſunt, & vita ſunt. Spiritus ſunt, & vita ſunt*, i. e. à ſpiritu Dei procedentia vim ſpiritualem & vivificantem præ ſe ferunt. Hic Metonymia cauſæ eſt: Spiritus enim efficiens pro effecto ejus ponitur: Verba Chriſti vivificantia *ſpiritus* nominantur, quia à Spiritûs S. influxu, non communi, ſed ſpeciali & vivificante originem ducunt. Hinc Evangelium di-

Rom. 8. 2. citur, Rom. 8. 2. *Lex ſpiritûs vitæ*, i. e. inquit Flacius, ‘Evangelii doctrina ſic ‘dicta, quia affert ſecum Spiritum S. qui ‘divinâ efficaciâ cor hominis immutat, ‘ac digito ſuo, legem cordi ejus inſcribit; ‘ita ut jam non in ſolis tabulis, aut mem-

‘branis;

branis; ſed in ipſum cor hominis penetret; ibique veluti flamma quædam vigeat, hominémque ad ſpirituales motus, & opera præſtanda inflammet. Referri etiam huc poteſt, quòd verbum Chriſti, *ſpiritus labiorum ejus*, dicitur, Eſa. 11. 4. Optimè Pic. Mirandul. ad Hermol. Barbarum: 'Non movent, non perſuadent ſacræ literæ; ſed cogunt, agitant, vim inferunt. Legis rudia verba & agreſtia; ſed viva, ſed animata, flammea, aculeata, ad imum ſpiritum penetrantia, hominem totum poteſtate mirabili transformantia.

SECT. V.

De S. Scripturæ Lumine Liquefaciente, Libertatem adducente, Conſolante, Nutritivo, & Fructifero.

8. VErbum Dei eſt Lumen cor *Liquefaciens* & *Amplificans*. Ita Cant. 5. 5. *Anima mea exivit propter colloquium ejus*. נשׁה ab aliquibus redditur, *Liquefacta eſt*; ab aliis, *exanimata*. Senſus eſt idem, nempe ſponſæ animam liquefactam ac penè exanimatam eſſe per vel propter Chriſti verba. Liqueſcit enim anima, Cant. 5 5.

anima, quando à verbis Christi blandi
simis ita afficitur, ut à seipsa pene defici
ens, magnam aliquam subeat mutationem
Sicut enim ignis liquefacit metalla du
rissima; sic Christi verbum Evangeli
cum, cor durissimum. 'Liquefactio (in
'quit Aquinas) importat quandam molli
'ficationem cordis, quâ exhibet se co
'habile, ut amatum in ipsum subintre
Veluti igitur quæ liquefacta sunt, vete
rem formam exuunt, novamque acqui
runt; ita cor à verbo Christi liquefactum
Hinc etiam sequitur cordis *Amplificatio*
Liquefacta enim humida, ac inde fluid
evadunt. Humida autem ac fluida sun
maximè diffusiva: difficulter enim pro
priis terminis continentur; utcunque fa
cilè alienis: Ita cor Christianum, ign
Evangelii liquefactum, diffunditur a
amplificatur. Totum hoc exemplificatu
in duobus discipulis, qui cum Christo col
Luc. 24. 32. loquium inierunt, Luc. 24. 32. *Tum inte
se dixerunt, Nonne cor nostrum ardebat i
nobis, dum loqueretur nobis in via, & quum
adaperiret nobis scripturas?* Calor cordi
hîc notat ejusdem *Liquefactionem* & *Am
plificationem*: & unde hæc Liquefactio
Amplificatio cordis, nisi à Christi verb
igneis? Quàm citò incalescit, & liquet
cor fidelium, quando Christus ad illu
loquitur efficaciter?

9. Verbum Dei est Lumen quod *Liber
tatem* adducit. Hoc liquet ex *Psal.* 110
Psal. 110. 1, 2, 3. 2,

2, 3. Præcedenti commate *David* populum est allocutus, de Regia ac glorioſa Chriſti Adminiſtratione: nunc, oratione ad Chriſtum ipſum conversâ, vaticinatur de efficaci ejus Adminiſtratione, per *Doctrinam Evangelii*. Ita v. 2. *Sceptrum Roboris tui emiſſurus eſt Jehova è Sione. Sceptrum Roboris*, ſive *Virtutis*, eſt *ſceptrum robuſtum*, uſitato Hebraiſmo; quo epithetorum vice, quæ rariſſima ſunt in hac lingua, ponitur ſæpiùs Genitivus nominis Subſtantivi. *Sceptrum hoc robuſtum* nihil aliud eſt, quàm verbum Evangelii: quo annunciato, Chriſtus regnat & operatur efficaciter in cordibus electorum. Hujus Doctrinæ Evangelicæ promulgatio innuitur verbo שלח, quod *mittere* vel *emittere*, item *extendere* propriè ſignificat; *Metonymicè*, *promulgare*, quod juſſu principis, vel magiſtratûs emiſſum eſt. Hæc promulgatio deſcribitur, (1) ab *Auctore ſupremo*, qui eſt *Jehova*, nimirum Chriſtus: (2) à *Loco*; nempe, è *Sione* Chriſtus populi ſui Rex & Propheta hanc Evangelii Doctrinam promulgaturus prædicitur. Hinc ſequitur effectum hujus promulgationis commate 3. *Populus tuus futurus eſt perquam voluntarius, die copiarum tuarum, in decore ſancto.* עַמְּךָ נְדָבוֹת, *Populus Voluntatum*, ſive *Spontaneitatum*, ſi ita loqui liceat, i. e. *ſummè voluntarius* ac *ſpontaneus*; nimirum ad cultum Deo fideliſſimè præſtandum. Solent enim Hebræi per Genitivum

vum pluralem describere gradum superlativum, quem alioquin non habent. נדבה generatim omnem voluntatis *promtitudinem*, *alacritatem*, & *libertatem*, quâ quid peragitur depingit: metonymicè *donum*, vel *munus* alacriter collatum. Unde *liberalis* & *munificus* dicitur נדיב. Et quia *Principes* & *Magnates* maximè decet Liberalitas, ideo נדיבים nuncupantur. Talem *Regalem Libertatem* affert Doctrina Evangelii. Liber est *sui juris*: & *Libertas*, definiente Cicerone, est *potestas vivendi ut velis*. Inde *Stoici* tenuerunt, ἐλευθερίαν εἶναι ἐξουσίαν αὐτοπραγίας· & *sapientes solos liberos esse; improbos autem servos*. Unde autem talis Libertas, nisi à Doctrina Evangelica? Quis *sui juris* est; quis vivit ut vult; quis verè sapiens est, nisi fidelis, qui verbo Dei assentitur? Ita 2 Cor. 3. 17. *Ubi autem Spiritus illic Domini, illic Libertas.* Libertas, quam affert verbum Dei, optimè describitur, Psal. 119. 45. *Indesinenterque ambulabo in ipsa latitudine, quia mandata tua quæro.* ברחבה, in *Amplitudine*, i. e. in ampliſſima ac Regia legis tuæ via, summâ cum voluntate ambulabo. Libertas tum quoad statum, tum quoad exercitium, Amplitudinem quandam denotat: Hanc Amplitudinem acquirit pia anima, recedendo à malo, ac Deo adhærendo. Libertas igitur moralis ac pietas intimam habent connexionem; immo eandem originem, progressum, & consummationem

Psal. 119. 45.

nem. Pietas autem nihil aliud est, quàm legis Dei tum moralis, tum positivæ observantia. Unde necessariò sequitur, illum solum verâ Amplitudine ac Libertate gaudere, qui indesinenter ambulat in Legis Divinæ via regia ac latissima. Libertas quoad statum, importat optimam animi Dispositionem: ac unde hæc, nisi à legis Divinæ observantia? Libertas quoad exercitium, est accommodatè ad illam dispositionem operari: Et quis operatur meliùs, quam qui Dei Leges observat? Deo servire est regnare: sed qui Divinæ legis observantiam rejicit, seipsum tyrannum patitur, quod summæ servitutis nota est.

10. Verbum Dei est Lumen *Consolans & Satians.* In verbo Christi Evangelico latent omnes deliciæ Paradisi: Hinc *David* verbi Dei suavitates multùm effert. Sic Psal. 119. 70. *Obesatur quasi adipe cor eorum: At ego lege tuâ oblecto me.* Psal. 119 70, 77. Quasi dixerat: Illi falsâ voluptate, veluti adipe obstructis sensibus, afficiuntur: mihi vero lex tua, Gratiæ tuæ suavitate perfusa, summis est in deliciis. Idem v. 77. *Obveniant mihi misericordiæ tuæ ut vivam: quia lex tua est omnis oblectatio mea*, i. e. non aliâ de causa cupio vivere, quàm ut in lege tua semper me oblectem. Ita v. 103. *Quàm suavia sunt palato meo judicia sermonis tui! suaviora melle ori meo.* Idem sponsa, Cant. 2. 3. *Nam fructus* Cant. 2. 3.

ejus dulcis eſt palato meo. Ambroſius: ‘Per ‘*fructum*, inquit, *ſponſi ſermonem* ſeu E‘vangelium ſignificari putant. Et quidem ‘fructûs nomine ſermonem explicari, ‘apud Hebræos frequens. Item Cant. 5. 12. *Labia ejus liliis ſtillantia myrrhinum liquidum.* Hæc verba notant ſuavitates Evangelii Chriſti in corda fidelium infuſas. Legimus etiam *Rom.* 15. 4. de ſcripturarum conſolationibus: Et 2 *Cor.* 2 Cor. 2. 16. 2. 16. Evangelium dicitur *Odor vitæ ad vitam.* Sicut odores quidam tam ſuavem halitum ſpirant, ut animo defectos velut in vitam reſtituant; eodem modo Evangelium ſuavem quendam odorem ſpirat in animos fidelium; immo non ſolùm ſuavitatem ſed & ſatisfactionem infundit. Ita Pſal. 36. 9. *Uberrimè explebun-* Pſa. 36. 9. *tur pinguedine domûs tuæ, &c.* Domus Dei Eccleſiam metaphoricè ſignificat, in qua Deus habitat, & quam verbo ſuo regit, paſcit, & ſatiat. ירוין *inebriabuntur*, i. e. uberrimè & ad ſaturitatem explebuntur: A רוה *inebriatus fuit*, *ſatur fuit* liquore, ſicut שבע cibo. Sequitur מדשן *à pinguedine domûs tuæ*, i. e. deliciis, quæ hîc per guſium quidem percipiuntur; magnâ tamen cum ſuavitate; unde addit: *Et torrente*, ערנין, *deliciarum tuarum.* Radix ערן *omne genus deliciarum* ac voluptatis denotat. Unde Paradiſus nomine ערן *Eden* deſignatur. Vox etiam *torrente* non caret ſuâ Emphaſi: notat enim, juxta Kimhi, *Copiam*; & juxta Ezram,

Ezram, *perpetuitatem*, qui נחל non pro *torrente*, ſed *flumine*, cujus aquæ perennes ſunt, accipit. Quodlibet ſanè vocabulum eſt valde emphaticum, & maximam ſatietatem, quæ ex Dei, in Eccleſia ſua, Inſtitutis oritur, denotat. Aliqui per *pinguedinem* & *voluptatem Domûs Dei*, Viſionem Dei claram in cœlis intelligunt: ſed prior ſenſus haud mihi excludendus videtur: Domus enim Dei adplurimum, de ſtatu Eccleſiæ militantis intelligitur. Eadem ferè phraſeologia invenitur, Pſal. 63. 6. *Quaſi adipe & pinguedine ſaturabitur anima mea.* Loquitur de viſione Dei in ſanctuario, utì v. 3. ex qua ſatietas hæc oritur. Senſus eſt, quum ad Arcam redibo, & ſymbolis gloriosæ tuæ præſentiæ, nempe lege, & teſtimoniis tuis fruar, ſummâ voluptate perfundetur animus meus. *Adipe & pinguedine*: Duæ ſunt notiones ſynonymæ ad majorem Emphaſin: pinguis cibus palato gratior eſt, & dulcior. Verbi Divini lumen conſolans pulcherrimè depingitur, Pſal. 46. 5. *Flumen, rivi ejus lætificant civitatem Dei.* Alludere videtur ad innoxios & fluentes *Geonis* rivulos; quos opponit æſtuantis maris fluctibus ſuperbis, v. 4. *Geon*, ſeu alio nomine *Siloe*, exiguus erat fluvius, qui urbem *Hieroſolyma* perfluebat, hortoſque hinc inde pari voluptate, ac utilitate irrigabat. Interea, inquit, dum fluctus maris horribili cum boatu ac æſtibus circumſonant;

Pſal. 63. 6.

Pſal. 46. 5.

Civitas Dei lenibus *Geonis* rivulis recreata conquiescit. Sicut per concitati maris æstus ingentem vim hostium tacitè designat; sic per *Geonis* rivulos, Christi Spiritum ac Instituta tum Legalia, tum Evangelica, Ecclesiam Hierosolymitanam ac inde Christianam irrigantia ac recreantia. Fluentes *Geonis* rivuli eodem modo describuntur *Esa.* 8. 6. Uti Mus. Breviter; Evangelium Christi Gratiæ Divinæ suavitatibus perfusum, sitim famémque animæ satiat; tantámque saturitatem post se relinquit, ut anima, quæ de eodem gustat, nunquam iterum sitiat, uti *Joan.* 6. 35. i. e. siti *totalis indigentiæ*; etsi maneat sitis fruitionis.

11. Verbum Dei est *Lumen Nutritivum. Plato* dicit, quod *Veritas est*, ζωὴ καὶ τροφὴ, *vita ac pabulum animi*: Hoc verissimum est de verbo Dei Spiritu S. animato. Hinc ab *Athanasio* nuncupatur, τροφὴ ψυχῆς *cibus animæ*. Ut in sacramentis, ita in verbo Dei fideliter annunciato & applicato, caro & sanguis Christi animæ fideli exhibetur. Mens pia inimam sanè communionem cum Christo in verbo suo habet; quo ad vitam æternam
1 Pet. 2. 2. enutritur. Ita 1 Pet. 2. 2. *Ut modò geniti infantes, hoc illud sermonis sincerum expetite, ut per illud augescatis.* Illud, quo, tanquam lacte, nutritur nova creatura, est *sermo ille vitæ*, qui simili ratione *Cibus, Panis, Potus, Mel, &c.* sæpius nominatur.

ἄδολον

ἄδολον Lac dicitur, ut verum ab adulterino distinguatur. Translatio videtur esse sumta ab infantibus recenter natis, qui, ut ex substantia lactea generantur, ita ex eadem nutriuntur: secundùm axioma illud philosophicum, *ex iis nutrimur ex quibus constamus*: Pari ratione ad Regenerationis Incrementum, ex eodem sermone Dei nutrimur, ex quo nati fuimus, uti 1 Pet. 1. 23. *Regeniti, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili,* (i. e.) *per sermonem Dei vivi.* Lac, secundùm medicum, omnes Intentiones adimplet. (1) Abstergit serosâ suâ parte. (2) Conglutinat caseosâ. (3) Corpus nutrit & reficit butyrosâ. Lac etiam refrigerat, humectat, multùm nutrit, & facilè distribuitur. Emphaticè igitur verbum Dei, ratione ejus nutritivæ efficaciæ, lacti comparatur. Eadem Intentiones adimplet sermo Evangelicus, ad novæ creaturæ nutritionem. Porrò, verbum Dei, ratione Virtutis sæ Nutritivæ assimilatur *pluviæ*, quæ nutrimentum præbet plantis. Sic Deut. 32 2. *Stillet tanquam pluvia Disciplina mea, fluat tanquam ros sermo meus; ut tenues pluviæ super teneram herbam, & sicut imbres super adultam herbam. Stillet*, sive *stillabit*. Tam *Promissum*, quam *Præceptum* denotat. Quibus innuit Dominus, Doctrinam suam, tanquam pluviam, instillare animis discentium, eósque imbuere, ac erudire. Deut. 32. 2.

Idem copiosiùs, Joel. 2. 23. *Quia dedit* Joel. 2. 23.

vobis pluviam ad juſtitiam. המורה *pluvia*, à ירה *jecit*, *projecit*: Inde metaphoricè *rigavit*; quando ad pluviam transfertur, quæ ex cœlo decidens in terram, eam ſerit, rigat, & fœcundat. Unde etiam תורה *doctrina*; quæ, pluviæ inſtar, animis inſtillatur, eóſque fœcundat. Hinc ſequitur: *ad juſtitiam*, i. e. ad juſtitiam ingenerandam, nutriendam, promovendam, ac conſervandam. Inde ſequitur: *& demiſit vobis imbrem, pluviam matutinam, & ſerotinam. Pluvia matutina*, ſeu *imber Autumnalis*, decidit *Octobri*, (Hebræis *Marheſvan*, qui ferè principium anni fuit illis) ad neceſſitatem *Sationis*: pluvia autem *Serotina*, initio *Martii*, (Hebræis *Niſan*) ad neceſſitatem *maturationis* frugum. Unde patet, verbum Dei neceſſarium eſſe ad omnem juſtitiam, non tantùm ingenerandam, ſed & nutriendam. Idem Oſeæ 6. 3. *Sicut pluvia ſerotina, & temporanea, ſive matutina.*

12. Verbum Dei eſt Lumen *fructiferum* ac *fructificans*. Hinc oleo olivæ comparatur, Exod. 27. 20. *Vt afferant ad te oleum olivæ purum, tuſum pro luminari, ad accendendum lucernas ſingulas quotidie.* Oliva ſemper viridis eſt, ſemperque floret fructibus pulcherrimis, ex quibus oleum fit; fuítque inter omnes gentes pacis ſymbolum: quare non malè fit Evangelii ſymbolum. Oleo, inquiunt Phyſici, ineſt non tam lentor, quàm pinguedo:

Exod. 27. 20.

guedo: pingue autem quod est, plus habet aeris quam terræ: unde fit ut oliva optimis fructibus abundet, ex quibus expressis fit oleum, quod luminis ac Gratiæ Dei Imago est. Vis verbi fructificans bene exprimitur, Deut. 32. 2. *Stillet tanquam pluvia Doctrina mea; fluat tanquam Ros sermo meus, ut tenues pluviæ super teneram herbam, & sicut imbres super adultam herbam.* Promittit hîc Deus, quòd Doctrina sua stillaret tanquam pluvia, quæ terram fructiferam reddit: Item *tanquam ros*, qui suaviter & sensim in terram se insinuans multùm conducit ad ejus fertilitatem. Idem repetitur, *Esa.* 55. 10, 11. De vi verbi fructifera aliqui intelligunt, Cant. 1. 16. *Etiam sponda nostra est virens.* Per *sponsam*, sive lectum S. Scripturam intelligit *Theodoretus*, ubi sponsus præbet verbi semina. Iterum Cant. 7. 7. Sponsæ *ubera* comparantur *botris.* Per *ubera* verbum Dei intelligendum est, quod instar vitis fructiferæ multos edit fructus. Vis autem hæc Evangelii fructifera pleniùs exprimitur, Colos. 1. 5, 6. *Quam priùs audîstis per sermonem veritatis*, i. e. *Evangelii*: Quod *pervenit ad vos, sicut & in totum mundum, & fructum profert, &c.* καρποφορούμενον. Alludere videtur ad *Gen.* 1. 28. Idem dicitur de Evangelio, *Act.* 6. 7. & 19. 29.

Deut. 32. 2.

Cant. 7. 7.

SECT. VI.

De S. Scripturæ Lumine Conformativo, Transformativo, Directivo, & Perfectivo.

13. VErbum Dei eſt Lumen *Conformativum*: Hominem enim Chriſtianum Divinæ Voluntati conformat & ſubjicit. Ita Pſal. 45. 6. *Sagittis tuis acutis infixis cordi inimicorum regis, populi ſub te conſidant.* Dictum eſt de prima hominum converſione, per verbi prædicationem; ſed par ratio eſt in tota novi hominis conformatione. Hæc vis verbi *conformativa* fuſiùs explicatur, 2 Cor. 10. 4, &c. *Arma enim militiæ noſtræ non carnalia ſunt.* Hæc uſque ad finem commatis parenthetica eſſe ſupponuntur. στρατεία notat Apoſtoli miniſterium; & ſic reſpondet Hebraico נצב, quod aliquando στρατεία, aliquando λειτουργία redditur: Hinc ὅπλα στρατείας, *arma militiæ* propriè ſignificant Evangelii arma; de quibus aſſerit, quòd non ſint σαρκικὰ, *carnalia*, i.e. talia quæ humanæ Autoritati innituntur, & carnali rationi arrident; qualia fuere Pſeudodoctorum Corinthiacorum Conciones Rhetoricæ. Ἀλλὰ δυνατὰ

Pſal. 45. 5.

2 Cor. 10. 4, 5.

κατὰ τῷ Θεῷ. *Divinitus potentia.* τῷ Θεῷ, hîc non eſt dativus, ſed caſus ſextus cauſam notans: *potentia per Deum*, vel, σὺν Θεῷ, ut alibi, i. e. Infinitâ Dei potentiâ concurrente. Inde ſequuntur effecta Evangelii, σὼ Θεῷ, potentiſſimi: πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων. Reſpicere videtur hiſtoriam *Joſuæ*, qui ad buccinæ ſonum, σὼ Θεῷ, dejecit Jerichuntis muros. Solent homines manibus fidere, *Jer.* 48. 7. quare id, cui quis confidit, tranſlativè dicitur ὀχύρωμα, *Prov.* 21. 22. Talis erat *Corinthiaca* ſapientia & eloquentia. Allegoriam fuſiùs enucleat *Paulus*, commate 5. λογισμὸς καθαιρέσεις, καὶ πᾶν ὕψωμα. ὕψωμα idem eſt quod ὀχύρωμα, turris & pinnæ murorum: iis comparat *ratiocinationes* & *contemplationes* philoſophorum, quæ Evangelio opponebantur, utì *Grotius*. Tantam vim habent Arma Evangelii potentiſſima, σὼ Θεῷ, ad totam animam Divinæ voluntati ſubjiciendam & conformandam.

14. Evangelii Lumen non ſolùm *Conformativum*, ſed & *Transformativum* eſt. Lex qualem qualem *Conformationem*, ſed Evangelium *Transformationem* animæ operatur. Ita Rom. 6. 17. *Sed ex corde auſcultâſtis ei formæ Doctrinæ, in quam eſtis traditi.* (1) Τύπον διδαχῆς, τύπος originem ſuam trahit à τύπτω, *verbero, percutio, tundo.* Notione generali deſignat *veſtigium*, & *notam*, quam impreſſit τὸ τύ-

Rom. 6. 17.

ἐν, utì Joan. 20. 25. τύπος ἥλων *vestigium clavorum.* In ſpecie denotat, παράδειγμα, ſive *exemplar*, quod certis actionibus imitamur: Notat etiam *Imaginem*, *effigiem*, *ſimulachrum*, idque vel *pictum*, vel *fictum*, vel *ſculptum*, vel quâvis aliâ imitatione expreſſum. *Adamus* habuit ImaginemDivinæ ſanctitatis cordi ſuo vivis coloribus impreſſam: ſed illa Imago eſt nunc non ſolùm conſpurcata, ſed obliterata: Immo cor humanum irregenitum Imaginem Satanæ ſibi naturaliter impreſſam habet. Quare Chriſtus nobis communicavit verbum ſuum, tanquam *typum*, ſive *formam*, in quam cor humanum contritum & liquefactum traditur; & ſic per eandem transformatur, in Imaginem Dei. Nam ſicut *Typus* in ſe continet exactam imaginem rei cujus eſt Typus; & metalla liquefacta & injecta in eandem transformantur; ita *verbum Dei* eſt imago *verbalis*, ſive *notionalis*, Divinæ ſanctitatis, in quam cor transformatur. Verbum Dei hîc notat Evangelii doctrinam, quâ Deus formam & exemplar obedientiæ Evangelicæ nobis præſcripſit; nimirum ut Evangelio credamus, & eodem dignè vivamus. τύπος enim hîc ſignificat *Formam* ſive *Exemplar*, quod imitamur. (2) Notatu dignum eſt, Relativum ὃν Antecedens in ſuum caſum pertrahere, & id ſibi ſubjunctum habere; pro *obediſtis ei Typo.* (3) Maximè emphaticum eſt genus hoc loquendi,

loquendi, εἰς ὃν παρεδόθητε : Ita enim designat, Evangelii doctrinam instar typi cujusdam esse, cui veluti immittamur, ut in ejus figuram transformemur. Sicut enim metalla liquefacta in typum aliquem injecta, pristinam formam deponunt, & formam typi accuratè assumunt: Ita fideles, in Evangelicæ Doctrinæ typum per Spiritûs S. operationem traditi, veterem formam carnalem deponunt, & in Christi formam, Evangelicâ doctrinâ expressam, transformantur. Deinde sequitur: (4) ἐν καρδίαις, i. e. non datur tantùm externa *conformatio*, sed & interna cordis transformatio, sive *universalis* &, ut in Scholis loquuntur, *specifica transmutatio*, totius Animæ in Divinæ sanctitatis imaginem glorioſam. Vis hæc Evangelii transformativa bene sub notione *seminis* exprimitur, 1 Cor. 4. 5. *In Christo enim Jesu, per Evangelium ego vos genui.* 1 Cor 4. 5. Observant Philosophi, causam Assimilationis filii ad patrem, non esse materiam seminis, sed *formativam virtutem* in semine, causatam ex operatione virtutis formativæ patris: Eodem modo Assimilatio fidelis ad patrem cœlestem, oritur ex formativa virtute in semine Evangelii, à Spiritu S. informati & animati. Nam, uti semen vim habet παλιγγενεσίας, sive efformativam, sic & Evangelium Christi. Idem 1 *Pet.* 1. 23. & 2 *Pet.* 1. 4. Denique Evangelium, 2 *Cor.* 3. 18. comparatur speculo cuidam *vivifico* 2 Cor. 3. 18.

fico & transformativo, quod vim habet transformandi ſpectatores in eandem formam quam repræſentat: Hoc enim μεταμορφόμεθα notat, nimirum non ſolùm *Conformationem*, ſed & *Transformationem* fidelis animi in glorioſam Dei imaginem, à Chriſti facie, in Evangelii ſpeculum reflexam. Speculum præter lucem & colorem etiam expreſſam imaginem in ſe habet. Immo *Imago in ſpeculo quodammodo eſt forma ſpeculi.* Εἰκόνα vocant Græci non quamvis picturam, ſed quæ ſit *vivi* inſtar: unde *Iconici pictores*, qui vivis quaſi coloribus depingunt. Sic in Scholis, *Imago* definitur *Repræſentatio cauſæ quantùm ad ſimilitudinem formæ*, non ſolùm *cauſalitatis*, quod pertinet ad veſtigium. Primaria Dei Imago in *Chriſti facie* tanquam in ſpeculo reſplendet, ut 2 *Cor* 4. 4, 6. Illic enim Deus ſeipſum perſpicuè conſpiciendum præbet. Sed verbum Evangelicum eſt *ſpeculum ſecundarium.* Chriſtus eſt Divinitatis ſpeculum *eſſentiale*, quippe in eo habitat *plenitudo Deitatis*, Col. 2. 9. σωματικῶς, *corporaliter*, i. e. *eſſentialiter*, & *perſonaliter*, non *typicè* aut *accidentaliter.* Sed verbum Dei eſt ſpeculum *notionale*, à Chriſti facie reflexum, mediante quo, fideles glorioſam Dei imaginem contemplantur, ac in eandem *transformantur.* Denique verbi vis transformativa bene illuſtratur, Jac. 1. 21. *inſitum illum ſermonem.* ἔμφυτον. (1) Ut ramulus *inſi-*

Jac. 1. 21.

tivus

titius in se continet vitam ac virtutes arboris à qua abscinditur; sic verbum Dei virtutes Christi. (2) Ramulus *insititius* naturalis redditur arbori, cui inseritur, inde ἔμφυτος dicitur: sic verbum Dei cordi fideli cui inseritur. (3) Ramusculus *insititius* arborem cui inseritur in suiipsius similitudinem transmutat: habet enim vim πλαστικὴν, & efformativam: Ita verbum Dei cor cui inseritur in suiipsius, Deique similitudinem transformat.

15. Evangelicæ Doctrinæ lumen est *Directivum*: non solùm animum transformat, sed & vitam componit, viasque dirigit. Vult *Plato* Rhetoricam esse ψυχαγωγίαν, i. e. *suavem animæ ductum*: Talis ψυχαγωγία Evangelio optimè convenit. Ita *Davidi* Dei verbum Dux fuit; unde precatur, Psal. 43. 3. *Mitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipsæ deducant me.* i. e. Fœderis tui documenta exhibe; vel lumen verbi tui directivum, quod est ipsa veritas. Ita Psal. 119. 19. *Peregrinante me in hac terra, ne abscondas à me præcepta tua.* i. e. Advena sum; ideóque facilè mihi est viarum ignaro, deviare, nisi tu mihi præceptis tuis præeas. Idem v. 21. *Et viri consilii mei*, i. e. Testimonia tua mihi sunt pro consiliariis in rebus dubiis & difficilibus. Item v. 99. *Omnibus Doctoribus meis intelligentior fio; quia testimonia tua meditatio mea.* Et v. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum est, & lux itineri* Psal. 43. 3. Psa. 119. 19.

itineri meo. David ſæpiùs nocte tentationis aberrâſſet, niſi verbum Dei pedibus ſuis lucerna fuiſſet. Inde petit ſponſa, Cant. 1. 7. *Indica mihi ubinam paſcas, &c.* Quia à virtutis via plura ſunt eáque valde periculoſa ad vitia diverticula, precatur ſponſa ſponſum verbi ſui ductu ſibi oſtendere quâ viâ ad gregem Eccleſiæ primò militantis, dein triumphantis rectà & ſine errore perveniat. Hoc verbi lumen directivum promittit Chriſtus, Eſa. 2. 3. *Aſcendamus in montem Jehovæ——ut doceat nos de viis ſuis, & ambulemus in itineribus ejus. Ut doceat nos*, nimirum lumine verbi ſui à Spiritu S. illuminati.

Cant. 1. 7.

16. Denique verbum Dei eſt lumen *perfectivum*. Tota vitæ Chriſtianæ perfectio à verbo Dei, Spiritu S. inſpirato, ortum ſuum habet. Ita Eph. 4. 11. *Is igitur dedit alios Apoſtolos*, &c. 12. πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων. Eccleſia conſiderari poteſt, vel ut Reſpublica ſacra, vel ut Templum ſpirituale, vel ut corpus myſticum; & omnibus hiſce reſpectibus verbi miniſterium ad ejus perfectionem magnopere conducit, uti v. 15, 16. Idem pleniùs, 2 *Tim.* 3. 16. Tota Scriptura, &c. 17. *Ut perfectus ſit homo Dei, &c.* ἄρτιος, *perfectus*. Alluſio videtur eſſe ad Hebræorum doctores, qui תמים *perfecti* nominabantur. Ille eſt *Homo Dei*, ſive *miniſter*, aut, (utì loqui amant in Scholis)

Scholis) *Theologiæ Doctor perfectus*, qui in sacris scripturis optimè versatus ac instructus est. Ex variis hisce verbi Dei effectis ejus Perfectio abunde demonstratur.

CAP. X.

Corollaria ex S. Scripturæ Definitione & Explicatione deducta.

SECT. I.

Verbum Dei est præstantissimum, medium salutis, omnisque sapientiæ fons.

S. Scripturæ Definitione fusiùs discussâ, *Corollaria* quædam inde pullulantia sunt deducenda.

1. Corol. *Deus verbum suum magnificavit supra omnes alias suiipsius manifestationes.* Deus multùm Nominis sui manifestavit

festavit in *Libro Naturæ*, nempe in operibus suis; sed quantò plus in *Libro Gratiæ*, nimirum in verbo suo, de seipso revelavit? Ita
Psal. 138. 2. Psal. 138. 2. *Celebrabo nomen tuum propter benignitatem tuam; nam magnificâsti verbum tuum supra omne nomen tuum.* על כל־שמך אמרתך. Per *Nomen Dei* primo loco intelligi potest Dei Manifestatio per verbum suum; secundo autem loco per *Nomen Dei*, suiipsius manifestatio per creaturas intelligi videtur. Et sic sensus erit talis: *Celebrabo nomen tuum propter benignitatem tuam*, i. e. benignitatem tuam per verbum tuum manifestam & revelatam. Inde sequitur: *Nam magnificâsti verbum tuum supra omne nomen tuum*, i. e. magnificâsti gratiosam benignitatis tuæ per verbum tuum manifestationem, supra omnes alias tuiipsius manifestationes per opera tua. Idem
Psal. 19. 8. declarari videtur, *Psal.* 19. Ubi usque ad Comma 8. de manifestatione Dei per opera creationis tractat Psaltes: sed Commate 8. & sequentibus de clariori ac perfectiori Dei in verbo suo Revelatione
Psal. 50. 2. agit. Ita Psal 50. 2. *E Sione, perfectissimæ pulchritudinis loco, Deus illucescit.* Dixerat v. 1. *Deus Jehova eloquitur & inclamat terram, ab ortu solis usque ad occasum ejus*, i. e. Deus per Providentiæ suæ vocem multùm eloquitur & docet, de Bonitate sua generali. At sequitur v. 2. *E Sione*, i. e. *Regiâ suâ*, nempe Ecclesiâ, ubi habitat. *Perfectissimæ perfectionis*]

מבלל

מכלל *è perfectione pulchritudinis*, vel *universitate Decoris*, i. e. absolutè decorâ, à כלל *totum perfecit*. *Deus illuxerit* הופיע *splenduit*, h. e. verbo suo, tum Legali tum Evangelico; quod maximum splendorem & majestatem præ se fert. *Targ.* ויתגלי *revelabitur*, LXX. ἐμφανὴς ἔξει *manifestè veniet*. Sensus videtur esse talis: Aliquid majestatis Dei revelatur operibus creationis & providentiæ: sed summa ejus majestas, non nisi *è Sione*, Regiâ suâ, in Doctrina sua, tam Legali quàm Evangelica, illucescit. Immo tanta est verbi Dei Dignitas, ut Angelicæ Legationi ab ipsis Angelis præferatur. Ita Act. 10. 5. *Nunc igitur mitte aliquos Joppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus.* Act. 10. 5. Angelus hîc admonet *Cornelium*, ut mitteret aliquem *Joppen*, ad accersendum *Simonem Petrum*: Unde concludit *Grotius*: 'Major erat Legatio Apostolica quàm 'Angelica: Angelus Apostolum monstrat: Apostolus Christum: Tantum 'honorem testibus suis habuit Christus. Biblia S. ob suam præstantiam dicta fuere ab Hebræis, מקדשיה, *Sanctuarium Domini*. Etsi verò non constet, quo primùm tempore Biblia S. hoc nomine vestita fuerint, haud dubitandum tamen est, quin Veteres Hebræi hoc nomine S. Scripturam appellare consueverint, ut majorem ejus ubique excitarent reverentiam, simulque insinuarent summum, qui Bibliis S. debeatur, honorem, uti *Hottingerus*,

rus, & *Glassius.* Ita *Lyranus* in Psal. 73.
Psal. 73. 17. *Donec ingressus essem in sanctuarium Dei fortis. In sanctuarium*, i. e. inquit, *ad intellectum S. Scripturæ divinitus revelatæ: Quam vocant sanctuarium, eò quòd Deus in illa loquitur, sicut in sanctuario divinitus responsa dabantur.* Scripturæ etiam דבר יהוה λόγια θεοῦ, *Rom.* 3. 2. nuncupantur. Optimè *August.* in Psal. 96. *Quid est Scriptura sacra, nisi quædam Epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam, in qua verba Dei sonant, & cor Dei discitur?* S. Scriptura est τροφὴ ψυχῆς, *cibus animæ*, ut *Athanasius.* Et *communis medica animarum officina*, ut *Basil.* Magna loquitur *Lutherus* de verbo Dei: ‘Unus, ‘inquit, Apex verbi major est cœlo ac ‘terra. Item: Certum habeamus ac ‘firmiter positum, animam posse omnibus ‘rebus carere, excepto verbo Dei; sine ‘quo nullis prorsus rebus est illi consul- ‘tum. Habens autem verbum dives est ‘nullius egens. Iterum: Inter omnia ‘dona, donum verbi est amplissimum: si ‘enim hoc auferas, solem è mundo sustu- ‘listi. Quid enim erit mundus, sublato ‘verbo, quàm infernus & merum Satanæ ‘imperium? Denique, verbum itaque est, ‘ut sic dicam, *Genus generalissimum omni- ‘um donorum*, siquidem omnia bona con- ‘servat. ‘Sed Doctrina nostra, (inquit ‘*Calvinus* ad Regem *Gall.*) supra omnem ‘mundi Gloriam sublimis; supra omnem ‘potestatem invicta est; quia non no- ‘stra

'stra est, sed Dei viventis, ac Christi 'ejus. Hinc

2. Corol. *Verbum Dei est medium salutis efficacissimum.* Verbi Divini efficacitas particulatim explicata fuit capite præcedente: eadem generatim demonstrari potest è verbis Domini nostri, Luc. 16.31. *Si Mosem & Prophetas non audiunt, nè si quidem quispiam ex mortuis resurgat, persuadebuntur. Si Mosen & Prophetas non audiunt.* Primum, quòd hîc notatu dignum occurrit, est hoc, quòd Dei ministri jamdudum mortui, considerantur ut vivi adhuc, & in Ecclesia loquentes, i. e. utcunque homines ipsi mortui sint, verbum tamen Dei per ipsos annunciatum semper vivit, sive permanet, ut Fidei & Morum regula perfectissima, & Instrumentum efficacissimum. Secundò notat Dominus, vanum ac frivolum esse, expectare media salutis efficaciora & magis convictiva, quàm Dei verbum. Præponit Christus S. Scripturas omnibus tum miraculis, tum aliis mediis, quibus nititur mens superstitiosa, ad fidem acquirendam. *Simplicius* de *Epicteti* Philosophia ita loquitur, Πολὺ δὲ τὸ δραστήριον καὶ κινητικὸν ἔχουσιν οἱ λόγοι (scil. *Epicteti*) ὡς τοὺς μὴ πάνυ νενεκρωμένους νύττεσθαι ἐξ αὐτῶν καὶ συναισθάνεσθαι τῶν οἰκείων παθῶν, καὶ πρὸς διόρθωσιν αὐτῶν ἐπεγείρεσθαι. *Genus orationis est nervosum & acre, ut qui omnino mortui non sunt, eo, veluti stimulo quodam,*

Luk. 16.31.

quodam, pungantur, & suas affectiones tum intelligant, tum ad eas corrigendas excitentur. Talis efficacitas efformativa verbo Dei propria est. *Quorundam*, (inquit, Seneca) *scripta clarum habent tantùm nomen; cætera exanguia sunt: non faciunt animum, quia non habent.* Hoc verum est de omnibus scriptis, præter verbum Dei; quod animum vulnerat magis quàm vpera, uti loquitur *Plato*, de *Socratis* philosophia. Immo tanta est efficacia hujus doctrinæ S. ut etiam invitis arrideat: Et quanta est eloquentia illa, quæ invitis placeat? Nonne verbum Dei est organum, quo spiritûs sui illuminationem fidelibus Dominus dispensat? Verum est, externis mediis haud alligatam esse Dei Gratiam, nos tamen ordinario docendi modo alligavit, quem qui rejicirnt, multis se exitialibus laqueis involvunt, uti notat *Calvinus*. Ita *Lutherus*: ‘Populus Dei aliunde non vivit, pascitur, ‘servatur, quàm verbo Dei. Florente ‘verbo Dei omnia florent in Ecclesia. ‘Verbum, tanquam fœcunda fluvia, nunquam ‘sine fructu docetur. Iterum: ‘Non ludus aut jocus est audire verbum: ‘cum enim animum tangit, est sicut fulmen.

3. Corol. *Scriptura S. fons est omnis notitiæ Divinæ, & adplurimum humanæ ac philosophicæ.* Maximam partem philosophiæ ac mythologiæ Gentilis à sacris literis

teris traductam fuiſſe, ampliùs demonſtratum fuit in *Atrio Gentilium*. Hoc olim bene notatum fuit à *Tertulliano*, Apol. c. 45. *Omnia*, inquit, *adverſus veritatem, de ipſa veritate conſtructa ſunt, operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris.* Idem fuſiùs demonſtrat c. 47. *Quis Poetarum, quis Sophiſtarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? &c.* Ita *Grot.* de Verit. Relig. *Accedit indubitata ſcriptorum* Moſis *Antiquitas, cui nullum aliud ſcriptum poſſit contendere: cujus argumentum & hoc eſt, quòd Græci, unde omnis ad alias Gentes fluxit eruditio, literas ſe aliunde accepiſſe fatentur —— ſicut & antiquiſſimæ leges Atticæ, unde & Romanæ poſtea deſumtæ ſunt, ex legibus* Moſis *originem ducunt.* Omnem autem notitiam Divinam à S. Scriptura ortum ſuum habere, extra dubium ponitur. Ita Eſa. 8 20. *Ad legem & ad teſtimonium; ſi non loquuntur ſecundùm hoc verbum, nulla eſt in eis* שחר *aurora, vel ſcintilla lucis.* Sic Jer. 8. 9. *Ecce verbum Jehovæ ſpernunt, & cujus rei ſapientia ineſt eis?* Interrogatio hæc rhetorica negationem logicam eamque firmiſſimam præ ſe fert: quaſi dixerat, ne minima quidem divina ſapientia ineſt eis, qui verbum Jehovæ ſpernunt. Unde ſequitur

4. Corol. *Bonus Textuarius eſt bonus Theologus.* Ita *David*, Pſal. 119. 98. *Inimicis meis ſapientiorem me reddidiſti præceptis* Pſal. 119 98, 99, 100.

ceptis tuis: nam ſemper mihi adſunt. Davidis inimici politici fuerunt admodum aſtuti: ipſis tamen multò ſapientiorem verbum Dei eum reddidit. Immo ſequitur, v. 99. *Omnibus Doctoribus meis intelligentior fio; quia teſtimonia tua meditatio mea ſunt. David* palàm redarguit Doctores ſuos, qui S. Scripturæ ſtudium negligentes, aliis ſtudiis vel rebus mundanis operam darent; aſſerítque ſe ex diuturna ſcripturæ ſolius lectione & meditatione doctiorem illis, omnibus evaſiſſe. Immo addit v. 100. *Senibus prudentior ſum; quia mandata tua cuſtodio. Senibus*, quibus alioqui major eſt experientia, ideóque major prudentia: *David* autem ex ſtudio & obſervatione mandatorum Dei his omnibus prudentior evaſit. Oſtendit hic verſus, inquit *Muis*, quod dicebat *Elihu*, Job. 32. 7, 8, 9. *Dicebam provecti ætate loquentur; & annoſi notam facient ſapientiam. Profectò, ſpiritus ille in mortali; & afflatus omnipotentis efficit eos intelligentes. Magni non ſemper ſapiunt, nec ſenes intelligunt judicium.* Ex S. Scripturæ ſtudio ac meditatione optimè inſtructos eſſe Theologos, teſtatur *Paulus*, 2 Tim. 3. 15. *Teque à puero ſacras literas noviſſe.* Mos erat, & nunc eſt quoque *Judæorum*, à prima ætate, quæ literarum capax eſt, Sacram Scripturam legendam dare pueris: ita & *Timotheo*: & rationem addit *Paulus*, *Quæ te poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem*: σοφίσαι Hebræis eſt החכים *inſtruere.*

2 Tim. 3. 15, 16.

instruere. *Timotheus* à pueritia optimè instructus fuit Scripturis; & inde inter Theologos non minimus evasit. Sequitur autem v. 16. *Tota Scriptura divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam quæ est in justitia.* *Utilis*, i. e. ad hunc usum comparata, ut Theologus perfectè instrueretur ad suum munus. Ita enim sequitur, *ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* *Homo Dei*, *Hebraismus* est: Respondet enim Hebr. איש האלהים, quo Charactere frequentiùs insignitur Propheta *Hebraicus*, quatenus voluntatis Dei Interpres est. Eâdem compellatione insignitur *Timotheus*, 1 Tim. 6. 11. *ut Dei Propheta.* Hoc igitur Sacræ Scripturæ munus, & dignitas proprie ad Theologos pertinet; quos asserit *Paulus*, perfectam in illa Theologiam inventuros: Ita enim varia illa nomina, *Doctrinæ*, *Redargutionis*, *Correctionis*, & *Institutionis* denotant: Quorum duo priora ad *Dogmata*, duo posteriora ad *Mores* spectare, vult *Beza*; ut perfecta, & omnibus numeris absoluta, sit ista Theologiæ, S. Scripturâ comprehensæ, descriptio: ἄρτιος enim hîc valet idem quod τέλειος, i. e. qui omnibus partibus vel numeris absolutus est; ita ut nihil desit, nihilque redundet: sumtâ nimirum translatione à *numero*, quem τέλειον nominant Geometræ, qui πᾶς ἑαυτῷ μέρεσιν ἴσος ἐστίν. Nam ἄρτιος ἀριθμός, *numerus*

numerus par dicitur, is nempe, qui in duas tantùm æquales partes dividi potest. Ita ἄρτιος ἀνθρωπος hîc pro πλήρης usurpatur: verti posset *integer, integrè concinnatus.* Inde ἀρτίζω *concinno*; & fine hujus commatis ἐξηρτισμένος, *perfectè instructus.* Sensus, breviter, est talis: Sacram Scripturam perfectissimam Theologiæ Ideam tradere; ut *Dei homo*, sive Theologus, in eadem versatus, *integer* fiat, & ad muneris sui omne opus bonum perfectè instructus. ‘Est, inquit ‘*Lutherus*, *verbum Dei*, talis Thesaurus, ‘qui tractando crescit, & distribuendo; ‘servando autem perit: Oportet ut sit ‘in assiduo usu. Quò enim magis docetur, auditur, discitur; eò magis & clariùs intelligitur. Et alibi: Sum quidem Doctor, & fatentur multi, se à me ‘non mediocriter adjutos in sacris literis. Sed hoc mihi sæpe usu venit, ut ‘sentirem me adjuvari & erigi uno verbo fratris, qui se mihi nullo modo putabat parem esse. Ingens enim pondus ‘est in verbo fratris, quod tempore periculi ex scriptura pronunciatur. Habet ‘enim scriptura inseparabilem comitem ‘Spiritum S. qui corda variè movet, & ‘erigit per verba. *Scriptura est fluvius in quo Agnus peditat, & Elephas natat*, ait *Gregorius.* Ex quibus satis liquet, optimum Theologum illum esse, qui maximè versatur in S. Scripturæ studio ac meditatione. Hinc

5. Corol.

5. Corol. *In rebus fidei, pietatis, aut cultûs Divini non debemus esse sapientiores S. Scripturâ.* Aristoteles, Rhet. l. 1. c. 16. hanc regulam, nostro Instituto optimè conspirantem, tradit: ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις ὁ λυσιτελεῖ φιλοσοφίζεσθαι παρὰ τὸ ἰατρόν· ὁ γὰρ τοιοῦτον βλάπτει ἡ ἁμαρτία τῷ ἰατρῷ, ὅσον τὸ ἐθίζεσθαι ἀπειθῶν τῷ ἄρχοντι. ᾧ ὅπερ τὸ τῶν νόμων σοφώτερον ζητεῖν εἶναι, τοῦτ' ἔστιν ὃ ἐν τοῖς ἐπαινουμένοις νόμοις ἀπαγορεύεται. *In aliis artibus non expedit, ab artis præceptis discedendo callidè quicquam excogitare: Veluti in sanitate acquirenda, contra præcepta medici: Quia non tantum nocet error medici, quantum si quis se assuefaciat ad non parendum ei, cujus est imperare: & quòd dare operam, ut sapientior sis quàm leges, illud sit quod in laudatis legibus prohibetur.* Quantam confirmationem præbet hoc nostræ *Thesi?* Si in artibus humanis non expediat, ab artis præceptis discedendo callidè quicquam excogitare, quantò minùs hoc licet in rebus fidei, pietatis & cultûs Divini; quæ supra omnem captum humanum longissimè transcendunt? Pulcherrimè *Lutherus*: 'Non cessandum est 'unquam à verbo, sed semper in usu, 'motu, volatu esse debet, ut Dominus 'ipse semper volare, moveréque in nobis 'fidem possit: qui etsi omnia per se possit, 'non tamen nisi ministerio verbi facere 'statuit, ut fidei locus sit, & nostræ in'firmitati consulatur, quæ ferre non po-

‘ teſt divina, niſi verbo involuta, quo
‘ veluti in utero ſuo nos portat, ut *Eſaias*
‘ 46. dicit. Iterum: Scriptura S. eſt
‘ verbum Dei: quod ſi Aſinus diceret,
‘ audiendum eſt præ omnibus Angelis,
‘ ſi verbum Dei non haberent, nedum præ
‘ Papa, &c. Apud *Davidem* ſanè nihil niſi S. Scriptura locum habuit. Ita Pſal. 119. 113. *Cogitationes alias odi, legem autem tuam diligo.* סעפים i. e. vanas & fraudulentas carnales prudentiæ ratiocinationes, ſpeculationes perverſas, ſubtilitates argutas; quæ verbi tui ſimplicitati ſunt contrariæ. Vox Hebraica variè ab Hebræis exponitur, Chaldæus exponit, *Qui cogitant cogitationes inanes*: Raſi, *cogitantes cogitationes malas*: *Kimhi* ſic interpretatus eſt: *omnes alias cogitationes odio habui, ſed legem tuam dilexi, omneſque meas cogitationes ad illam retuli.* Vult *David*, nihil apud ſe niſi S. Scripturam ſapientiæ nomen meruiſſe. Inde v. 118. *Conculcâſti omnes errantes à ſtatutis tuis: quia falſus eſt dolus eorum.* בי שקר תרמיתם i. e. artificia eorum doloſa, quibus nituntur, ſeipſos in fine fallent: vel ſic: eorum ſemitæ artificioſæ & doloſæ, tibi ſunt abominabiles; quia non ſecundùm legem tuam, ſed juxta carnalis prudentiæ ductum ſunt compoſitæ. Idem ferè v. 128. *Propterea omnia mandata tua, de omnibus recta agnoſco, & omnem ſemitam falſitatis odi. Semitam falſitatis*, i. e. omnem dolum

Pſal. 119. 113.

Pſal. 119. 118.

Pſal. 119. 128.

lum malum, sive prudentiam carnalem, secundùm quam politici suam vitam componunt. Tam procul ab omni sapientia mundana, quæ non sapit S. Scripturæ simplicitatem, remotum fuit cor *Davidis*. In rebus autem fidei nos non S. Scripturâ sapientiores esse debere vult *Paulus*, 1 Tim. 6. 20. *O Timothee*:] blanda & fraterna compellatio. τὴν παρακαταθήκην *custodi*:] per *depositum* intelligere videtur sacram doctrinam Evangelii. ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας] κενοφωνία idem quod in Glossario κενολογία *vaniloquium*. Theophil. ματαιολογία. Per *profana hæc vaniloquia*, Grotius intelligendas esse vult, illas γενεαλογίας *Gnosticorum*, de quibus suprà; quæ & *inanes* fuere, utpote nihil ad pietatem proficientes; & *profanæ*, quia non divinitus revelatæ. Idem βέβηλοι μύθοι, 4. 7. καὶ ἀντιθέσεις.] Græci ἀντιθέσεις interpretantur, ἀντιλογίας: sic & ipsi inter se pugnabant. τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.] 'Vides, inquit *Grotius*, quàm vetus no-'men *Gnosticorum*, quod isti Philosophi 'Christianis cœtibus se miscentes sibi in-'debant: spernebant præ se cæteros ut 'rudes: Falsò autem scientiæ laudem 'sibi vendicabant. Hîc videmus quantùm Christianis incumbat S. Scripturam sartam tectam conservare, nec ultra illam, in Divinis, sapientiam affectare.

1 Tim. 6. 20.

SECT. II.

Verbi annunciati ſimplicitas. S. Scripturæ aſſidua Lectio, Examinatio, & Retentio practica.

6. Corol. *Verbum Dei annunciatum quò ſimplicius, eò illuſtrius & efficacius eſt.* De verbi ſcripti ſimplicitate quoad formam ſive ſtylum, ſuprà c. 5. §. 2. p. 77. &c. egimus: unde hoc corollarium, de verbi *Annunciati ſimplicitate* pullulat. Dei enim verbum nativo ſuo ſplendore maximè gaudet: quando autem humanæ ſapientiæ admiſtione corrumpitur, ſuam lucem, ac efficacitatem magnopere perdit. Dignitas enim verbi Dei in ipſius humilitate & ſimplicitate multùm latet. Nec hoc ſine eximia Dei providentia factum eſt, ut ſublimia ſalutis noſtræ myſteria ſub contemtibili verborum humilitate bona ex parte traderentur; ne ſi humanæ ſapientiæ floſculis, aut apicibus Scholaſticis inſignita forent, cavillarentur malefani, illius vim in hiſce ſolùm latere. ‘Patres omnes, inquit *Calvinus*, uno pectore ‘execrati ſunt, & uno ore deteſtati, ſanctum Dei verbum Sophiſtarum argutiis ‘contaminari,

'contaminari, & Dialecticorum rixis im-
'plicari. Ita *Jo. Gerson*: Veritas est in
'scripturis sanctis quærenda non eloquen-
'tia: Quærere potiùs debemus utilita-
'tem in scripturis, quàm subtilitatem.
Quod *Plato, Conviv. fo.* 221. de *Socratis* ser-
monibus tradidit, aliquo modo quadrat S.
Scripturæ. 'Socratis, inquit, sermones
'Silenorum imaginibus esse similes arbi-
'tror; quæ aliud intrà habeant, aliud
'extrà repræsentent. Siquis ejus fermo-
'nes audiat, primâ quidem fronte absurdi
'& ridiculi videntur: verba enim & to-
'ta sententiarum conformatio, veluti ex-
'teriùs amicitur contumelioſi cujusdam
'Satyri pelle; ut qui minùs rerum sunt
'periti, hos sermones facilè contemnant:
'At si illos sermones intus aliquis con-
'spexerit, primùm quidem comperiet,
'illos solos mentem habere: Tum verò
'penitiùs introspicienti, & diviniſſimi, &
'pleraſque virtutis effigies haud dubiè
'complectentes, & longiſſimè prospicien-
'tes, unà omnia ea continentes, quæ fa-
'ciunt ad vitam bene beatéque instituen-
'dam videbuntur. In his *Socratem* lau-
do. Nonne S. Scriptura hac ex parte
multò majorem laudem meretur? Ex-
terna quidem pars humilis est; sed quan-
ta majestas, quanta efficacitas, quot aculei
intus latent! 'Quò imperitior sermo,
'hoc illustrior ratio est: quoniam non
'fucatur pompâ facundiæ & gratiæ, sed
'ut est Recti regula sustinetur. Plerum-

'que pro differentium viribus, & eloquen-
'tiæ poteſtate, etiam perſpicuæ veritatis
'conditio mutetur: Id accidere perno-
'tum eſt auditorum facilitate, qui dum
'verborum lenocinio à rerum intentioni-
'bus avocantur, ſine delectu aſſentiuntur
'dictis omnibus, nec à rectis falſa ſeçer-
'nunt; neſcientes ineſſe & in incredibi-
'li verum, & in veriſimili mendacium,
uti optimè *Minucius Fœlix.* Idem *Calvi-
nus*: 'Ab omni dubitatione vindicatur
'veritas, ubi non alienis ſuffulta præſidiis,
'ſola ipſa ſibi ad ſe ſuſtinendum ſufficit.
Hoc etiam ſatis liquet ex Prophetarum
& Apoſtolorum praxi: Haud dubitan-
dum eſt, *Moſem* inſtitutum fuiſſe in omni
ſcientia, omnibuſque diſciplinis Ægypti-
orum: Et tamen peræquè patet, illum
hujus ſapientiæ ſuæ ne veſtigium quidem
in ſcriptis ſuis reliquiſſe. Quid enim in
Pentateucho eſt, quod ſapiat ſecularem
eruditionem? Nonne ſunt omnia ſimpli-
citer compoſita, ad ingenerandam homi-
num animis veram pietatem? Idem de
Paulo affirmari poteſt: Quanta humilitas
& ſimplicitas, maximâ tamen cum Maje-
ſtate conjuncta, in ſcriptis illius inveni-
tur? Ita *Paulus* de ſeipſo loquitur, quòd
à Chriſto miſſus fuerit, ad Evangelium
1 Cor. 1. 17. prædicandum, 1 *Cor.* 1. 17. οὐκ ἐν σοφίᾳ λό-
γου] i. e. non ſermonibus rore Achaico,
ſive multâ eloquentiâ perfuſis; qualibus
ſe venditabant illi, qui *Corinthi* partium
erant duces. Et ratio ſequitur [ἵνα μὴ
κενωθῇ

κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ χριστοῦ] quasi dixerat: Minùs appareret efficacitas Crucis, si Evangelium annunciaretur byssinis & artificiosis humanæ Eloquentiæ lenociniis. Idem c. 2. v. 1, 2, 3, 4 & alibi.

7. Corol. *Sacræ Scripturæ ab omnibus diligenter sunt legendæ, examinandæ & retinendæ.* Hoc *Israelitis* præcipitur, Num. 15.39. *Hoc esto vobis peniculamentum, ut videntes illud recordemini omnium mandatorum Jehovæ, & faciatis ea*, &c. Mandatum hoc symbolicum est, & notat *Attentionem* & *Retentionem*, quam verbo Dei adhibere debebant *Israelitæ*. Immo obligatio hæc legem legendi & examinandi tam essentialis & stricta fuit, ut ipse Rex ab eadem haud exemtus fuerit; uti Deut. 17.18, 19. *Sed esto cùm insidebit solio regni sui, ut describat sibi exemplum hujus Legis in libro — estque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Jehovam Deum suum, observare omnia verba hujus legis, & statuta ista faciendo ea.* Et talis quidem praxis fuit *Davidis*, Regum optimi, Psal. 119. 97. *Quàm diligo legem tuam! Toto die ist meditatio mea.* Et v. 148. *Prævenium oculi mei excubias, ad meditandum de sermone tuo.* Et de justo dicitur, Psal. 1. 2. *Et qui de lege illius meditatur die ac nocte.* Et quidem *Israelitæ* multum temporis in legis lectione & meditatione adhibuerunt: Immo legendi scripturam libertatem non nisi vi & tyranni- Num. 15.39.

de sibi adimi permiserunt *Judai*. *Trajanus*, qui omnium Imperatorum clementissimus esse visus fuit, decretum fecit, ne *Judai* legem legerent: Quod ab aliis quoque Imperatoribus sæpius postea factum fuit. Hoc *Judais* non minima afflictio fuit; & à *R. Zacuth* inter שמדות, i. e. *persecutiones* enumeratur. Mos etiam *Judæorum* erat, & semper est, S. Scripturam legendam dare pueris, utì notatum fuit ad 2 *Tim.* 3. 15. de *Timotheo*. Ita *Hottingerus*: 'Ab ipsa sta im ineunte 'juventute *Israelitis* liberos suos in scri-'ptura erudire & instituere incubuit. Et Rabbi *Jehosua* interrogatus, quando quis doceret filios linguam Græcam, respondebat, *Quando neque dies est, neque nox*; quoniam scilicet scriptum est, & *meditaberis in lege die ac nocte*. Unde etiam secundùm eum, prohibitum fuit docere artes *liberales*. Et Rabbi *Maimonides* dicit, Præ-'ceptum affirmativum esse, omnibus & 'singulis *Israelitis* datum, ut pro se quis-'que scribat librum Legis. Tantus zelus *Judæorum* pro Legis lectione ac meditatione fuit. Nec minùs sanè Christianis hoc incumbit. 'Ego quidem, in-'quit *Lutherus*, sine verbo Dei ne in *Para-'diso* optârim vivere: at cum verbo etiam 'in Inferno facile est vivere. Sicut in hoc 'mundo, quasi in inferno vivimus, & 'tantùm nos consolamur spe, quam ver-'bum Dei nobis ostendit: atque hac spe 'vincimus omnis generis incommoda & 'cruces.

'cruces.' Et alibi addit *Lutherus*: 'Ego 'ipse eam ob causam odi meos libros, & 'sæpe opto eos interire, quòd metuo, ne 'morentur lectores, & abducant à lectio'ne ipsius Scripturæ, *quæ sola omnis sa'pientiæ fons est*; ac terreor exemplo supe'rioris ætatis: Postquam enim in homi'num commentarios inciderunt, qui 'sacris studiis dediti erant, non solùm 'plurimum temporis in lectione vete'rum Thelogorum consumserunt; sed 'etiam tandem occupati sunt in *Ari'stotele*, *Averroe*, & aliis: ex quibus po'stea nati sunt *Thomæ*, *Scoti*, & similia 'portenta.' Inde *Paulus*, Col. 3. 16. ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλουσίως.] ἐνοικεῖν hîc respondet יָשַׁב, & denotat stabilem & immotam rei permanentiam. Sensus est: Evangelium Christi nunquam ex animis vestris abeat. πλουσίως] i. e *abundanter*. ἐν πάσῃ σοφίᾳ] ἐν hîc, ut alibi, valet עִם: vera sapientia Evangelium complectatur. διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτούς.] Hæc ad priora referri videntur: Omnes enim fideles se invicem instruere debent, in S. Scriptura. Ita *Grotius*: *Est enim privatorum aliquatenus & docere & monere.* Col. 3. 16.

Sed ut S. Scripturas cum fructu *legamus*, *examinemus* & *meditemur*, Regulæ sequentes sunt notatu dignæ.

1. *S. Scripturæ legendæ sunt reverentissimum Attentione.* Attentio sic definitur,

Plat. Def. Πρόσεξις, συντονία ψυχῆς πρὸς τὸ καταμαθεῖν, *Attentio est contentio animæ ad discendum.* Objectum Attentionis ita statuminatur ab *Aristot. Rhet. l.* 3. *c.* 14. προσεκτικοὶ ἦ τισι μεγάλοις, τοῖς ἡδέσι, τοῖς θαυμασίοις, τοῖς ἤθεσι. *Attenti sumus magnis, propriis, mirandis, & dulcibus.* Nonne Sacra Scriptura maxima, admodum miranda, dulcissima, & maximè propria nobis exhibet? Quare maxima cum attentione accipienda est. Unde *Calvinus*: *Quodnam veræ doctrinæ initium est, nisi prompta alacritas ad vocem Dei audiendam.* Ita Deut. 28. 1. *Erit autem si fideliter auscultaveris voci Jehovæ Dei tui, observanter faciendo omnia præcepta ejus,* &c. *Si fideliter auscultaveris*; Hebr *auscultando auscultaveris*, i. e. diligenter & continuò auscultaveris. Attentionis hujus natura bene exprimitur (utcunque in re aliena) Esa. 21. 7. Et *attendisset attentè, attentissimè*; Hebr. *attentione, multitudine attentionum*: vocis ejusdem multiplicatio summum attentionis gradum notat. Idem Esa. 55. 2. *Auscultate auscultando*, i. e. continuò & diligenter auscultate. Reverentia quæ huic attentioni adjungi debet, *Davidis* praxi bene describitur, Psal. 119. 161. *Principes persecuti fuerunt me immeritò: sed à verbo tuo pavet animus meus*, i. e, magis quàm ab illis principibus; ne scilicet tuorum mandatorum aliquod transgrederer. Vel sic: Non à principibus, vel magnatibus, nimirum

Psal. 119. 161.

mirum *Saulis* ſive *Abſalomi*, ita formidavit animus meus; ſicut à verbo tuo: Ipſi perſecuti ſunt me, ac voluerunt à lege tua diſtrahere, ut illi 1 *Sam.* 26. 19. attamen veritus ſum tranſgredi præcepta tua. Reverens hæc Attentio ex alta Majeſtatis & Authoritatis Divinæ in verbo ſuo contemplatione proficiſcitur: Non enim ſufficit Attentio ad verba, neque ad ſenſum verborum tantùm; ſed etiam requiritur Attentio ad Dei Majeſtatem, quæ verbo ejus emicat, & ad illam obligationem, quæ nobis incumbit Divinæ voluntatis ipſius religiosè obſervandæ. Unde ſequitur; Attentionem, quæ verbo Dei debetur, non tantùm gradu, ſed toto genere differre, ab Attentione verbis hominis debita, aut quæ ab Infidelibus verbo Dei datur. Hoc patet ex 1 Theſ. 2. 13. *Sermonem quem audiſtis ex nobis, exceperitis, non ut ſermonem hominum, ſed* (ſicut verè eſt) *ut Dei ſermonem.* Attentio, quã præbet irregenitus ſermoni Dei eſt tantùm *humana*, quia fundamentũ habet humanũ.

2. *Sacræ Scripturæ examinandæ ſunt cum humili ſagacitate, & diſcretione.* (1) Non cum *curioſitate.* 'Curioſitas 'noſtra, inquit *Joannes Gerſon*, ſæpe nos 'impedit in lectione ſcripturarum; cùm 'volumus intelligere & diſcutere ubi 'ſimpliciter eſſet tranſeundum. Si vis 'profectum haurire, lege humiliter, ſimpliciter, & fideliter; nec unquam velis 'habere

'habere nomen ſcientiæ. Iterum: Ita 'libenter devotos & ſimplices libros lege- 're debemus, ſicut altos & profundos: 'Non te offendat Autoritas ſcribentis, 'ſed amor puræ mentis te trahat ad le- 'gendum. Optimè *Calvinus*: 'Hoc op- 'timum ac utiliſſimum ad humilitatem 'exercitium eſt, dum nos ad obediendum 'verbo ſuo aſſuefacit Chriſtus, utcunque 'per homines ſimiles nobis, interdum 'etiam dignitate inferiores prædicetur. (2) Scripturæ non ſunt excipiendæ fide implicitâ, i. e., ut ab Eccleſia traditæ, ſine examine, & diſcretione, uti volunt Pontificii. Fides enim implicita nihil habet de veræ ac genuinæ fidei notione; ſed ad Superſtitionem, Idololatriam, Epicuriſmum, immo ad Atheiſmum viam aperit manifeſtam. Laudantur quidem *Beræenſes*, ut εὐγενέστεροι, Act. 17. 11. *quia receperunt ſermonem cum omni alacritate, quotidie examinantes ſcripturas, an hæc ita ſe haberent.* (3) In hac examinatione inquirendum eſt, non utrum parendũ ſit voluntati Dei; ſed tantùm ut intelligamus quænã ſit voluntas Dei. De hominum verbis judicium ferri debet, quo diſcernatur an ſint bona, & obſervanda, necne 1 Theſ. 5. 21. Sed Dei verbum nullũ aliud examen admittit, niſi quo diſcernatur eſſe verbum Dei. Ex Dei enim verbo de aliis omnibus judicamus; ſed de illo ipſo non judicamus; noſmet ipſos autem ei ſubjicimus judicandos; uti be-

ne

ne *Ameſius.* (4.) Hoc examen propriè convenit verbi Dei expoſitionibus & commentariis quibus illuſtratur. Ita, Marc. 4. 24. *Videte quid audiatis*, i. e, attendite iſtis quæ vobis dicuntur: Et ratio ſequitur: *Quâ menſurâ metimini metietur vobis, & adjicietur vobis qui auditis.* Vetus fuit proverbium Rabbinorum, quod in Talmud Tract. *Sanhedrin* exſtat his verbis, במרה שאדם מודד בה מודדים לו, *Menſurâ illâ, quâ homo metitur, eâdem metientur illi.* Hoc proverbium hîc à Domino noſtro applicatur vel Prædicatoribus, vel Auditoribus verbi Dei. Si æqualitas menſuræ intelligenda ſit de ipſis verbi Divini Auditoribus, tum ſenſus eſt talis: *quâ menſurâ metiemini attentionem, eâdem metietur vobis in cognitione.* (5.) In S. Scripturæ examinatione Spiritûs S. Aſſiſtentia imploranda eſt. Omnis enim ſcriptura eo ſpiritu legi ac examinari debet, quo facta eſt. Ita *Lutherus*: ‘Scripturæ non niſi ‘eo ſpiritu intelligendæ ſunt, quo ſcriptæ ‘ſunt: qui ſpiritus nuſquam præſentiùs ‘& vivaciùs, quàm in ipſis ſacris ſuis, ‘quas ſcripſit, literis inveniri poteſt. Oratio eſt S. Scripturæ clavis: Et ſpiritus Domini eſt ſcripturæ lux. Inde *Lutherus*: ‘Nullus, inquit, homo unum io‘ta in S. Scriptura videt, niſi qui ſpiri‘tum Dei habet: omnes habent obſcu‘ratum cor, &c. Et Spiritus S. hac ex parte nominatur *ſpiritus Diſcretionis*, de quo in iis quæ ſequuntur. Mar. 4. 24.

3. Ver-

3. *Verbum Dei examinatum & dijudicatum ſemper retinendum, ac frequenti meditatione concoquendum eſt.* Retentio verbi Dei optimè illuſtratur, *Hebr.* 2. 1. μήποτε παραῤῥυῶμεν, *ne quando perfluamus.* *Perfluere* dicitur, qui auditum ſermonem non continet: opponitur hîc τῷ ὀχεῖν: & tranſlatio videtur ſumi ab aqua, quæ inutiliter effluit, utì exprimitur, 2 *Sam.* 14. 8. Animi quorundam rimarum pleni eſſe videntur, ut verbum Dei in illis nullum locum inveniat. *Judæi* dicunt, quadruplicem diſcentium ſortem eſſe: Alios *Spongiarum* inſtar, omnia promiſcuè attrahere: Alios *Clepſydræ* in modum, quod unâ aure accipiunt, alterâ mox amittere: tertios quaſi *ſacci* fæcium: optimos *cribris* ſimiles eſſe. Retentio verbi Dei emphaticè explicatur, Col. 3. 16. *Sermo Chriſti inhabitet in vobis copioſè.* ἐνοικείτω. i. e. ſermo Chriſti nunquam ex animis veſtris abeat: Ita enim ἐνοικεῖν *ſignificat*; quod reſpondet שכן, *permanere, ſedem fixam occupare, diu commorari.* Inde ſequitur, πλουσίως, i. e. *abundanter, opulente*: omnem copiam ac affluentiam denotat. ἐν πάσῃ σοφίᾳ. ἐν hîc valet σὺν, *cum omni ſapientia.* Sapientia Divina ſermonem Chriſti comitatur. Nec ſolùm retinendum, ſed & ſæpiùs ſeriâ meditatione digerendum eſt verbum Dei. Ita Jer. 15. 16. *Cùm adfuerunt verba tua, comêdi illa*; i. e. ſeriò meditatus ſui. Comeſtio enim, ut vult *Philo* in Allegori-

Heb. 2. 1.

Col. 3. 16.

Jer. 15. 16.

Allegoriis, ænigmaticè ſignificat, τὴν ἀνάληψιν, *comprehenſionem*, quam ſequitur meditatio, quaſi concoctio quædam: Inde, quæ bene meditatione digeruntur, ea dicuntur in ſanguinem & ſuccum verti. Inde *Lutherus*: ‘Neceſſarium eſt verbum ruminare, & orare, ſive cùm ſurgimus, ſive cubitum imus; ne nos vacuos & imparatos hoſtis inveniat. Non ſatis eſt verbum centies audiſſe, & legiſſe millies, ſicut tandem experimur in periculis tentationum. Semper ad hunc fontem recurrendum eſt. Semper explendeſcet aliquid, quod antea nos latuit; ſemper aliquid adlubeſcet, quod antea ceu inſipidum negleximus. Si quis [ſcripturas] obiter, tanquam res notas & faciles legat, ſeipſum decipit.

4. *S. Scripturæ Receptio, & Retentio, cum practica & firmiſſima Intentione obediendi conjungenda eſt.* Intentio hæc debet eſſe (1) *Practica*: Aliter enim qui legunt vel audiunt verbum Dei, Jac. 1. 22. παραλογιζόμενοι ἑαυτοὺς, *paralogiſmum* turpiſſimum admittunt. (2) *Abſoluta & Univerſalis*, non *conditionata*, non *partialis*, Deut. 5. 33. *Audi quæcunque dicturus eſt Jehova*, &c. v. 35. *Omnia præcepta mea*. (3) *Firma*, Pſal. 119. 106. *Juravi, quod præſtabo, me obſervaturum jura juſtitiæ tuæ*. (4) In corde altiſſimè *radicata & fundata*. Sic Eſa. 55. 3. *Aurem veſtram inclinate*. Aurem inclinare eſt, ſeſe, non ſimpli-

simpliciter ad audiendum accommodare, sed ad obediendum subjicere. Ita Luc. 8. 15. *Qui in corde honesto ac bono auditum sermonem retinent & fructum adferunt cum patientia. In corde bono ac honesto sermonem retinere*, est altissimo obediendi proposito eidem assentiri. ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ. *Beza* putat, hoc dicendi genus ex ipsis philosophiæ adytis petitum esse, quamvis id etiam vulgus in ore haberet. Idem *Grotius*: 'Videtur, inquit, non sine 'delectu voce hâc, vulgò quidem tritâ, 'sed à philosophis subtiliùs explicatâ, 'uti *Lucas*: Nam cum de iis disseruisset, 'qui metu incommodorum, aut externo'rum bonorum nimiâ cupiditate à vir'tute distrahuntur, his rectè opponit κα'λὸν καὶ ἀγαθόν. Quare, per *cor bonum & honestum*, intelligendum est cor contritum & à peccato divulsum, Hos. 10. 12. *Cor integrum*, fidéque ac amore Divino reformatum: vel, ut loqui amant in scholis, *judicium practicum*, ad sermonem Dei recipiendum, eundémque retinendum idoneum. Inde sequitur, κατέχου-σι, *retinent*: Notanda vis est hujus vocis, quâ innuitur, non sine magna contentione, & difficultate posse istum sermonem retineri, contranitente carne & Diabolo. Quare addit: ἐν ὑπομονῇ, *cum patientia*. Hæc vox, *Hellenistis* frequens, constantiam illam denotat, quæ inter adversa durat spe meliorum: παρποφορεῖν ἐν ὑπομονῇ opponitur τελεσφορεῖν, va-

Luc. 8. 15.

14. τελεσφορα Græcis dicuntur, quæ fructum ad plenam maturitatem & messis tempus perferunt. Hinc, *in corde honesto ac bono verbum Dei retinere, & fructum adferre cum patientia*, denotat *Judicii practici*, sive *Conscientiæ Assensum* practicum & firmum, cum voluntatis *Consensu* prævalente ac activo, ad verbum Dei retinendum, fructúmque adferendum. Primò denotat Judicii practici, sive Conscientiæ *Assensum practicum:* Qui debet esse (1) *Supernaturalis;* tum ratione *fundamenti principalis*, nimirum Autoritatis Divinæ; tum ratione *efficientis*, nempe spiritûs Dei. (2) Assensus hic debet esse *particularis* ac *proprius;* non tantùm generalis ac communis. (3) *Altus* ac *profundus*, in imo corde radicatus; non superficialis, utì Mat. 13. 19, 20, 21. (4) *Expressus*, ac *distinctus*; non implicitus ac confusus. (5) *Evidens* ac *certus*, non *obscurus* ac *suspensus*. (6) *Fiducialis*, non *legalis* solummodo, *Hebr.* 4. 2. συγκεκραμένος τῇ πίστει. Metaphora ducta à cibo, qui cum fermento, sive acido succo in stomacho admistus & contemperatus, facilius concoquitur: ita verbum Dei fide admistum. (7) *Voluntarius*, non *coactus*. Ita Act. 2. 41. ἀσμένως ἀποδεξάμενοι, *qui summa cum alacritate sermonem ejus receperunt*. Idem Act. 17. 11. μετὰ πάσης προθυμίας. (8) *Affectivus* & *effectivus*, non *notionalis* tantùm & sterilis: talis assensus, qui *fructum ad-* Heb 4.2.

ferat,

fert, uti Luc. 8. 15. (9) *Permaneus & immotus*, non *fluctuans* & *instabilis*. Inde addit Dominus ἐν ὑπομονῇ. Secundò non solùm Assensus judicii practici, sed & *Consensus* voluntatis requiritur, ad verbum Dei in *corde bono ac honesto* retinendum. Hic autem voluntatis consensus debet esse (1) *Prævalens* & *completus*, non *languidus* ac *partialis*. (2) *Firmus* ac *constans*, non *variabilis* ac desultorius. Psal. 119. 11. *In animo meo recondo sermonem tuum.* Dulcis est metaphora, ab iis sumta, qui thesaurum inventum abscondunt, ne pereat. (3) *Activus & operativus*, Psal. 119. 11. *Ut non peccem in te.* Hactenus de S. Scripturæ *Lectione*, *Receptione*, *Examinatione*, & *Retentione*.

SECT. III.

De Consequentiis à S. Scriptura deductis.

8. Corol. *Consequentiæ à scriptura deductæ sunt scriptura, ideóque fide divinâ credendæ.* Pontificii multa contra S. Scripturæ Autoritatem, ex consequentiis inde deductis obganniunt. Volunt enim, *S. Scripturæ consequentias non posse firmiter ac certò credi.* Nos autem audacter asserimus, consequentias à Sacra Scriptura legitimè deductas, esse unius ac ejusdem ideæ cum S. Scriptura, ideóque

que eâdem fide credendas. Sed ad hanc Assertionem stabiliendam paucula sunt prælibanda.

(1) Præmonendum est, aliquid in S. Scriptura contineri, vel κατὰ τὸ πρᾶγμα, *secundùm rem*, vel κατὰ τὸ γράμμα, *secundùm literam*: *secundùm Rem*, aliquid continetur in S. Scriptura κατὰ ἰσοδυναμίαν, *secundùm æquivalentiam*; vel κατὰ διάνοιαν, *secundùm mentem*; vel κατὰ συνακολουθίαν, *secundùm consequentiam*. Hoc ita explicat Glassius, Gram. S. 'Notetur etiam hoc, aliud esse in Scripturæ S. verbis aliquid sensu literali contineri & intelligi; aliud verò certæ & immediatæ consequentiæ vi ex illis deduci: prius *Grammaticum* scripturas explanandi genus vocare possumus, posterius *Logicum*. Quæ duo accuratè sunt distinguenda, ne oriatur confusio. Non omne, quod ex dicto scripturæ per sequelam immotam evincitur & deducitur, ejusdem literalis sensus est. E. g. ex propositione prophetica, Christum solum, ut causam principalem peccata remittere, Esa. 43. 25. *Ego sum qui deleo*, &c. κατὰ λέξιν colligitur, *Christum esse Deum*.

(2) Aliquid de natura consequentiæ prælibandum est. Consequentia, (ut notat *Bochart*, *Contre Veron* 1073) nihil aliud est quàm sequela, sive conjunctio propositionum, quæ possunt esse necessariæ aut probabiles secundùm *materiam*, bonæ

bonæ aut malæ ſecundùm *formam* ſyllogiſmi. Vel aliter, Conſequentia eſt Affectio propoſitionis ad aliam quandam propoſitionem; quâ fit, ut ſi ea propoſitio vera ſit, & ipſa etiam ſit vera; aut ſi falſa ſit alia illa propoſitio, & ipſa pariter ſit falſa. Cujus Affectionis hæc eſt ratio, quòd quæ de altera propoſitionum (quæcunque tandem illa ſit) dicuntur, includunt neceſſariò quæ in concluſione, inde deductâ, continentur. Unde ortum eſt *conſequentiæ* nomen; quod Mataphoricum eſt, à Tractione tranſlatum: ſicut enim id quod trahitur immediatè ſequitur; quia ſuo modo unum eſt cum eo quod trahit: Ita inter diſcurrendum, quod neceſſariò ſequitur ex præmiſſis, cum iiſdem cohærere cenſetur, & inde *conſequens* dicitur.

(3) Præmittendum eſt, Conſequentias duplicis eſſe generis: Aliæ enim ſunt *proximæ*, aliæ *remotæ*. Conſequentiæ S. Scripturæ remotæ magis obſcuræ ſunt; & in iis deducendis mens humana errori faciliùs obnoxia eſt. Sicut enim ſenſus facilè errant circa propria objecta, quando remotiora ſunt; ſic & animus circa conſequentias S. Scripturæ remotas. In conſequentiis autem S. Scripturæ proximis & legitimè deductis major eſt evidentia, & minùs obnoxia eſt pia mens errori. Ita Camero: ‘Eſt enim concluſionum erga principia duplex Affectio; vel enim ‘proximè deducuntur ex principiis, vel ‘remotè:

'remoté: consequentiæ & conclusionum, 'quæ proximè deducuntur ex principiis, 'apud sanos quidem homines dijudicatio 'facilis est & liquida: absit modò per'turbatio animi. At earum conclusio'num, quæ à principiis magis sunt remo'tæ,' & ideo obscuræ, opus est acri qua'dam & vehementi mentis contentione: 'Ideo prospexit hîc Deus humanæ imbe'cillitati, ut ea absolutè creditu necessa'ria non sint.

(4) Aliquid præcognoscendū est de modo legitimæ consequentiæ deducendæ & dignoscendæ. Distinguendū est inter *Consequentiæ*, & *Consequentis* apprehensionē: Aliud enim est consequentiæ rationē deprehendere, aliud ipsum consequens: sæpe enim deprehenditur consequentiæ ratio, cùm nec comprehendatur Antecedens, nec deprehendatur Consequens; tantùm intelligitur hoc ex illo sequi. Jam hoc constituto, sequitur, fidem uti ratione ut *Instrumento*, quo consequentia deducitur; non tamen ut *Argumento*, *propter quod* consequenti assensum præbet. Nam in deductione consequentiæ Ratio tantùm exhibet, quid sit credendum; non exhibet formalem rationem sive fundamentum principale, propter quod credendum sit. Sicut, quum dicitur *Fides est ex auditu*, Auditus non est *fundamentum principale* sive *Argumentum* fidei, sed *Instrumentum*: ita Ratio in deductione consequentiarum, instrumentum est, non fundamentum

damentum sive Argumentum. Optimè hac ex parte *Camero, fol.* 491. ‘Verbum ‘Dei esse, quod ex verbo Dei colligitur ‘ostendimus; neque ex eo efficitur, ut ‘fides pendeat à ratione; quod in promptu ‘erit intelligere, dummodo instrumenta ‘quibus gignitur fides ab argumentis fi‘dei distinguamus. Breviter; non est hîc ‘ratio merè quæ concludit & statuit; sed ‘ratio notiori Dei verbo illustrata. Ideó‘que multi instructi ratione, quique ideo ‘sequelæ necessitatem habent perspectam, ‘non assentiuntur tamen conclusioni, ‘quia non assentiuntur principio, unde ‘conclusio deducta est; quod si facerent, ‘& conclusioni pariter assensum essent ‘præbituri. Itaque accuratè & dili‘genter perpendenda est differentia no‘titiæ *consequentiæ* & *consequentis*: Nam ‘de consequentia statuere rationis certè ‘opus est; (eadem scil. Logica est, ut in ‘Mathematicis, Physicis, Metaphysicis, ‘sic etiam in S. Theologia) at verò de ‘consequente statuere, certè fidei solius ‘est.

(5) De *ordine credendorum* præmonendum est, Dogmata explicitè & immediatè revelata esse priora creditu, eis, quæ sunt in illis *virtualiter* contenta, & per consequentias deducenda. Dogmata enim quæ immediatè & explicitè revelantur à nobis credi possunt, nondum creditis dogmatibus illis, quæ per consequentias necessarias ex iis deducenda

ducenda sunt: quippe dubitare possumus de dogmatibus illis, an contineantur implicitè in iis quæ immediatè revelantur, vel non. Sed è contra creditis dogmatibus per consequentiam necessariam deductis, nullus locus est dubitandi de iis quæ immediatè & explicitè revelantur, ac à quibus dogmata implicita deducuntur. His præmissis ad Thesim nostram stabiliendam progredimur; & totam tribus propositionibus absolvemus.

1. Prop. *Quod legitimè & necessariò sequitur ex verbo Dei, est verbum Dei.* Quicquid enim necessariò concluditur, continetur in præmissis unde conclusum fuit; nec est ab illis revera diversum. Nam sicut in numeratione summa totalis continetur in unitatibus numeratis, nec est quid ab illis realiter distinctum; sic & in conclusionibus, sive consequentiis à præmissis legitimè deductis. Verum est quòd conclusiones non sunt *formaliter* in principiis; hinc tamen sunt *virtualiter*; & quando actualiter deducuntur, revera non differunt ab iis à quibus deducuntur: adeò ut positis præmissis ponatur etiam Conclusio, vel actu vel potentiâ: sicut positis Universalibus ponuntur particularia inde deducenda, potentiâ saltem si non actu. Et sanè, si consequens sive conclusum non esset contentum in principiis, unde conclusum sive consequens fuit, non esset conclusum sive consequens. Haud negandum est, aliqua-

lem

lem diversitatem esse inter conclusionem & præmissa, sicut & inter continens & contentum: sed hæc diversitas potiùs in *modo proponendi*, quàm in ipsis rebus consistit. Quare quò quisque acumine ingenii magis excellit, eò minùs indiget ratiocinatione Syllogisticâ, ad conclusiones ex principiis suis eliciendas: comprehensis enim principiis universalibus, statim videt conclusiones sive consequentias particulares inde pullulantes. Hoc satis demonstrat identitatem, quæ est inter verbum Dei & consequentias sive conclusiones inde deductas. Et sanè adime consequentias à Scriptura, & ipsa nihil valet: Quid enim esset verbum Dei, nisi merus sonus, vel litera sine mente, si non admittantur consequentiæ? Verbi gratia, quid significat hoc mandatum, *Amabis Deum vel proximum*, nisi consequentiæ particulares inde deductæ admittendæ sint, nempe, *Petre, amabis Deum*, & similes. Si quod concluditur ex S. Scriptura non esset S. Scriptura, periret prorsus omnis verbi Dei applicatio, tum convictiva tum consolativa. Nonne Dominus noster Sadducæis os obstruxit vi consequentiæ, *Mat.* 22. 33, 34? Nonne etjam *Paulus* adversùs *Judæos* vi consequentiæ ratiocinatus fuit, *Act.* 17? Periti medici & politici quando regulas aliquas generales tradunt, casus ferè infinitos sub istis regulis comprehendunt: Annon à fortiori idem asseri possit, de Dei sapientissimi

ſapientiſſimi regulis Divinis, unde particu-
res concluſiones deductæ ſunt? Nonne
huc tendit totus S. Scripturæ ſcopus, ut
ſub univerſalibus regulis omnes caſus
ſingulares, qui ſunt infiniti, continerentur? Et quomodo poſſunt hæ regulæ generales caſibus particularibus applicari, niſi
per conſequentias legitimè deductas? Viri ſapientis character eſt, *multum in paucis loqui*: Hoc Deo ſapientiſſimo, ratione
verbi ſui, apprimè competit. Verum eſt,
quòd hominis vel prudentiſſimi ea eſt imperfectio, vel ſaltem infœlicitas, ut illa
aliquando dicat, ex quibus aliquid concluditur, quod nunquam in animo ejus
fuit: hinc locus datur *Deductioni ad Impoſſibile*: ſed an tale quid in Deum ſapientiſſimum cadere poteſt? Nonne conſilium Dei fuit, ut quicquid ex verbis ejus
legitimè & neceſſariò ſequitur, id ipſe dixiſſe exiſtimaretur? Unde ſatis patet,
quicquid concluditur ex verbo Dei, verbum Dei eſſe. Hoc fuſiùs demonſtrat *Camero, fol.* 310. ‘Quod neceſſariò conclu-
‘ditur ex verbo Dei eſt Verbum Dei: ni-
‘hil enim concludi poteſt, niſi quod eo
‘comprehenditur unde concluſum eſt.
‘Si quod concluſum eſt non comprehen-
‘ſum fuit in eo unde concluſum eſt, ea con-
‘cluſio demum non eſt concluſio. Atq; huc
‘referenda eſt regula *de omni, & de nullo* ad
‘quam *Ariſtoteles* revocavit omné conclu-
‘dendi rationem. Alioqui verbum Dei ni-
‘hil ſignificaret: e.g. *Non occides*; quid hoc

'tandem significat, nisi significet, *Paule*
'*non occides*? Itaque hæc conclusio manet
'certa, cùm aliquid verbo Dei dicitur, eâ-
'dem operâ dicitur quicquid in eo com-
'prehenditur: comprehenditur autem
'conclusio: alioqui nulla esset, &c.

2. Prop. *Consequentiæ ex S. Scriptura legitimè deductæ non ratione, sed fide percipiuntur.* Hæc propositio ex priori necessariò sequitur: Nam si casus vel conclusiones particulares, in suis regulis & principiis universalibus comprehendantur, nec ab illis realiter differant; inde necessariò sequitur, quòd conclusio particularis à verbo Dei deducta, est æquè revelata & Divina, ac verbum Dei unde deducitur. Ita *Camero fol.* 492. 'Facilè
'jam videre est, non esse tanquam ratione
'perceptum, sed fide tenendum, quicquid
'ex verbo Dei justâ ac legitimâ conse-
'quentiâ colligitur: nam facultatem Spi-
'ritûs S. ratiocinatio non excludit.
'Spiritus enim est, qui in hac specie rati-
'ocinandi facultatem dirigit. Sed hîc objectio una atque altera removenda est.

1. Objicitur: *Quòd consequentia vi rationis elicitur, ideóque non fide, sed ratione percipitur.* Resp. Huic objectioni satis A. Præcog. respondetur; ubi distinguitur inter *Consequentiæ* & *Consequentis* apprehensionem; & ostenditur, Rationem esse tantùm *Instrumentum per quod* consequentia deducitur, non *Argumentum*, sive *Fundamentum principale propter quod* consequens creditur. 2. Diffi-

2. Difficilior occurrit objectio, de talibus consequentiis sive conclusionibus, quæ oriuntur ex propositionibus, quarum altera experientiâ nititur: e. g. *Qui credit justificatur. Ego credo.* Ergo, &c. *Minor* interno sensu sive experientiâ nititur: Ergo & *conclusio* experientiâ solâ percipitur, & non fide divinâ. Consequentia probatur ex illo axiomate logico, *quòd conclusio sequatur partem debiliorem*: *Minor* autem, quæ experientiâ solâ nititur, est pars debilior. Ergo. Hanc objectionem urgent Pontificii contra divinam certitudinem salutis. Sic olim *Soto* contra *Catharinum*; & nuperrimè *Cottiby* contra *Dallæum*. Primò huic objectioni ita respondet *Dallæus*, doctissimo suo libro *Gallicè* scripto, cum hoc titulo, *Daillè Repliq. aux Adam*, &c. p 345. 'Scire, inquit, debemus S. Scripturæ evi'dentiam, etsi in se perfectiorem, quoad 'nos tamen eo quod sensu aut ratione 'percipimus, esse minùs evidentem; qua're & conclusio sequitur *majorem* uti de'biliorem, quia minùs evidentem, non 'in se, sed quoad nos. Sed hæc responsio, cum pace tanti viri, non videtur satis firma: Propositio enim fide Divinâ amplexa est certa, & evidens fidei, veluti propositio naturaliter certa est evidens rationi: Inde Fides dicitur, *Hebr.* 11. 1. ἔλεγχος, quæ vox significat evidentiam, (1) *Naturalem Solis*, (2) *Logicam* Argumenti, (3) *Legalem*, tum juris tum Hebr. 11. 1.

facti, (4) *Theologicam* fidei. Secundò igitur respondemus, *minorem* æque ac *majorem* in priori syllogismo practico esse *de fide*: Hæc enim propositio *Ego credo*, si vera sit, *consequens* sive *conclusio* est alicujus propositionis universalis, quæ in S. Scriptura revelatur: Nemo enim scit, an credat, vel non, nisi quatenus fidem suam cum fidei Idea universali, in S. Scriptura tradita, comparet. E. g. S. Scriptura hanc Ideam universalem fidei nobis tradidit, Act. 11. 23. *Pleno cordis proposito adhærere Domino.* Unde hoc modo formatur Syllogismus: *Qui pleno cordis proposito adhæret Domino, credit. Sed ego pleno cordis proposito adhæreo Domino. Ergo ego credo.* Conclusio hæc, sive consequens, *Ego credo*, est de fide perinde ac *major*, quia ab eadem deducitur: singulare enim haud diversum est ab universali, in quo comprehenditur; nec consequens ab antecedente, ut in prioribus. Porrò, utcunque hæc propositio, *Ego credo*, aliquo modo dependeat à sensu interno, sive sensata experientia, ut ab Instrumento assensûs fidelis; tamen objectum *formale*, sive *motivum proprium*, aut *fundamentale principium*, & *Argumentum propter quod* assentitur fidelis anima, est Autoritas Divina *Majori propositioni*, nimirum verbo Dei appendens. Deinde certitudo & evidentia *minoris* non nititur tantùm experientiâ Christianâ, quæ in se est valde tenebricosa; sed experientiâ purificatâ, & irradiatâ

irradiatâ à Spiritu S. unde divina evadit. Tertiò. Ipse *Scotus*, (quem citat *Catharinus*, expurg. contra *Soto* p. 257.) audacter asserit & demonstrat, *Quòd quando in syllogismo invenitur una propositio naturaliter evidens, & altera de fide, conclusio quæ sequitur est etiam de fide.* Inde *Daillè, foy fondée sur Escrit. c. 12. p. 69.* 'Deus, inquit, in S. Scriptura præsupponit ubique, 'quòd illi quibus loquitur, sunt homines, 'qui cognoscunt, si non subtiliter, saltem 'rudi aliquo modo, naturam rerum, de 'quibus loquitur; & per consequens, quòd 'sunt capaces applicandi quamlibet partem subjecti, de quo in genere tantùm 'loquitur. Ecce quid *Catharinus* contra 'Soto asserat: *Scotus (inquit) docet, quòd, 'cùm sumitur una propositio naturaliter evidens & alia de fide, Conclusio est de fide.* Idem *Daillè Repliq. aux Adam*, &c. p. 345.

3. Prop. *Utcunque Intellectus fidelis in se sit fallibilis, potest tamen, quatenus Spiritûs S. lumine perfusus est, certitudinem infallibilem attingere, in consequentiis à S. Scriptura deductis.* Hæc ex duabus prioribus propositionibus sequitur: Et probatur,

(1) Ex *certitudine assensûs*, quem præbet quilibet fidelis Sacræ Scripturæ. Etsi enim datur aliqualis inter fideles disparitas, ratione assensûs, quem præbent verbo Dei; minimus tamen fidelis in se consideratus, assensum certum & indubitatum eidem præbet: Inde eadem certitudo, quæ attribuitur Sensui & Rationi,

circa objecta certiſſima, attribuitur etiam fidei, ratione S. Scripturæ: Ita 1 *Cor.* 2. 4. ἐν ἀποδείξει. ἀπόδειξις eſt notio Mathematica, quæ notat vehementem quandam rationis convictionem, quæ nullum poſt ſe dubitandi locum relinquit; ſed animum neceſſariò impellit, ac quaſi cogit ad aſſentiendum. Et talem aſſenſum poſt ſe reliquit prædicatio Evangelii in animis fidelium; immo tantam certitudinem, ut Philoſophi, ſuis rationibus acutiſſimis, Politici, ſuis ſtratagematibus doloſis, Tyranni, ſuis gladiis cruentis, & ipſe Satanas, ſuis ſagittis ignitis eandem haud ſubvertere potuerint. Tam certus eſt aſſenſus, quem quilibet fidelis præbet S. Scripturæ, & per conſequens conſequentiis inde deductis, quæ ſunt ejuſdem naturæ cum ipſa S. Scriptura.

1 Cor. 2, 4.

(2) Sicut in ſcientiis humanis dantur principia quædam *per ſe nota*, ex quibus intellectus bene inſtructus procedit ad concluſiones certas deducendas; ſic & in rebus fidei fidelis, Spiritu S. donatus, non ſolùm aſſenſum firmum & certum ipſis S. Scripturis præbet; ſed & concluſiones & conſequentias inde pullulantes pari aſſentionis certitudine complectitur. Hæc autem certitudo aſſensûs, ratione tum ipſarum ſcripturarum, tum concluſionum inde deductarum, pendet partim ex *Objecti*, partim ex *Subjecti* conſtitutione: Qui enim πληροφορίαν ſive pleniorem Spiritûs S. irradiationem adeptus eſt, majorem

rem certitudinem & firmitudinem assensûs obtinebit.

(3) Sublatâ certitudine Intellectûs fidelis, ratione conclusionum à S. Scripturis deductarum, perit tota fidei & pietatis ratio. Sicut enim omnis motus oritur ex aliquo primo motore immobili; sic omnis fidei & pietatis motus spiritualis ex aliqua firma & immobili assensione S. Scripturæ, & consequentiis inde deductis. Nec objiciendum est, quòd Intellectus humanus est in se fallibilis: ergo & conclusiones per eundem deductæ incertæ. Intellectus enim non est *Argumentum* sive fundamentum principale *propter quod*; sed tantùm *Instrumentum per quod* creditur. Dein pari ratione asseri posset, nullum esse posse assensum certum de rebus sensûs, aut rationis certissimis; quia sensus & ratio facultates sunt in se fallibiles. Verum est, sensum & rationem aliquando errare, sed nunquam sine ratione; i. e. datur aliquis defectus ex parte vel *Objecti*, vel *Subjecti*, vel *Medii*. Quibus defectibus in rebus fidei à Spiritu S. remotis, nihil impedit quò minùs assensus, qui consequentiis S. Scripturæ præbetur, sit infallibilis & certus. Optimè *Bochart*, *contra Veron*, *p.* 1069. ‘Veritates, inquit, ‘quæ oculo Lectoris expositæ sunt, non ‘magis verbum Dei sunt, quàm illæ, quæ ‘ab eodem per ratiocinationem deducun‘tur. Idem Deus est qui loquitur per ‘totum: Et sicut formavit oculum, qui

'scripturæ verba legit; ita cordi intelli-
'gentiam dedit, ad comprehendendas
'conclusiones deductas per rationem, quæ
'Organum solùm est, ad discernendum id
'quod Deus nos edocuit. Et objicere,
'quòd Ratio est in deducendis consequen-
'tiis fallibilis, nihil aliud est quàm scepti-
'cam quandam incertitudinem introdu-
'cere: Oculus enim & Aures organa
'sunt fallibilia, quæ possunt in terminis
'formalibus decipi; & tamen Apostolus
'dicit, Rom. 10. quòd *fides sit ex auditu*;
'quibus nos docet, quòd fides, etsi sit in
'se certa, possit tamen uti organis incer-
'tis & fallibilibus —— Addo, maxmè ab-
'surdum esse, quòd fides præmissis crede-
'ret, & tamen rejiceret conclusionem,
'quæ inde per necessariam & evidentem
'consequentiam deducitur. Ita *Mestrezat, de l' Eglise, liv. 2. c. 24. p. 479. contr. Card. Perron* fusiùs probat; *Dari infallibilitatem consequentiarum æque ac textûs formalis scripturæ quoad se: Quoad nos autem; judicium nostrum æque falli posse in textu formali, ac in consequentiis intelligendis.* Hinc

SECT.

SECT. IV.

De Judicio Discretionis, omnibus fidelibus indulto.

9. Corol. *Omnibus fidelibus à Deo indultum est Judicium Discretionis, de omnibus S. Scripturæ interpretamentis, consequentiis, & Articulis fidei inde deductis.* *Judicium* hoc *Discretionis*, omnibus fidelibus à Deo indultum, variis S. Scripturæ locis, variisque modis exprimitur: Ita Prov. 14. 15. *Fatuus credit omnibus rebus, sapiens autem advertit ad gressum suum.* In omni facultate is *fatuus* judicatur, qui sine examine, fide implicitâ omnibus credit. Omnem enim actum, ut rectus sit, aliquod præcedere debet judicium. Ita *Plato*, *Timæo*, 51. ‘Non est, inquit, consentaneum, ut istius ‘rei, in qua versamur, doctrinam ita cer- ‘tò statuamus, ut *nullo examine judicioque* ‘*perpensam*, ἄκριτον καὶ ἀδιάκριτον, ita ha- ‘bere omnino pronunciemus atque con- ‘firmemus. Quibus docet, nihil sine examine certò statuendum esse: sic *Grotius*, *de Jure Bel. l.* 1. *c.* 3. ‘Meminerimus ‘non omnia probare, quæ à quamvis præ- ‘claræ famæ auctoribus dicuntur. Sæpe ‘enim tempori, sæpe affectibus serviunt, Prov. 14, 15.

'& aptant τῷ πέτρῳ σταθμήν. Quare 'danda est opera ut in hisce rebus defæ-'cato utamur judicio; nec quæ excusa-'ri magis, quam laudari possunt, temerè 'in exemplum rapiamus, in quo pernicio-'sè errare solet. Absolutè enim & in omnibus nemo judicio alieno inniti debet, nisi tale sit, cui falsum subesse nequeat. Quare, in rebus fidei, is *fatuus* reputandus est qui omnibus rebus, sine judicio Discretionis, assentitur. Intellectus enim naturalis eò usque est *Debitor Veritati*, utì loquitur *Gerson*, ut nihil sine judicio præcedente credere debeat. Inde *Socrates*, *Plato. Phædo fol.* 61. 'Vos 'verò, inquit, mihi fidem hactenus adhi-'bete, ut exiguam quidem *Socratis* habe-'atis rationem, omnem veritatis: si quid 'vobis verum dicere videor, assentiami-'ni; sin minùs, omni ratione mihi adver-'semini, hoc unum providentes, ne ego 'præ vehementi meo hoc studio, & me & 'vos in errorem inducam, relictéque, ut 'apis, aculeo discedam. Utinam Christiani quidam tantâ modestiâ induti essent.

Rom. 14. 5. *Unusquisque in animo suo plenè certioratus sit.* πληροφορείσθω. πληροφορεῖσθαι propriè est plenis ventis ferri: cùm ad personam refertur significat *certiorari*, sive plenum assensum præbere. Hebræi dicunt, איש ימלא את לבו, *fruatur quisque suâ sententiâ.* Vult Apostolus, nos nihil sine fide moliri: Talis autem fides sine judicio Discretionis haud

acquiri

acquiri poteſt. Idem pleniùs explicat v. 23. *Qui verò dubitat, ſi ederit, condemnatus eſt, quoniam non edit ex fide: Quicquid verò ex fide non eſt, peccatum eſt.* Ubi fides, inquit *Grotius*, eſt Judicium approbans; quod opponitur conſcientiæ condemnanti actionem, aut hæſitanti. Quod cum dubitatione ſuſceptum eſt opus, propterea vitioſum eſſe intelligit *Paulus*, quòd omnium bonorum operum radix eſt fides, quâ certi ſumus illa Deo accepta eſſe. In agendis, æque ac in credendis, ſi nulla ſit diſcretio boni à malo, veri à falſo, nulla fides eſſe poteſt. Iterum, 1 Cor. 2. 15. *At ſpiritualis dijudicat quidem omnia, ipſe verò à nemine dijudicatur.* Per *ſpiritualem* hîc omnis fidelis intelligendus eſt: De hoc dicitur ἀνακρίνει, i. e. *perſpicit, diſcernit, dijudicat*, nimirum, pro ſpiritûs menſura ei impertitâ. Deinde ſequitur objectum, πάντα, *omnia*: τὸ καθόλε, ſive nota univerſalis hîc ad ſubjectam materiam reſtringenda eſt. *Ipſe verò à nemine dijudicatur.* ὑπ' ἀνθρώπε, i. e. à nullo homine, nullíſve hominibus, tanquam ſupremo conſcientiæ ſuæ judice, cui fide implicitâ, ſine judicio Diſcretionis, inniti debet. Inde precatur *Paulus*, pro *Philippenſibus*, Philip. 1. 10. εἰς τὸ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα, *ut exploretis quæ diſcrepant:* Hoc notat tale judicium Diſcretionis, quo, quod à bono diſcrepat, poſſumus dijudicare. δοκιμάζειν propriè ſignificat metalla, primariò aurum vel argen-

v. 23.

1 Cor. 2. 15.

Philip. 1. 10.

tum,

tum, liquefactione, aut lapide *Lydio* explorare; inde ad *judicium Diſcretionis* in ſacris transfertur. Preces hæ in præceptum convertuntur, 1 Theſ. 5. 21. *Omnia explorate*; & *quod bonum fuerit retinete*, δοκιμάζετε, & diſtinctius, 1 Joan. 4. 1. 1 Joan. 4. 1. *Dilecti, ne cuivis ſpiritui credite, ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint.* *Spiritus* hîc accipiendus eſt metonymicè, pro propheta, qui ſpiritûs dono ſe præditum dicit. Tali nullo modo credendum eſt, ſine judicio, Diſcretionis præcedente. Immo *Paulus* vult, ut nemo ipſi, ſine judicio Diſcretionis, crederet; 1 Cor. 10. 15. *Ut intelligentibus hæc dico: judicate vos quod aio.* Et 1 Cor. 11. 1. *Imitatores mei ſitis, ſicut & ego Chriſti.*

Neceſſitas hujus *Judicii Diſcretivi* ulteriùs evinci poteſt ex principiis quæ rei inſunt. Idque (1) Ex *conditione* & qualitate omnium *Doctorum* ſive Interpretum S. Scripturæ; qui ſe habent tantùm ut διακόνοι ſive *miniſtri* Dei; ideóque eorum interpretamenta non ſine examine ſunt amplectenda. Nam utcunque Deus uti voluit operâ miniſtrorum in docendo, tamen neque voluit illorum autoritatem eſſe regulam fidei noſtræ; neque dedit illorum externæ voci hanc poteſtatem, ut ſine ſpiritu intus illuminante, poſſit fidem in auditorum animis procreare. Hinc Dominus noſter ait, Joan. 5. 39. Joan. 5. 39. *Scrutamini ſcripturas.* ἐρευνᾶν *ſcrutari*, propriè ſignificat ſagaciter inſtar canum feras

feras indefeſſo ſtudio ſectantium, inquirere, atque è latebris eruere. Scribæ & Phariſæi, in Cathedra *Moſis* ſedentes, ac *Moſen* ſingulis ſabbathis, in ſynagogis legentes & explicantes, in dubium vocabant, *Utrùm Chriſtus eſſet Meſſias?* Atque tandem apertè definiebant, *Illum fuiſſe Impoſtorem.* Quare Chriſtus Auditores ſuos ad ſcripturam *Moſaicam* & Propheticam, non frigidè, ſed accuratiſſimè, in ipſis etiam fontibus perſcrutandam, ablegavit. Hoc enim emphaticè deſignat ἐρευνᾶτε, *ſcrutamini.* Nonne igitur peccaſſent *Judæi*, ſi in hac re ſecuti fuiſſent Scribas & Phariſæos, qui publicam obtinuerunt autoritatem? Nota eſt *Auguſtini* hac ex parte regula: *Oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus: ex illa verò parte qua credimus Deo, nos oportet non eſſe ſubditos cuiquam.* Quia omnes homines ſunt tantùm Interpretes & *Diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Hoc de ſe aperto ore agnoſcit *Paulus*, 1 Cor. 4. 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de miniſtris Dei, & diſpenſatoribus myſteriorum Dei.* Nulli ſanè *Diſpenſatori* fides implicita & obedientia abſoluta debetur. (2) Idem probatur ex *natura fidei*, quæ nullum objectum *materiale*, præter verbum Dei; nullúmque *Formale*, niſi Autoritatem Divinam admittere poteſt: Quare omnibus fidelibus incumbit examinare & diſcernere, an conſequentiæ & concluſiones à S. Scriptura deductæ, legitimè

legitimè & neceſſariò inde fluant: Aliter enim Divina fides niteretur Teſtimonio humano; quod maximè abſurdum, immo contradictionem in adjecto implicat, &c. (3) Judicium hoc Diſcretionis homini quà homini eſſentiale eſt. Omnes enim actiones humanæ & morales Judicium prævium requirunt: Et hominem hoc Judicio Diſcretionis ſpoliare, nihil aliud eſt quàm illum ad ordinem Bruti redigere: Quid enim valet Ratio, ſi non ad diſcernendum quid, quale, & quomodo agendum ſit? Pontificiorum igitur fides implicita tale monſtrum eſt, quod ipſa natura humana abhorret, quippe hominem non ſolùm ſuâ Religione, ſed & humanitate denudat; immo illum infra Bruti conditionem deprimit: Melius enim eſt hominem eſſe Brutum, quàm Bruto ſimilem.

Optimè ſanè tractat & demonſtrat *Judicium hoc Diſcretionis* fidelibus indultum, *Davenantius*, de *Judice fid. cap.* 25. ‘Quandoquidem, inquit, perſpicuè demonſtratum eſt, non eſſe Judicem, aut ‘Judices aliquos viſibiles, & miniſteriales, qui ita infallibiliter judicant, de ‘ſenſu ſcripturarum, aut de fidei dogmatibus, ut eorum definitionibus cujuſlibet ‘Chriſtiani conſcientia ſemper teneatur ‘acquieſcere, neceſſarium eſt, ut privatis ‘Chriſtianis ſuum quoque quoddam judi‘cium permittamus——Adeo miſerè diffidunt doctrinæ ſuæ Pontificii, ut ne ſpe‘rare

'rare quidem audeant populum Christia-
'num illam velle admittere, nisi priùs
'cogantur oculos suos occludere, & pro-
'prii Judicii lumen extinguere. Sed ve-
'ritas oculatos discipulos non reformidat,
'immo exoptat. Verissimè scripsit *Lu-*
'*therus*, 'Hoc uno scelere [*nimirum quòd sibi*
'*absolutum Dominium in fidem atque men-*
'*tem Christianorum vendicent*] meritos esse
'Prælatos *Romanenses*, ut ex Ecclesiæ cœ-
'tu tanquam lupi & tyranni pellerentur.
Et *cap.* 33. *fol.* 200. idem palàm declarat.
'Sed scio, inquit, quid malè habet Papi-
'stas nostros: Quia Prælatos Deos non
'facimus, nec nudis eorum assertionibus
'aut Decretis Christianorum fidem alli-
'gamus; inde clamant, nos privatum
'quemlibet in solium judiciarium eveheo
're. Rursus quia Laicos Belluas non fa-
'cimus, neque illis judicii sui usum inter-
'dicimus, vociferantur illico, nos privato
'spiritui singulorum judicium de rebus
'divinis committere. Argumenta au-
tem quibus probat *Davenantius* (de *Jud.*
c. 27.) Judicium hoc. Discretionis apud
privatos, talia sunt. (1) Judicium tale
Discretionis mandatur, *Mat.* 24. 4. 1
Joan. 4. 1. Cautio autem hæc, & proba-
tio, exclusâ actione judicandi, intelligi
non possunt, nedum adhiberi. (2) Si fi-
deles omnes alligentur non ad personas
aut titulos Prælatorum, sed ad Doctrinam
Evangelii, & ad vocem summi & unici
magistri Jesu Christi; tum necessarium
est,

eſt, ut auditores non ſolùm ſpectent qualitatem & autoritatem docentium, ſed etiam ut apud ſe perpendant qualitatem Doctrinæ, & conformitatem ejuſdem cum Doctrina Chriſti, Mat. 23. 8. *Unus eſt magiſter veſter*, Gal. 1. 8. (3) Abſque proprii Judicii prævia actione, fide Divinâ aſſentiri Doctrinæ præpoſitorum eſt planè impoſſibile. (4) Qui idcirco credit, quia Prælati juſſerunt illum credere, nititur tantùm credulitate humanâ, & certitudine acquiſitâ, ac conjecturali. Nam utcunque doctrina propoſita ſit in ſe certa & divina; tamen quoad modum apprehenſionis incerta eſt & conjecturalis in mente illius. (5) Certiſſimum eſt, intellectum cujuſlibet hominis Deo debere hanc ſuam operationem indagandi veritatem. (6) Eccleſiaſtici non debent dominari fidei Laicorum, 2 *Cor.* 1. *ult.* (7) Examen veritatis eò magis requiritur ab omnibus fidelibus; quia, præter naturalem intellectûs lucem habent ſupernaturalem illuminationem. In hoc interno lumine ſive ſpiritûs arcanâ eruditione fundatum dicimus illud *judicium privatæ Diſcretionis*, quod ab omnibus ſalvandis adhibendum defendimus. Idem ſummus ille prudentiæ magiſter *Paulus Venetus*, *in Tract. de Interdict. p.* 193. *Prop.* 12. ‘ Chriſtianus, inquit, non debet ‘ præſtare obedientiam mandato (etiamſi ‘ eſſet ſummi Pontificis) niſi priùs exami- ‘ naverat illud quoad materam an ſit con- ‘ veniens,

'veniens, legitimum, & obligatorium; '& qui nullo habito mandati examine 'ita inconsideratè obedit, peccat: Qui-'cunque enim præceptum sine ulla consi-'deratione exequitur, periculum incur-'rit, eorum quæ contraria sunt legi Divi-'næ. Quàm monstrosa sit fides illa implicita quam requirunt Pontificii notat *Bochart, contre Veron, p.* 942. 'Per mon-'strum illud fidei implicitæ requiritur ut 'plebs fortuitò sequatur, sine vel minima 'notitia, *quid* aut *cur* sequendum est. 'Unde *Thomas*, post Papam *Gregorium*, 'hujus probationem authenticam nobis 'tradit, ex Job. 1. 14. *Cum boves ararent* '*& asinæ pascerent ad eorum latera. Boves* 'volunt esse *Doctores*, & *Asinas Laicos*, qui 'suis Doctoribus adhærere debent. Lepidum sanè glossema, asinino capite dignum, non humano. Modestiùs quidem *Socrates*, referente *Platone*, *Rep.* 6. qui tractaturus de summo bono, optat, ut ille sit par ad tractandum, & auditores pares ad percipiendum tale mysterium; & inde addit, εὐλαβεῖσθε μέντοι μή πη ἐξαπατήσω ὑμᾶς ἄκων κίβδηλον ἀποδιδοὺς τὸν λόγον τοῦ τόκου. εὐλαβησόμεθα, ἔφη, κατὰ δύναμιν· ἀλλὰ μόνον λέγε, &c. *Cavete ne vos invitim seducerem*, &c. Verba sane Christiano ore dignissima. Concludam cum magno illo *Calvini* dicto: 'Parum referre putant Pontificii, quid 'quisque de Deo & Christo teneat, modò 'implicitâ, ut aiunt, fide suam mentem

'Ecclesiæ

‘ Eccleſiæ judicio ſubmittat: Nec valde ‘ afficiuntur, ſi Dei gloriam manifeſtis ‘ blaſphemiis pollui contingat, modò ne ‘ quis adverſus ſedis Apoſtolicæ primatum, ‘ & ſanctæ matris Eccleſiæ dignitatem ‘ tollat.

SECT. V.

S. Scripturæ non indigent Judice, aut Interprete humano infallibili.

10. Corol. S. *Scripturæ non indigent Judice aut Interprete humano Infallibili.* Hoc ex priori ſequitur: Nam ſi omnibus fidelibus à Deo indultum ſit Judicium Diſcretionis, ratione omnium S. Scripturæ interpretamentorum, quid opus eſt Judice aut Interprete humano infallibili, ad fidei Articulos cudendos, aut lites in Eccleſia, de vero S. Scripturæ ſenſu infallibiliter terminandas? In Eccleſiæ Judaicæ declinatione hanc infallibilem clavem ſive poteſtatem, Legem & Prophetas interpretandi, ſibi arripuerunt Scribæ & Phariſæi, populo Judaico à ſuo judicio Diſcretionis totaliter excluſo: Hoc magna cum comminatione redarguit Dominus.

Dominus noſter, Luc. 11. 52. *Væ vobis Legis Interpretibus, quoniam ſuſtuliſtis clavem cognitionis: ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis.* (1) Νομικοὶ, ſive Legis interpretes videntur fuiſſe ii, quos Hebræi חכמים nuncupant, i.e. *Sapientes*, qui aliter nominantur *Legis Scribæ*; ad eos à Scribis politicis diſtinguendos. Hi Legem quidem interpretabantur, ſed privatim, in Scholis ſuis, & ita ut perpauci aut nulli eandem intelligerent: Hoc innui videtur verbis ſequentibus, *ſuſtuliſtis clavem ſcientiæ.* *Clavis*, quâ Janua reſeratur, apud *Judæos* (ut nunc apud nos) in genere inſigne fuit Poteſtatis & Autoritatis; vel *Abſolutæ & regalis*; ſic Chriſto clavis mortis & inferni tribuitur, *Apoc.* 1. 18. & Eccleſiæ ac regni Cœlorum, *Apoc.* 3. 7. Quibus locis ſummum & univerſale ejus Dominium depingitur: vel *Oeconomicæ & miniſterialis*; ſolent enim *Oeconomo*, ſive Diſpenſatori claves domûs dari, ut res neceſſarias aut utiles condere & promere poſſit, prout opus eſt, utì *Eſa.* 22. 22. Ab hoc primario clavis uſu, ſequitur alter magis ſymbolicus & metaphoricus: *Clavis enim cum pugillaribus* apud Hebræos olim inſigne etiam fuit *Doctoratûs.* Ita de quodam *R. Samuele* refertur, quòd eo mortuo clavis & pugillares ejus reconditi fuere in loculo; eò quòd filium non habuit, cui Doctoratûs ſui inſignia poſt ſe relinqueret. Hanc eſſe clavis notionem & ſignificationem

Luc. 11. 52.

hoc

hoc in loco patet ex eo quod dicit Chriſtus, *ſuſtuliſtis clavem cognitionis.* ἤρατε, i. e. interpretante *Theophylacto*, ἀπεκρύψατε, καὶ ἠφανίσατε, *abſcondiſtis & ſuſtuliſtis è medio, ut nuſquam compareat. Arabs* vertit, *arripuiſtis*, aut *in vos ſuſcepiſtis*: Syrus, *ſurripuiſtis.* Utrumque de Legiſperitis rectè dici poſſit, ſed poſterius præfertur à *Grotio*; quia reſpondere videtur ei quod apud *Matthæum* eſt, *Clauditis regnum Cœlorum*; ille enim claudere rectè dicitur, qui clavem in ſera non relinquit: Hoc fecerunt Legiſperiti: Nam omnem S. Scripturam interpretandi facultatem à plebe ſurrripuerunt, & ſibi arripuerunt. Clavem autem ſignificare *S. Scripturæ Interpretationem*, jamdudum rectè conjecit *Tertullianus.* Mos enim erat apud *Judæos*, eum cui poteſtas dabatur Legem & Prophetas interptetandi, clave datâ, quaſi in poſſeſſionem officii mittere: Et illa clavis notabat, Doctorem omnem ſcientiam pectore ſuo quaſi concluſam gerere, & eam aperiturum diſcipulis ſuis. Hanc autem *clavem Scientiæ* malè ſibi arripuere Legiſperiti populi judicio Diſcretivo penitus abſorpto. *Eraſmus* hîc bene παραφράζει: 'Etiam atque etiam væ vobis Legiſperitis, qui cum profiteamini Legis cognitionem, quæ ſpiritualis eſt, & vendicaveritis vobis clavem ſcientiæ, quæ debebat aperire aditum in regnum cœlorum; tamen non ſolùm ipſi non introiſtis, verùm alios introire volentes

'volentes excluſiſtis; Dum enim legem 'perperam interpretamini, oppugnatis 'id, quod eſt totius legis caput, &c. Quibus aliquid, ſed non totum ſenſûs explicare videtur: Legiſperiti enim non ſolùm perperam interpretabantur S. Scripturam, ſed excluſo populi judicio Diſcretionis abſolutam, infallibilem, & ſolitariam poteſtatem Legem & Prophetas interpretandi ſibi arripiebant. Ita quidam *Gallicè* in Luc. 11. 52. *Nam arripuiſtis vobiſmet clavem ſcientiæ*, i. e. 'Per veſtra 'Artificia & Uſurpationes vobiſmet ipſis 'appropriaſtis unicam Autoritatem ex'plicandi legem Dei; conſcientias ho'minum captivas ducentes, & ſubjugan'tes veſtris gloſſematibus; eaſdémque 'ſpoliantes omni libertate judicandi, & 'diſcernendi. Talis fuit Legiſperitorum tyrannica uſurpatio, ratione *clavis ſcientiæ*, ſive poteſtatis S. Scripturam interpretandi. Eandem *clavem ſcientiæ* ſive poteſtatem judiciariam & infallibilem S. Scripturam interpretandi ſibi arripuerunt Papa & Concilia *Romanorum* generalia: ſed τὸ αἴτιον ψεύδους, cauſa & origo hujus erroris eſt talis: Præſumunt Pontificii Interpretamentum S. Scripturæ à Papa, aut ſaltem à Concilio generali pronunciatum, eſſe in ſe infallibilem, & eodem modo obligare, quo ſententia Prætoris, aut Juris Interpretis in foro civili. Haud negandum eſt quòd apud *Romanos* Interpretes Juris olim à publico deputabantur:

putabantur: Et hi dicebantur Juriſconſulti, à quorum opinionibus Judices recedere non poterant, utì *Juſtin. Inſtitut. l.* 1. *Tit.* 2. Horum Juriſconſultorum ſententiæ (quibus à *Cæſare* jura interpretandi facultas data erat) *Reſponſa Prudentum* vocantur: quæ uſque adeo juris pondus obtinebant, ut nec cuiquam judicum ab his recedere fas eſſet. Unde Juriſconſulti domus oraculum civitatis appellatur à *Cicerone*. Sed in rebus fidei non dari talem Interpretem Judiciarium, cui ab omnibus Chriſtianis fides ſimpliciter & abſolutè adhibenda ſit, optimè demonſtrat *Davenantius*, de *Jud. c.* 18. *fol.* 103. ‘Quòd, inquit, præſumunt Adverſarii, ‘ſententiam à Concilio pronunciatam in ‘rebus fidei, eodem modo obligare, quo ‘obligat ſententia Prætoris in rebus ex‘ternis, falſum & impium eſt. Nam ſi ‘ſummus Magiſtratus Politicus, per ſen‘tentiam injuſtam ſpoliaverit ſubditum ‘ſive bonis, ſive vitâ, parendum eſt; ‘quia & bona & vitam ſine peccato po‘teſt ejus ſententiæ ſubjicere: ſed ſi Ma‘giſtratus Eccleſiaſtici per ſententias ini‘quas & falſas conentur privare ſubditos ‘ſuos verâ religione & fide, non licet pare‘re; quia nemo ſine peccato poteſt fidem & ‘pietatem abjicere. Verè & piè *Mirandula‘nus*, de *fide*, & *Ord. Cred. Theor.* 16. *Si Concilium contra Divinas literas, contráque ea, quæ ‘violare nefas eſt, decernere quicquam vellet, ‘ſimplici ruſtico*, & infanti, & aniculæ, *po‘tius*

'*tius quàm Pontifici maximo, & mille Epiſco-*
'*pis credendum eſt.* Sic *Lutherus*: Volo non judice humano Dei ſcripturam, ſed ſcripturâ judice omnium hominum ſcripta, dicta, facta intelligere. Iterum: 'Unuſquiſque, inquit, noſtrûm videat, ut 'ita ſcribamus, legamus, doceamus, diſcamus, ne, relictis Bibliis, denuò nobis 'acervemus Patres, Doctores, Concilia, 'Decreta, Articulos Decretales, & colluviem humanarum traditionum & opinionum. Ita *Aquinas*; 1. 2. *Q.* 91. *A.* 1. 'Judicium humanum præcipuè de rebus 'contingentibus & particularibus eſt fallibile; unde contigit de actibus humanis diverſorum eſſe diverſa judicia: ex 'quibus etiam diverſæ & contrariæ leges 'procedunt. Ut ergo homo abſque omni 'dubitatione ſcire poſſit, quid ei agendum eſt, quid vitandum, neceſſarium 'fuit, ut in actibus propriis dirigeretur 'per legem divinam, de qua conſtat, 'quòd non poteſt errare. Argumenta, quibus *Davenantius* refellit infallibilem ac abſolutam hanc S. Scripturas interpretandi facultatem, ſunt hæc. (1) *Arg.* 'Sub Veteri Teſtamento Judicium Concilii non fuit infallibile, ergo nec ſub no-'vo——Nam Eccleſiæ Doctores non judi-'cant rectè, niſi quando judicant ex ore 'Legis: at Collegium Sacerdotum ex 'magna parte legem ignorabant, *Eſa.* 59. 10. *Jer.* 2. 8. (2) 'Si Eccleſia Chri-'ſtiana habet hanc judicandi infallibili-'tatem,

'tatem, tum ex promiſſionibus Divinæ 'Aſſiſtentiæ. At hoc non. Ergo. (3) 'Quos Deus in ſententiis ferendis tutos & 'exemptos facit ab omni errore, illis con-'cedit illa media, quibus homines per-'ducuntur in certam cognitionem verita-'tis, &c. Iterum, *fol.* 121. 'Non igi-'tur tenetur Eccleſia abſolutè & in 'omnem (ut loquuntur) eventum ſequi 'paſtores ſuos; ſed in quantum illi utun-'tur voce ſummi paſtoris: Nam oves 'Chriſti vocem ejus audire tenentur. Idem addit *cap.* 21. *fol.* 125. 'Spiritus 'veritatis ſic aperit & dirigit corda ele-'ctorum, ut paucis potiùs credant ſanam 'doctrinam proponentibus, quàm in-'numeris, ſub prætextu poteſtatis ſuæ, '& judicii infallibilis peſtiferos errores 'obtrudentibus, *Joan.* 7. 17. Poſtremò '(inquit *c.* 24. *fol.* 143.) ipſe *Bellarminus* 'agnoſcit ſcripta patrum non eſſe *regulas* '*fidei*, nec habere autoritatem obligandi. 'At Conciliorum Decreta nihil aliud 'ſunt, quàm ſcripta patrum in Synodis 'congregatorum.——*Omnis creata veritas*, 'inquit *Aquinas*, *eſt defectibilis, niſi quate-*'*nus veritate increatâ rectificatur.* Judici-um ſuum hac in re plenè tradit *Davenant. de Jud. fid. c.* 17. 'Noſtrorum, inquit, 'ſententia eſt, tum ſingulos paſtores, tum 'congregatos eſſe errori obnoxios; ne-'que eſſe in Eccleſia militante ullum Ju-'dicem viſibilem, aut cœtum judicum vi-'ſibilium, & externorum, qui infallibi-'liter

'liter pronunciat de ſenſu ſcripturarum, aut
'de Dogmatibus ad fidem & cultum per-
'tinentibus. Deinde *Cap.* 18. *fol.* 98.
'ſic progreditur. Ad Act. 15. 28. *Vi-* Act. 15. 28.
'*ſum eſt Spiritui S. & nobis*; Reſpondeo,
'inquit, Non eſſe parem autoritatem ali-
'orum Conciliorum: Nam primum hoc
'Concilium conſtabat ex Apoſtolis, qui
'extraordinariam habebant Spiritûs S.
'aſſiſtentiam & illuminationem. Sin con-
'ſtet ex ordinariis Eccleſiæ rectoribus,
'eatenus eorum Decreta erunt Spiritûs S.
'Decreta, quatenus audiunt Spiritum S:
'in ſcripturis loquentem. Sed objiciunt
Pontificii, *Eccleſiam univerſalem non erra-*
re, &c. 'Reſpondeo, (inquit *Davenant.*
'*fol.* 101.) (1) Illud λῆμμα, *Eccleſia*
'*univerſalis non errat*, ad verè fideles &
'pios reſtringendum eſſe, ex quibus
'Sancta Catholica Eccleſia coaleſcit;
'non ad omnes promiſcuè diffundendum,
'qui vel vivunt in Eccleſia, vel præſunt
'Eccleſiis. (2) Dicimus hunc ipſum po-
'pulum fidelem non errare perſeveranter
'in abſolutè neceſſariis ad ſalutem; er-
'rare tamen poſſe multos ex ipſis fidelibus
'ad tempus, atque in Dogmatibus levio-
'ris momenti; ac proinde huic ipſi Ca-
'tholicæ Eccleſiæ, ſi poſſet in locum unum
'congregari, abſolutam judicandi infalli-
'bilitatem non competere. Ex hiſce ſa-
tis liquet, nullum dari inter mortales ju-
dicem ſive interpretem infallibilem ac
abſolutum, cui omnes Chriſtiani in S.

Scripturæ interpretatione, & rebus fidei, conſcientias ſuas ſubjicere teneantur.

SECT. VI.

De S. Scripturæ Senſu ac Interpretatione.

11. Corol. *Oportet Theologos ac fideles, ſi nolint errare in ſcriptura interpretanda, ferventibus precibus, ſummáque diligentiâ uti.* In S. Scriptura ſunt συνέσεις, 2 *Pet.* 3. 16. quæ non ſine ſumma diligentia & Spiritûs S. illuminatione intelligi poſſunt. Ita Pſal. 119.

Pſal. 119. 129. 129. *Mirabilia ſunt teſtimonia tua.* פלאות, *mirabilia*, i. e. quoad latentes ſenſus, & ſublimia myſteria, nec omnibus obvia. Sic *Deut.* 17. 8. Non ita humilia ſunt aut inania tua verba, ut ſupercilioſi putant; ſed abſtruſa, & quæ mentem noſtram tranſcendunt. Reconditam quandam ſcientiam & ſapientiam inexhauſtam continent. Inde ſequitur: *Ideo cuſtodit ea anima mea. Cocceius* ſic: *Ideo ſcrutata eſt ea anima mea.* Occulta verbi Dei myſteria maximè ſcrutanda ſunt: ſcrutantibus enim multum luminis afferunt. Ita ſequitur,

130. v. 130. *Apertio verborum tuorum illuminat: prudentiâ inſtruit ſimplices.* פתח, *Apertio*, ſive *Apertura*, i. e. *Explicatio* & *Interpretatio* verbi tui illuminat. *Aperire* eſt clauſa recludere, i. e. obſcura illuſtrare. q. d.

Verbum

Verbum tuum, cùm explicatur, lumen affert mentibus. Ideo à **LXX** vertitur δήλωσις, *manifeſtatio.* Inde ſequitur, *& intellectum dat parvulis*, vel *ſimplicibus*, i. e. indoctis & ignaris ſcrutantibus, modò non tumeant ſpiritu. Unde addit *David*, v. 131. *Os meum diſtendo, & anhelo; quia mandata tua deſidero*, i. e. Tanto Legis deſiderio flagrat cor meum, ut ſubinde cogar haurire aerem: ut qui ardenter perſequitur rem aliquam, ut aſſequatur eam, in curriculo ſuo ſæpe diſtendit os ſuum, ut faciliùs reſpiret. Tanto deſiderio flagrabat cor *Davidis* ad verbum Dei intelligendum. Plura videas *Poli Synopſ.* in loc. 131.

Sed ad S. Scripturæ ſenſum fœciliùs dignoſcendum & eruendum, ſequentes Diſtinctiones, & Regulæ ſunt notatu digniſſimæ. 1. *Senſus S. Scripturæ literalis eſt accuratiſſimè trutinandus, & diligentiſſimè eruendus.* Multùm diſſeritur, tam apud Judæos, quàm apud Chriſtianos, de ſenſu S. Scripturæ *Literali* & *Myſtico*: Ego totum tantâ quâ poſſum brevitate ac perſpicuitate abſolvam. Senſus in genere nihil aliud eſt, quàm id, quod oratione, vel *Orali* vel *Scriptâ*, intelligendum offertur: Græcè dicitur διάνοια. Scripturæ igitur ſenſus eſt id, quod Deus ipſe, ejuſdem Autor, in ſcripturis, tanquam accurato Divinæ voluntatis ſpeculo, hominibus cognoſcendum, atque intelligendum offert. Apud Hebræos ſenſus literalis nuncupatur שמוע *Auditus*: Inde phraſis,

לפי משמעו *ſecundùm auditum ejus*, i. e. ſecundùm proprium ſenſum literalem. Nominatur etiam הפשט & פשיטא à פשט *extendit, expandit*. q. d. Explicatio ſimplex perſpicua, & aperta. Ratione habitâ ad ſenſum *myſticum* vocatur, דבר קטן *res parva*: quòd ſit facilis & obvius: Faciliùs enim eſt adplurimum ſenſum ſcripturæ literalem intelligere, ſaltem quoad verba. Senſus autem *myſticus* appellatur דבר גדול *res magna*. Apud Græcos *ſenſus literalis* vocatur τὸ ῥητὸν, διάνοια; & ſæpiùs voce ῥητὸς exprimitur. Quantùm ad rem ipſam *ſenſus literalis* variè deſcribitur à Theologis. *Aquinas, part.* 1. *Q.* 1. *A.* 10. Senſum literalem deſcribit, *eum quem Autor intendit*. Ita *Joannes de Raguſio*, de communione ſub utraque ſpecie, *propoſ.* 5. *Senſus literalis Scripturarum S. principalis eſt ille, non quæ litera prætendit; ſed quem Autor earum, ſcilicet Spiritus S. intendit*. Ita *Gerſon*, ſenſum literalem accipiendum eſſe vult, *non ſecundùm vim Logicæ ſed potius juxta locutiones in rhetoricis ſermonibus uſitatas: & juxta tropos & figuratas locutiones, quas communis uſus committit*. Alii autem per ſenſum literalem intelligunt eum, qui ex verbis ſcripturæ propriè & ſine ullo tropo intellectus elicitur, ſeu quem ipſa verborum proprietas præ ſe fert. Ita *Bellarminus* deſcribit ſenſum literalem, *quem verba immediatè præ ſe ferunt*. Etſi hæc poſterior ſenſûs literalis deſcriptio ſimpliciter

non

non ſit admittenda; quia tum ſequeretur, quod *Herodes*, ſecundùm ſenſum literalem ſcripturæ, fuit *Vulpes*, uti *Luc.* 13. 32. tamen ex parte poſſet admitti, & cum prioribus deſcriptionibus ſimul conjungi; Adeo ut ſenſus literalis diſpeſci poſſit in *proprium*, & *figuratum*: ſenſus literalis *Proprius* eſt, qui ex verbis propriè acceptis elicitur, ſecundùm poſteriorem deſcriptionem: Senſus literalis *Figuratus* eſt, qui oritur ex verbis *tropicè* & *modificatè* acceptis. Senſus autem literalis in genere, quatenus abſtrahit à proprio, & tropico, non eſt is, qui (ſecundùm *Bellarminum*) ex verbis ſcripturæ propriè & ſine tropo intellectis eruitur; ſed, ſecundùm priores Deſcriptiones, quem intendit ſpiritus; & qui ex verbis juxta dicentis ſcopum, antecedentium & conſequentium cohærentiam, ſcripturæque analogiam, ſive verba illa ſint propria, ſive tropica, elicitur. Ita *Cunæus*, *de Repub. Hebr. l.* 3. *c.* 8. *p.* 348. ‘Quicquid fatidici vatum ‘libri, quicquid hagiographa continent, ‘ejus eſt duplex ſignificatio; una *nuda*, ‘quæ פשט rectè dicitur; altera *obſcura* ‘*latéuſque*, quam vel אגדתא vel דרש ‘appellare licet; quia eruenda, veſtigandáque eſt. Vetus eſt Rabbinorum Verbum; Nuſquam, inquiunt, ſcriptura ‘eſt abſque ſenſu ſimplici; ſed habet pariter, ut myſticum, ita & ſimplicem; ‘his duobus non eſt ut careat. Vide *Chamier. Panſtrat. Tom.* 1. *l.* 15. *c.* 1. *Glaſſ.*

Philolog. S. lib. 2. Par. 1. Tract. 2. Sect. 1. Hotting. Theſaur. Philolog. lib. 1. cap. 2. Sect. 7. Hinc,

2. *Senſus* S. *Scripturæ*, *ſecundùm ſuam latitudinem*, *non eſt niſi unicus.* Ita *Lutherus*: ‘ Literalis ſenſus ſcripturæ ſolus ‘ tota eſt Fidei & Theologiæ Chriſtianæ ‘ ſubſtantia ; qui in tribulatione & ten- ‘ tatione ſolus ſubſiſtit, & portas inferni, ‘ cum peccato & morte, vincit. Iterum : ‘ Neceſſe, inquit, eſt unius loci tantùm ‘ unam eſſe propriam, certam & veram ‘ ſententiam. Et ratio eſt evidens. Scriptura enim, cùm ſit filei regula, non, tanquam *Leſbia*, ad arbitrium aut figmenta ingenii humani in di- verſos ſenſus diſtorqueri debet : Ejus ſimplicitas & unitas nullius diviſionis vulnus pati poteſt. Ita *Alſtedius*, *l. 2. Pracog. Theol. c.* 10. ‘ Scriptura S. non eſt ‘ ambigua ; ſed quælibet vox & phraſis in ‘ eadem ſententia & conſtructione eâdem, ‘ uno ac eodem loco, habet unicam tan- ‘ tùm ſignificationem, unicum ſenſum, ‘ non plures. Nam tum demum eſt e- ‘ nunciatio vera, cùm unum dicitur : ſed ‘ unum non dicitur, cùm voci ſeu phraſi ‘ eidem duplex affingitur ſignificatio in ‘ eodem loco. Immo ipsâ Rabbinorum regulâ hoc ſtabilitur : dicunt enim אין מקרא יוצא מידי פשוטו, *Scriptura non egreditur ex ſimplicitate ſua*, i.e. extra ſimpli- cē literalē ſenſum, vel propriū, vel tropicū. Ita *Ameſius*, *Bellarm. enerv. Tom. 1. l. 1. c. 5.*

‘ Significa-

'Significatio illa quorundam locorũ ſcri-
'pturæ, quâ reſpiciuntur Typi & res Typis
'adumbratæ, non continet duplicem ſen-
'ſum verborum, ſed unum ſenſum verbo-
'rum, & alium Typorum, qui cùm ad res
'alias ſignificandas accommodantur, ſe-
'cum ferunt verba quibus explicantur.
'Pontificii contendunt unum & eundem
'cultum in imagine & exemplari termi-
'nari: quidni igitur & unus ac idem
'ſenſus verborum ad typum poſſit referri
'& ad rem typo adumbratam? Inde
Glaſſius ſtrenuè probat, *per univerſam Scripturam S. unius vocis phraſeóſque unam tantùm ſimplicem & literalem eſſe ſignificationem*: qui tamen ſenſum myſticum à literali diſtinctum admittit. Rationes, quibus confirmatur noſtra Theſis, ſunt tales. (1) A Scripturæ S. *Perſpicuitate*. Quicquid diverſos admittit ſenſus, illud in ſe ac per ſe eſt obſcurum: At talis non eſt S. Scriptura. (2) A ſenſûs & ſignificationis Natura. Forma rei eſſentialis eſt unica: At ſenſus literalis eſt forma verborum in S. Scriptura: Ergo. (3) A S. Scripturæ Fine: qui eſt nos in rebus fidei & morum inſtruere. (4) A S. Scripturæ *Certitudine*: quæ cum diverſitate ſenſuum in uno eodémque loco conſiſtere nullo modo poteſt. (5) A veritatis unitate. Verum & unum convertuntur: At S. Scripturæ ſenſus eſt verus: Ergo & unus. (6) Quia omnis ſenſus myſticus includitur in literali ut pars in toto: ſen-

ſus enim myſticus non eſt niſi ſenſus literalis *figuratus*, in ipſis verbis vel rebus incluſus. Ita *Freder. Spanhemius, Dub. Evangel. Dub.* 67. ‘Nec verò *Unitas* S. Scripturæ, & Formæ & enunciationis ejus, labefactatur, tametſi admittamus *ſenſum literalem* ſimul & *myſticum* in quibuſdam S. Scripturæ locis; tum quia ſenſus myſticus non tam verbis ſignificatur quàm rebus, tum quia harmonia datur & σχέσις *ſenſûs literalis* ad *myſticum*, Typi ad *Antitypum*, & ex utroque demum ſenſus *Integer* & *Completus* exurgit; tum quia duplex enunciatio reperitur in talibus implicitè, etſi una explicitè tantúm. Hinc,

3. *Etſi S. Scripturæ ſenſus ſit Unicus, diverſas tamen admittit Explicationes & Applicationes partiales.* Ita Rabbini volunt, S. Scripturæ ſenſum multoties poſſe applicari: Dicunt enim, מפורסם בינינו שבעים פנים לתורה, *manifeſtum eſt inter nos, Legem ſeptuaginta habere facies*, i. e. varias *Applicationes*. Quod effatum ita explicat *R. Salomon Jarchi*, *Præfat. in Cant. Canticor.* מקרא אחד יוצא לכמה &c. *Una eadémque ſcriptura in multos deduci potiſt ſenſus: ſumma tamen hæc eſt tenenda; quemque locum ſuum certum habere ſenſum ſimplicem ac literalem.* Ita *Tilenus, Syntagm. Diſput.* 7. ‘Sententiam ‘eorum, qui cuilibet ſcripturæ loco, quatuor, vel etiam quinque ſenſus affigunt, ‘vel potiùs affingunt, falſam eſſe affirma-

‘mus;

'mus; unicúmque eſſe dicimus ſenſum, 'quem verba rectè intellecta gignunt, ſive 'ea propria ſint, ſive figurata. Varios ta'men & multiplices ſcripturæ tractandæ 'modos eſſe minimè negamus: Et quæ 'veteres præter hiſtoriam, de *αἰνολογία*, '*ἀλληγορία*, *τύπῳ*, & *ἀναγωγῇ* tradide'runt, haud reſpuimus; ſed commodè '& dextrè accipienda eſſe monemus. Pontificii ſenſum ſcripturæ diſtinguunt in *literalem* & *myſticum*: Et *myſticum* iterum diſpeſcunt in (1) *Allegoricum*, qui ad Chriſtum vel Eccleſiam pertinet: (2) *Tropologicum*, qui ad mores, (3) *Anagogicum*, qui ad cœlum. Sed abſurdum videtur ex variis rebus ſignificatis varios ſenſus excudere: ſimpliciùs unicum tantùm ſenſum eúmque literalem agnoſcimus, qui varias admittat explicationes & applicationes partiales; quæ non ſunt opponendæ, ut ſpecies contrariæ, ſed componendæ ut partes ſubordinatæ vel coordinatæ ejuſdem ſenſûs literalis. Ita *Lutherus*: 'In ſcholis Theologorum notiſſi'ma regula eſt, ſcripturam quadrupliciter 'intelligendam: Alium enim eſſe ſen'ſum *Hiſtoricum*, ſeu literæ, alium *Tropolo'gicum*, alium *Anagogicum*, alium *Allego'ricum*. Ego quidem facilè patior, unum'quemque abundare ſuo ſenſu: ſed no'ſtrum ſtudium in hoc præcipuè ponen'dum eſt, ſi ſacra dextrè tractare volu'mus, ut *habeamus unum ſimplicem germa'num, & certum ſenſam literalem.* Si qui tamen

tamen arrideat, cum *Chamiero*, *Glaſſio*, & aliis, ſenſum S. Scripturæ diſtribuere in *Literalem* & *Myſticum*, hiſce conditionibus conceſſis, non contranitor. (1) Ne ſenſus myſticus literalem evertat, aut impugnet; ſed eundem præſupponat. (2) Ne ſenſus literalis ſit derelictus, niſi ubi ipſe textus, aut evidens myſterium, aut ipſa rei natura ad ſenſum myſticum amplectendum cogat. (3) Ne ſenſus myſticus proferatur pro certo argumento ad confirmanda controverſa. (4) Ut ſenſus literalis ſit primarius, ſenſus myſticus ſecundarius. Mihi tamen magis arridet, ut ſenſus Myſticus etiam ſub Literali, non *proprio*, ſed *figurato* contineatur.

4. Inter ſenſus myſticos primum locum obtinet *Allegoricus*. Immo accuratè loquendo, ſenſus *Typicus* & *Parabolicus* ſub *Allegorico*, ut ſub genere ſpecies, ferè continentur: Ratione enim etymi, Ἀλληγορία eſt, quando aliquid dicitur, & ſub dicto aliud intelligitur: Quod etiam Typis & Parabolis convenit. Allegoriæ autem nomenclatura ſtrictiùs ſumta aliquid à Typis & Parabolis diverſum innuit. Allegoria duplex ſtatuitur; una verborum, alia rerum: Illa Rhetorica, hæc Theologica à nonnullis nominatur: Illa nihil aliud eſt quàm metaphora continuata, quæ pertinet ad doctrinam de Tropis: hæc verò, de qua hîc agendum eſt, definitur à *Glaſſio*, *Rei alicujus myſtica ſeu ſpiritualis*,

ritualis, per aliam in ſcripturis narratam Repræſentatio. Allegoria hæc duplex eſt, *Innata & Illata.* Innata eſt, quæ in ſcripturis ipſis expreſsè traditur: Et hæc propriè eſt ſcripturæ ſenſus *myſticus.* Illata Allegoria eſt, quam ipſa ſcriptura non oſtendit, ſed quæ ab Interpretibus infertur. Quouſque in deducendis Allegoriis progrediendum ſit, ſequentes traduntur regulæ. (1) *Allegoriæ ultrà procedere non debent, quàm præeuntem habeant ſcripturæ regulam.* Vel ſic: *Allegoria illata debet eſſe oblata, non extorta, & contorta.* Allegoria *oblata* eſt, quæ probabile fundamentum habet in literali ſenſu, & convenientiam rerum analogicam. *Extorta & contorta* Allegoria eſt, quæ non habet probabile in ſenſu literali fundamentum, nec convenientiam cum re à qua deſumitur, aut cum Analogia fidei. Hac ex parte culpandus eſt Origenes, quòd, uti notat *Epiphanius*, ἀλληγορῆ ὅσαπερ δύναται: Cùm, *πάντα τὰ θεῖα ῥήματα οὐκ ἀλληγορείας δεῖται, omnia divina verba non Allegoriâ indigeant.* (2) *In Allegoriis eliciendis maximè cavendum eſt, ne ſenſus literalis S. Scripturæ ſit obrutus.* Hoc etiam crimen fuit Origenis. Inde *Lutherus*: 'Allegoria tractatori ſcripturarum fugi-'enda eſt, quantùm fieri poteſt, ne ſimpli-'citate ſenſûs amiſsâ, vagetur in meris 'ſuis ſomniis. Et *Lyranus*, in *Prol. Bibl.* 'Sicut, inquit, ædificium declinans à fun-'damento diſponitur ad ruinam: ita ex-

'poſitio

'poſitio myſtica à literali ſenſu diſcre-
'pans, ſit reputata indecens, & inepta.
Senſus literalis debet eſſe fundamentum myſtici. Ita *Lutherus*: 'Diligenter,
'inquit, diſtiguendum eſt inter funda-
'mentum, & ædificium quod ſuperſtru-
'itur: Allegoria non ſit fundamentum,
'ſed ſit ſuperficies. (3) *Quoties occurrit locutio Allegorica, cujus tamen ſenſus literalis eſt res geſta, locutio etiam referenda eſt ad rem geſtam.* (4) *Allegoriæ adhibeantur aptæ, & fidei Analogiæ congruæ.* Allegoriæ enim Origenis & Monachorum myſticæ; necnon Judæorum Cabbaliſticæ ſunt inanes, ſpuriæ, aniles, ac febriculoſæ. Ita *Lutherus*: 'Allegoriæ ſunt tanquam
'ſpumæ S. Scripturæ. Item: Eſt Allego-
'ria tanquam formoſa meretrix, quæ ita
'blanditur hominibus, ut non poſſit non
'amari, præſertim ab hominibus otioſis.
(5) *Allegoriæ illatæ non Argumentationi ſed illuſtrationi tantùm inſervire debent.* Vetus eſt in ſcholis effatum: *Theologia Allegorica non eſt Argumentativa.* Quod intelligendum eſt de Allegoriis *Illatis*. De his ita loquitur *Lutherus*. 'Allegoriæ non
'pariunt firmas probationes in Theo-
'logia, ſed, velut picturæ, ornant & illu-
'ſtrant rem. Quamvis autem nullam vim argumentativam tribuamus allegoriis illatis, ab hominibus fictis, ſi tamen certò appareat, Spiritum S. aliquam Allegoriam intendiſſe, firmiſſima argumenta inde deducuntur, uti *Ameſ. Bellar.*

Bellar. enerv. Tom. 1. *l.* 1. *c.* 5. Hinc (6) *concludendum est, Allegorias solùm innatas S. Scripturæ fide divinâ amplectendas esse.* Ita *Lutherus*: *Qui allegoriis uti volunt, iis utantur, quas indicârunt Apostoli, & quæ habent fundamentum certum in ipsa litera historiæ.* Optimè *Glassius*: 'Si Spiritus 'S. in scripturis aliquid allegoricè inter-'pretetur, tutò allegoriam sequamur, ut-'pote non ad suavitatem modò, sed ad 'dogma etiam probandum utilem. Re-'liquas verò, quæ ab Interpretibus com-'modâ ratione afferuntur, non pro fir-'mis dogmatum probationibus, sed pro 'secundariis tantùm ornamentis & illu-'strationibus habeamus.

5. Sensùs Typici Interpretatio sequentibus canonibus, ad mentem *Glassii* ac aliorum compositis, breviter erui potest. (1) *Typi ad Antitypum applicatio fiat commoda.* (2) *In Typis & Antitypis appellationum quandoque permutatio contingit, ut Antitypus typi; & è contrà typus Antitypi, nomen sibi vendicet.* (3) *Una res typus est quandoque duorum, etiam contrariorum, diversâ autem ratione.* (4) *Quando unius rei multi sunt typi partiales, tum de Antitypo non ex uno, sed ex omnibus conjunctim judicandum est.* (5) *Plus est in Antitypo quàm in Typo.* (6) *In explicatione Typorum V. T. maxima cum diligentia inquirendum est, an umbra, an verò ipsa veritas proponatur.* (7) *In Typis propheticis summo studio dispiciendum*

est,

eſt, ubi Chriſtus cum officio mediatorio ſeipſum manifeſtet, & ubi alia Divina tum officia, tum beneficia & judicia. (8) *Quod typi præſtiterunt carnaliter, hoc Chriſtus Antitypus præſtat ſpiritualiter.* Plus enim, non minus, ſemper eſt in Antitypo, quàm in typo. (9) *Quicquid vel in Regibus, vel in Prophetis, vel etiam in Sacerdotibus, quos Deus ante Meſſiæ tempora conſtituebat, peculiare fuit, an id pertineat ad ſtatum abjectum, vel eminentem, idem in Chriſto, gradu eminentiori, elucet, utpote qui peculiari quodam modo Eccleſiæ Rex, Sacerdos & Propheta conſtitutus eſt.* (10) *Quotieſcunque ita de ſe loquuntur Prophetæ, Reges & Sacerdotes, ſpiritu Dei afflati, ut quæ de ſe prædicant, Chriſto aptiùs, quàm ipſis conveniant, de Chriſto agi præcipuè determinandum eſt*; uti Pſal. 2. Pſal. 45. Inde illud dictum: *Deus ſolet uno ſigillo varias materias ſignare.* (11) *Quod typo convenit, quà typus eſt, per ſe ac primariò Antitypo, typo autem per accidens & ſecundariò tantùm convenit.* (12) *Typus cum Antitypo convenire debet in eo quo fit collatio.* (13) *Ad convenientiam typicam ſufficit, ſi in eo, quò tendit typus, reſpondeat Antitypus*: ſimilitudines enim non reſpondent ad ſpeculum. (14) *Deus in ſpeculo ſuæ Doctrinæ typicæ ita ſe ſemper oſtendit, ut ſpiritualis eſſet cognitio.*

6. Ad ſenſum *parabolicum* eruendum, præmonendum eſt, *parabolam* eſſe

esse similitudinem, seu comparationem, quâ res aliqua ut gesta & confecta appositè fingitur, & narratur, & cum alia re spirituali confertur, seu ad eam significandam accommodatur. Parabola differt ab Historia, & Exemplo; sed non à Fabula, nisi ratione Autoris & materiæ. Sacra enim Parabola est fabula spiritualis; & fabula est parabola humana & moralis. In parabolis duæ sunt partes πρόταση, & ἀπόδοσις. πρόταση, *propositio*, quæ habet se ut cortex, est similitudo sensibilis, suo sensu literali constans: Ἀπόδοσις, *Redditio*, (sive medulla) est parabolæ sensus mysticus sive moralis; nimirum, ipsa res ad quam parabolæ fit accommodatio, seu quæ per similitudinem propositam significatur. His præmissis sequuntur Regulæ ad parabolas explicandas accommodatæ. (1) *Parabola non est trahenda ultra comparationis terminum.* Parabola enim est similitudinis species: Omne autem simile est aliquo modo dissimile. (2) *Multùm conducit ad parabolarum interpretationem, rerum quæ ut gestæ finguntur naturas & proprietates cognoscere.* (3) *In explicatione & applicatione Parabolarum rectè instituendâ Dicentis scopus est maximè attendendus, & penticulatiùs trutinandus.* Scopus enim Dicentis est parabolæ Radix. (4) *In parabolæ interpretandæ singulis vocibus non operosè elaborandum, nec in singulis partibus accurata accommodatio ad sensum mysticum sive spiritualem expectanda est.*

His

His de genuino S. Scripturæ ſenſu penetrando prælibatis, reſtat, ut de *Mediis*, & *Canonibus*, ad S. Scripturam interpretandam maximè idoneis, agamus. Media, quibus ſacræ Scripturæ ſenſus expiſcandus eſt, ſunt vel *Externa*, vel *Interna*: Media *Externa* ſunt, vel *Principalia*, vel *Inſtrumentalia*. Medium externum *principale* eſt *Spiritus Dei*, qui fuit ejuſdem ſcripturæ Autor. Nemo enim verbum Dei fœliciter interpretari poteſt, niſi qui illud Spiritu Dei, tanquam clavi, reſerat. Haud neſcius ſum, quoſdam Neotericos (qui ad Socinianorum provinciam hac ex parte ornandam nimis ſunt propenſi) *Rationem* humanam S. Scripturæ *Judicem* ac *Interpretem* primarium conſtituiſſe. Inter hos, ut mihi videtur, meritò annumeratur *Wolzogius* Belgicus; qui in libellis ſuis, *de Interprete ſcripturarum*, Rationi humanæ principalem locum aſſignat. Sed Rationem humanam non eſſe *Regulam*, *Judicem* aut *Interpretem* principalem fidei, aut S. Scripturæ, ſatis probavimus, *cap.* 7. §. 2. Reſtat nunc, ut Spiritûs S. principalem Illuminationem ex ipſa S. Pagina demonſtremus. Ita 1 Cor. 2. 10, 16. v. 10. *Nobis autem Deus ea revelavit per ſpiritum ſuum: ſpiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.* πάντα ἐρευνᾷ, τὰ βάθη τοῦ θεοῦ, *Omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.* i. e. Nihil in Deo tam profundum ac abditum, quod non penetret ſpiritus, per quem abditiſſima.

1 Cor. 2. 10, 16.

ma etiam Dei docemur. Idem v. 11. *Ita etiam ea quæ sunt Dei, nemo novit nisi spiritus Dei.* Quid vult Apostolus hîc per *ea quæ sunt Dei*, nisi *ea quæ revelavit per spiritum*, in S. Scripturis, uti v. 10? Hæc pleniùs explicat v. 16. *Quis enim novit mentem Domini? τὸν νοῦν.* Idem sequitur: *Nos autem τὸν νοῦν Χριστοῦ* habemus. Aliqui per *τὸν*, *mentem*, intelligunt *voluntatem* ac *consilium*; Theophylactus, *Intelligentiam*; Beza, *spiritum*. Sed mihi maximè arridet *Veteris Interpretis* versio, qui *τὸν sensum* interpretatur. Vox enim *νοῦς*, contracta à *νόος*, propriè *mentem*, translativè verò *cogitationem*, *consilium*, *voluntatem*, ac *sensum verborum* designat. Sic apud *Aristoph.* *τὸν δ' ἔχει τινα*; *quis est verborum horum sensus?* Ita *Glassius* vult, *τὸν* hîc *sensum* significare. Hoc patere videtur ex *v.* 14. ubi dicitur, quòd *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs Dei*, i. e. quòd scripturas, & mysteria fidei in eis annunciata non intelligat, nec sensum earum teneat. Et ex *v.* 15. ubi dicitur, quòd *homo spiritualis omnia dijudicet.* Quod de vera & salutari scripturarum intelligentia & sensu intelligendum esse, constat, uti *Glassius*. Sed sive *consilium* Dei de salute nostra, sive *sensum* S. Scripturæ illâ voce intelligamus, res eodèm redit: Consilium enim Dei, & id omne quidem, in scripturis nobis revelatur. Scripturas igitur qui scrutatur & intelligit, *τὸν*, *mentem Christi te-*

net.

net, i. e. *ſenſum* verborum Chriſti accuratè percipit, & eo ipſo, conſilium ejus exactè novit. Sed quis ſcripturas ſcrutari, & *mentem* ſive *ſenſum* Chriſti exinde expiſcari poteſt? Is quidem, & is ſolus, qui *ſpiritu* Chriſti donatus eſt. Ita Beza, *mentem Chriſti habemus*, i. e. *ſpiritu Chriſti præditi ſumus*, qui nobis arcana illa, alioquin inſcrutabilia, omnémque adeo veritatem patefecit, ut *Joan.* 16. 13. *Rom.* 8. 9. Et ipſa ratio nos inſtruit, neminem S. Scripturæ ſenſum ritè penetrare poſſe, niſi qui ſpiritûs Dei afflatu illuminatus eſt. Interpretatio enim S. Scripturæ non eſt res arbitraria, ſed tota ad Dei dicentis mentem accommodanda: Mentem autem Dei nemo niſi ſpiritus Dei ſcrutatur. Cognitio noſtra naturalis non eſt menſura mentis Divinæ inſcrutabilis.

Media S. Scripturarum interpretandarum externa *Inſtrumentalia*, ſunt adjumenta extra ſcripturas conquiſita: quæ ſunt vel in *Rebus*, vel in *Teſtibus*. In *Rebus*, cùm variarum rerum ac Artium cognitio conducit ad S. Scripturas interpretandas. Subſervit etiam Interpretum, & Expoſitorum S. Scripturarum lectio. Præcipuum autem medium externum inſtrumentale, ad ſcripturas ritè interpretandas, eſt frequens oratio. De *Teſtium* uſu, ad ſcripturæ interpretationem, ita loquitur *Grotius*, de Jure Bel. *l.* 1. *c.* 2. *fol.* 29. ‘ Quo‘ties de ſcripti ſenſu quæritur, magnam ‘ vim habere ſolet tum uſus ſequens, tum ‘ prudentum

'prudentum Auctoritas: quod etiam in 'Divinis scriptis sequendum est. Neque 'enim probabile est, Ecclesias, quæ ab 'Apostolis constitutæ sunt, aut subitò, aut 'omnes, defeciſſe ab iis quæ Apostoli bre-'viter perscripta ore liberaliùs explica-'verant, aut etiam in usum introduxe-'rant. Sed hæc non sine grano salis ad-'mittenda sunt.

Media S. Scripturæ interpretandæ *Interna* sunt, quæ ab ipsa scriptura, ad scripturæ sensum enucleandum, conquiruntur. Hæc quidem sunt efficaciſſima: Nam scripturæ interpretandæ certiſſima ratio ab ipsa scriptura petitur. Ita Joan. 5. 39. *Scrutamini scripturas.* ἐρευνᾶτε. Metaphora à canum sagacitate, qui feras indefesso studio sectantur, ut eas è latebris eruant. *Plutarchus* περὶ πολυπραγμοσύνης· ἴχνεσι θηρίων μυχοὺς ἐρευνῶν, *Vestigia bestiarum naribus scrutans.* ἐρευνᾶν, inquit *Strigelius*, 'est sagaciter aliquid inquirere, ut Vena-'tores multis adminiculis utuntur, ad eli-'ciendas feras ex latebris, & implicandas 'reti. Nemo autem fœliciùs scripturas scrutatur, quàm is, qui scripturæ sensum ab ipsa scriptura expiscatur. Idem Act. 17. 11. ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς, *Examinantes, vel dijudicantes scripturas*, i. e. diligenter, ac adhibito judicio unam scripturam cum aliis conferentes. Ἀνακρίνειν non est obiter inquirere; sed omni curâ in rem incumbere; ac idem hîc est, quod

Joan. 5 39.

Act. 17, 11.

quod ἐρεύνατε, *Joan.* 5. 39. Non quòd dubitarent de veracitate *Pauli* & *Silæ*; ſed ut Prophetica ſcripta cum illorum verbis conferendo, ſenſum ſcripturæ penetrarent, & magis magíſque in veritate confirmarentur, haberentque unde alios
Act. 9. 22. convincerent. Ita Act. 9. 22. *Collatis teſtimoniis demonſtrans, eum eſſe Chriſtum illum.* συμβιβάζων, i. e. collatis ſcripturæ locis probans; nimirum, ſicuti ſolent artifices aliquid compacturi, ſingulas partes inter ſe comparare; ut inter ſe alia aliis ad amuſſim quadrent, utì *Beza*. Eſt enim συμβιβάζειν, ut notant Gloſſaria, *conferre*. Talem S. Scripturarum collationem maximè conducere ad earum ſenſum enucleandum ſatìs conſtat, ex perpetua Chriſti, Apoſtolorũ, ac Eccleſiæ Chriſtianæ Praxi.

Ut autem S. Scripturæ ſenſus ex ipſa ſcriptura fœliciùs eruatur duo ſunt media apprimè neceſſaria, nempe ἑρμηνεία, ſive *Literaturæ Interpretatio*, & σύγκρισις, ſive *rerum ipſarum & contextuum collatio*. 1. Ἑρμηνεία, ſive *Interpretatio Literaturæ S.* eſt duplex, (1) Vocum ſingularum, (2) *Phraſium conjunctarum*. 1. Ad voces ſingulas accuratè inſpiciendas, conſiderandum eſt. (1) An vox propriè, an figuratè accìpiatur: (2) Si ſit *homonyma*, quâ in ſignificatione. Priori confert, Lexicorum, Gloſſariorum, ac Concordantiarum inſpectio: Poſteriori conducunt, diligens contextûs conſideratio, loci paralleli

ralleli comparatio, Lexicorum & Concordantiarum ſcrutatio, Paraphraſes, Verſiones, & ſimilia. 2. Eâdem methodo progrediendum eſt in phraſibus conjunctis interpretandis. Maximè autem hîc valet collatio phraſium, vel earundem, in locis parallelis, quorum unus alterum interpretatur; vel ſimilium, in idiotiſmorum Hebræorum, Græcorúmve cognitione conſiſtens. Ad ἑρμηνείαν verò ſive S. Literaturæ Interpretationem fœlici cum ſucceſſu peragendam ſequentes Canones ſunt notatu digniſſimi. 1. *In vocibus homonymis accuratè diſtinguendum eſt, ne vocum ſimilitudo in re diſſimili nobis imponat.* Sciendum eſt, voces plurimas habere ſignificationes plures, alteram ſtrictiorem, alteram laxiorem: Quod multis ex cauſis evenit; aut quia ſpecierum uni nomen generis adhæret, ut in vocibus cognationis; aut quia uſus artis latiùs, quàm uſus popularis patet, &c. Ubi autem verba, aut verborum complexio ſunt πολύσημα, datur, ſecundùm Rhetores, ἀμφιβολία: vel, ut Logici accuratiùs diſtinguunt, ſi in una voce ſenſus eſſe plures poſſunt, ὁμωνυμία, ſi in complexione, ἀμφιβολία eſt. Et ſi in talibus non bene diſtinguat Interpres, ſenſus ſcripturæ nunquam fœliciter eruetur. Inde *Grotius*, *Animadv. in Rivet.* 'Cùm autem *Paulo* mos ſit, 'eâdem voce uti ſignificatu diverſo, uter 'quoque loco ſumendus ſit, ex ſubjecta 'materia, antecedentibúſque & conſe-

'quentibus

ſequentibus dijudicandum eſt. 2. *Una ac eadem res ſæpiſſime exprimitur vocibus ſynonymis, idque non ſine magna Emphaſi ac Evidentia.* Hanc regulam ita exprimit *Kimhi*, in Pſal. 6. & alibi עניין אחד במלות שונות, *cùm idem ſenſus diverſis exprimitur verbis.* Quod quidem per totam literaturam ſacram occurrit: Paſſim enim reperies, præſertim in Pſalmis, verba poſteriora prioribus eſſe *ſynonyma*, eorúmque emphaticè exegetica. In ſcriptura enim una ac eadem res, quia diverſas Affectiones & Proprietates habet, diverſis etiam nominibus exprimitur. Inde *Calvinus*; ‘Quoties, inquit, locutiones ‘duæ rem eandem exprimentes ſimul con‘nectuntur, poſteriorem eſſe prioris exe‘geſin convenit. Idem *Meiſnerus*, *Anthrop. Decas* 1. ‘Hebræi ſæpe duo ſub‘ſtantiva, tanquam res omnino diverſas, ‘conjungunt, cùm tamen alterum adje‘ctivi ſignificationem habeat. 3. *S. Scriptura explicari debet juxta proprietatem verborum, niſi ex proprio ſenſu ſequeretur aliquid inconveniens.* Voces enim ſunt μιμήματα, ζωγραφήματα, δηλώματα, εἴδωλα, εἰκόνες, & ὁμοιώματα, *Imitata, Picturæ, Manifeſtationes, Idola, Imagines & ſimilitudines* rerum, uti loquuntur Philoſophi. Quare mens divina ſecundùm ea interpretanda eſt. Ita *Grot. de Jur. Bell. l. 2. c. 16. p. 254.* ‘Rectæ Inter‘pretationis menſura eſt collectio mentis ‘ex ſignis maximè probabilibus. Ea

‘ſigna

'ſigna ſunt duûm generum, verba, & 'conjecturæ aliæ. Si nulla ſit conjectura, quæ ducat aliò, verba intelligenda ſunt ex proprietate, non Grammatica, quæ eſt ex origine, ſed populari uſu,

Quem penès arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.

In Artium autem vocabulis, quæ populus vix capit, adhibenda erit, Artis cujuſque prudentum definitio. 4. *Aliquando tamen à proprietate uſúque recepto verborum diſcedendum eſt nonnihil, ut is ſenſus evitetur, qui maximum ſecum incommodum affert.* Ita *Grot. de Jur. Bel. l.* 1. *c.* 2. 'Docet autem ipſa æquitas & com-'munis ratio, ut non tantùm verba ge-'neralia contrahi, & ambigua commodè 'explicari; ſed & à proprietate uſúque 'recepto verborum diſcedi nonnihil, ut 'is ſenſus evitetur, qui maxima ſecum in-'commoda ſit allaturus. 5. *Attamen in S. Scriptura interpretanda, Grammaticus, aut Logicus verborum ordo non ſemper attendendus eſt.* Inter Hebræos celebris ſententia eſt: *In lege non eſſe prius & poſterius*, i. e. multa referri ὕστερον πρότερον. Sic *Lutherus* in *Geneſ.* 'ὕστερον πρότερον 'niſi diligenter obſervetur in lectione 'ſacrarum, immo omnium hiſtoriarum, 'ſæpe magnas obſcuritates parit——Per 'hanc figuram ſæpe loca obſcuriſſima in 'Hiſtoriis evolvunt. Auguſtinus *Anticipationem*

pationem & Recapitulationem vocat. 6. *Ad S. Literaturam, quoad omnes & singulas partes, solidè, accuratè, utiliter, & sufficienter in fontibus intelligendam, aliisque interpretandam, Græcæ ac Orientalium linguarum, præcipuè Hebrææ, cognitio est admodum necessaria.* Hactenus de ἐξηγήσει, &c.

2. Sequitur Σύγκρισις, sive rerum ipsarum & contextuum collatio: Quæ fit dupliciter, (1) per ipsius textûs cum aliis locis comparationem; vel (2) per textûs collationem cum *Analogia fidei*. 1. Collatio ipsius textûs cum aliis locis est, vel *Proxima*, vel *Remota*. (1) Collatio *proxima* dicitur à Græcis Ἀλληλαχία, quæ, definiente Eudæo, est *series rerum simul connexarum*: Ratione S. Scripturæ Ἀλληλαχία est series contextûs, cùm ex præcedentibus, vel subsequentibus judicatur de sensu textûs cujuspiam. In collatione hac textûs cum contextu, *Antecedentia* & *Consequentia*, (quæ ad eandem materiam vel directè, vel indirectè, & per occasionem pertinent) summâ cum fide ac diligentia sunt inspicienda ac trutinanda. Id si fiat, dubium non est, inquit *Glassius*, quin (adspirante Spiritu S. ac simul adhibitis adminiculis præcedentibus) verus & genuinus verborum sensus eliciatur. De hac Consequentium & Antecedentium collatione ita loquuntur Rabbini: *Nulla est objectio in Lege, quæ non habeat solutionem in latere.* i. e. Si cui occurrat

occurrat textus ſolutione difficili, recurrendum eſt *ad latera*, nimirum, ad Antecedentia & Conſequentia; quæ multum lucis adplurimum afferunt. In collatione hac textûs cum textu conjuncto præſertim conſideranda ſunt *Ordo*, & *Circumſtantiæ*. *Ordo* reſpicit Logicam contemplationem partium; qui tamen in omnibus nimis curiosè haud expectandus eſt. *Circumſtantiæ* variæ ſunt: Nimirum perſona qui loquitur, *Scopus*, *Occaſio*, *Impellens*, *Locus*, *Tempus*, *Sedes*, *Modus*; quæ omnia ſunt diligenter attendenda. Nam *qui ad pauca reſpicit, facilè, ſed malè reſpondet.*

(2) Collatio textûs Remota fit, cum textu ſeparato & disjuncto, nempe ex locis parallelis, ac ſe mutuò reſpicientibus, juxta ſe poſitis, collatis, & trutinatis. Eſtque collatio hæc, vel *Reciproca*, vel aliò *Directa*: *Reciproca* eſt, quando textus interpretandus cum ſeipſo alibi in V. vel N. Teſt. repetito comparatur. Et hîc ſpeciatim Collatio Evangeliſtarum haud immeritò commendatur à Glaſſio. *Collatio aliò directa eſt*, quum textus explicandus confertur cum aliis, qui ei quadrant, vel paralleli ſunt, tum quoad phraſin, tum quoad ſententiam & rem ipſam. Una enim eadémque res ſæpiùs in S. Scriptura repetitur. De utrâque hac collatione textûs cum textibus parallelis optimè Origenes in *Num. Hom.* 24. ‘Faciliùs, inquit, in ſcripturis, quod quæritur invenitur, ſi ex pluribus locis, quæ de eadem

're ſcripta ſunt, proferantur.

2. Σύγκρισις, ſive collatio Textûs S. cum fidei Analogia, eſt cùm loco cuipiam alii comparantur, ſimiles ob dogmata quæ tractantur. Ita Rom. 12. 6. *Prophetemus pro proportione fidei.* κατὰ τὴν ἀναλογίαν. Apoſtolus nos inſtruit, fidei Articulos intimam inter ſe unionem ac convenientiam habere; perinde ac ſcientiarum veritates. Nam ſicut ſcientiæ humanæ ſua habent principia, ſuáſque veritates inde pullulantes, ac eiſdem individuo nexu connexas; unde ſumma emergit Analogia ac Harmonia inter omnes ejuſdem ſcientiæ partes: eodem pariter modo fidei veritates, tum fundamentales tum minùs fundamentales, indivulſo connexu coadunatæ, optimam præ ſe ferunt convenientiam & Analogiam. Hinc ſequitur homogenea deductio ac mutua dependentia unius veritatis Divinæ ab altera: Aurea enim eſt catena fidei principiorum ac concluſionum. Ideóque S. Scripturæ Interpreti maximè incumbit, obſervare ac penſiculatiùs trutinare Analogiam, quam habet textus interpretandus cum cæteris fidei Articulis. Hoc, ut mihi videtur, intelligit Apoſtolus hîc, quum dicit, *prophetemus ſecundùm Analogiam fidei.* Fidei enim Analogia quid eſt niſi aurea catena, ſive ſumma veritatum Divinarum, indiſſolubili amplexu ſimul connexarum? Idem inculcat Apoſtolus, 2 Tim. 1. 13. *Expreſſam formam teneto ſanarum ſermonum,*

Rom. 12. 6.

2 Tim. 1. 13.

sermonum, quos à me audisti, de fide & charitate. ὑποτύπωσιν, *exemplar*, quod maximam præ se fert Analogiam ac Harmoniam omnium partium simul connexarum. Deinde sequitur, ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, verbatim, *in fide & charitate*, i.e. *de fide ac charitate*; ita enim particula ἐν, alibi sumitur. Hîc tradit *Paulus*, duas fidei Analogiæ partes; quarum prior est *de fide*, sive *credendis*; posterior de *charitate*, sive *agendis*. Charitas enim est principium Agendorum. Hæ duæ partes includunt totam ὑποτύπωσιν, & ἀναλογίαν fidei, secundùm quam omnes S. Scripturæ textus sunt interpretandi. Omnes enim fidei Articuli optimè inter se cohærent, nec vel tantillum discrepant, quippe, utì nullum verum falso consentire potest, sic nullum verum à vero dissentire.

Ad rectam σύγκρισιν sive collationem rerum ipsarum & textuum S. Scripturæ, tam cum aliis textibus, quàm cum Analogia fidei, sequentes Canones sunt observandi.

1. *Etsi verborum cognitio ordine prior sit, tamen Rerum cognitio est potior.* Hunc canonem tradit *Lutherus* in *Gen.* cujus hanc reddit rationem: ‘Nam mutatis ‘rebus etiam verba mutantur in alium ‘sensum, & fit planè nova Grammatica. *Iterum*: ‘Ego, inquit, perpetuò hanc re‘gulam sequor, ut statuam verba debere ‘servire rebus, & non è contrà res verbis. *Et alibi*: ‘Grammaticam, inquit, decet

'Theologiæ cedere; cùm non res verbis,
'sed verba rebus subjecta sint & cedant;
'& vox meritò sensum sequatur, & lite-
'ra spiritum.

2. *Genuina & vera textûs alicujus Interpretatio petenda est ex ἀλληλαχίᾳ, sive iis quæ præcedunt & sequuntur, & ex aliis locis parallelis.* Hæc regula interpretandi scripturam facillima ac tutissima est, inquit *Camero*. Ita *Lutherus*: 'Est omnium
'tutissimus modus scrutandi sensum scri-
'pturæ, si ex locorum collatione, [nimi-
'rum tum proximâ tum remotâ] & ob-
'servatione ad illum contendas. Idem *Grotius*, de *Imper. Sum.* 'Profectò ut o-
'lim *Esdras*, sociique ejus, ita & nos scri-
'pturam per scripturam interpretemur,
'componentes inter se, quæ ab eodem
Neh. 8. 9. 'dictata sunt spiritu. Sic Nehem. 8. 9. *Legebant enim librum illum, legem Dei explanatè: & exponendo sensum, dabant intelligentiam per scripturam ipsam.* במקרא, *per scripturam ipsam.* Sic enim vertit *Tremellius*, & quidem optimè: pro eo quod vetus interpres, & *intellexerunt cùm legerentur*; malè. Totum enim S. Scripturæ corpus ab Hebræis nominatur מקרא, ut apud Rabbinos passim. Sic כי כן דרך המקרא, *Nam sic est mos scripturæ.* Plura videas apud *Buxtorf. Lex. Rabbin.* Idem *Elias* in *Tisbi*. Itaque perfacilis sensus est, *Intelligentiam* scripturæ petitam esse à contextu, vel ab aliis parallelis scripturæ locis. Ita *Clemens, Strom. 7. Veritas,*

tas, inquit, *invenitur, in dijudicando, quid Domino omnipotentíque Deo congruum sit, & conveniens; & in confirmandis singulis secundùm scripturas demonstratis*, ἐξ αὐτῶν πάλιν τῶν ὁμοίων γραφῶν, *ex aliis rursus similibus scripturis.*

3. *Oportet Theologum, si volit errare, universam scripturam ob oculos ponere, & contraria contrariis conferre.* Jurisperiti dicunt: *Turpe est de lege judicare totâ lege nondum inspectâ.* Hæretici quidem scripturas urgent, sed non omnes, ambiguas verò. Ita *Clemens, Strom.* 7. ἡμεῖς ἀπ' αὐτῶν περὶ αὐτῶν τῶν γραφῶν τελείως ἀποδεικνύντες ἐκ πίστεως πειθόμεθα ἀποδεικτικῶς. κἂν τολμήσωσι προφητικαῖς χρήσασθαι γραφαῖς, καὶ οἱ τὰς αἱρέσεις μετιόντες, πρῶτον μὲν ἀπάταις, ἔπειτα ἀπὸ τελείαις, &c. *Nos ex ipsis de scripturis perfectè demonstrantes, ex fide persuademus demonstrativè. Quod si audent etiam ii qui hæreses tractant, uti scripturis propheticis; at primùm non omnibus; deinde non integris, neque ut corpus textúsque prophetiæ possidet: sed selecta ambigua, ad privatas opiniones traducunt*, &c. Hoc monent Theologi speciatim de Analogia fidei, *Quòd regula fidei acceptanda sit integra, neque ejus partes sibi invicem opponendæ sint.* Seu, quod idem est, *quòd unum fidei dogma non sit oppugnandum ex alio*, uti faciunt hæretici.

4. *Inusitata & peregrina S. Scripturæ Interpretatio non est quærenda, ubi textus ordinarium sensum admittit.* 'Non minus

'est peccatum (inquit *Oecumenius*) Scri-
'pturā perversis interpretamentis torque-
're ac cruciare, quàm fuit corpus Christi
'cruciare. Optimè *Hilarius*, 1 de Trinit.
'Optimus, inquit, interpres hic est, qui
'sensum è scriptura potiùs retulerit, quàm
'attulerit; nec cogat hoc in dictis con-
'tentum videri, quod ante intelligentiam
'docere præsumserit. Inde *Lutherus*: 'E-
'go id observavi, omnes hæreses & erro-
'res in scripturis non venisse ex simplici-
'tate verborum, ut jactatur penè toto
'orbe, sed ex neglecta simplicitate ver-
'borum, & ex affectatis proprio cerebro
'tropis aut sequelis. Iterum: 'Meum
'consilium sit, qui sacras literas non po-
'test certo sensu tenere, eas dimittat.
'Tutius est cum Laicis ignorare eas, quàm
'incertas habere. Et *Grotius*, Impensum
'temerarii, inquit, sit conjectoris, nisi
'verborum contextus à certo ac recepto
'significatu nos cogat discedere.

5. *Quæ sunt in S. Scriptura ἀνθρωποπαθῶς dicta, sunt θεοπρεπῶς interpretanda.* Hæc regula ita exprimitur à Kimhi, in *Psal.* 2. 4. ad mentem Talmudistarum. דברה תורה כלשון בני אדם, *Loquitur Lex secundùm linguam filiorum hominis.* Quod quadrat Græcorum Canoni, ἀνθρωποπαθῶς μὲν λέγεται, θεοπρεπῶς δὲ νοεῖται. Ita *Grotius*, de *Jur. Bel.* 'Scien-
'dum, inquit, est sanctos scriptores de
'Deo sæpe loqui ἀνθρωποπαθῶς, & ma-
'gis secundùm id, quod videtur nobis,
'quàm

'quàm quod est. Scriptura enim sacra, ut nostræ subveniret infirmitati, phrasibus utitur ad captum humanum accommodatis, quibus infinitam Dei Bonitatem, Clementiam, ac Majestatem exprimat.

6. Alteram Rabbinorum regulam exprimit R. *David Gans*, in *Zemach David*, his verbis: דרך הכתוב לדרף אחר הכלל ולא יקפיד על הפרט, *Scripturæ consuetudo fert, ut sequatur generale, nullâ habitâ ratione specialis.* Hic canon ortum hausit ex ἐναντιοφανείᾳ chronologiæ sacræ, in qua videas sæpiùs, suppresso numero minori, mentionem tantùm fieri majoris: centenarius nonnunquam exprimitur, denario omisso. Idem etiam evenit in Genealogiis, in quibus Scriptores S. id sibi potissimùm negotii dari crediderunt, ut stirpem hujus vel illius ostenderent originariam, non ut singulorum ramusculorum exquisitissimam delineationem exhiberent, ut *Hottinger. Thesaur. l. 1. c. 2.*

7. *Æquum est, ut S. Scriptura tam lato sensu intelligatur, quàm circumstantiæ loci, & communis verborum usus admittunt.* Ratio hujus canonis est hæc: Quia S. Scripturæ sensus non consistit in puncto, sed suam habet latitudinem; quare, ne sensus Spiritûs S. genuinus, aut ulla ejusdem pars excludatur, textus quilibet tam amplo sensu, quàm circumstantiæ loci & communis verborum usus admittunt, interpretandus est. Ita *Grotius*, de *Jur. Bell.*

Bel. ‘Quod de moralibus dici ſolet, hîc ‘quoque locum habet, non conſiſtere hæc ‘in puncto, ſed habere ſuam quoque la‘titudinem.

8. *Quilibet S. Scripturæ textus interpretandus eſt ſecundùm Analogiam fidei.* Ita *Rom.* 12. 6. Nullum enim eſt fidei dogma, quod non alicubi propriis & perſpicuis verbis in S. Scriptura exprimatur. Quare ſi occurrat textus qui difficiliori videtur eſſe ſolutione, cavendum ne quicquam proferatur, quod cum uniformi illa ſcripturæ ſententia, fideique analogia pugnat. Ita *Lutherus*: ‘Scriptura non contra, ſed ‘pro Chriſto intelligenda eſt; ideo vel ‘ad eum referenda, vel pro vera ſcriptura ‘non habenda. Ut, *ſervæ mandata*, ſic ‘dominante Chriſto, intelligendum eſt, ‘*ſervæ in Chriſto*, vel *in fide Chriſti*——ſi ‘adverſarii urſerint ſcripturam contra ‘Chriſtum, urgemus Chriſtum contra ‘ſcripturam.

9. *Multa S. Scripturæ Attributa interpretanda ſunt, non de effectu, ſed officio, & docent, non quid res aut perſona ſit, ſed quid debeat eſſe.*

SECT.

SECT. VII.

Alia Corollaria, de S. Scripturâ.

12. Corol. *Quò magis perficitur fidelis, eò magis S. Scripturæ sapientiam, pulchritudinem, & suavitatem contemplatur, admiratur, & sapit.* Oculis sanè privari censendi sunt, quibus S. Scripturæ Doctrina haud miranda videtur: Palato etiam prorsus carent quibus verbi Dei suavitates insipidæ sunt.

1. S. Scriptura maximas spirat suavitates, quæ fidelibus optimè arridet.

(1) *Peccatorum Remissio* ac *Purgatio* est piæ animæ Dulcissima: Et unde hæc, nisi à verbo Dei Evangelico? Hoc salutare ac suavissimum effectum propriè convenit Fœderi Gratiæ sive Evangelio, quatenus Divinæ Gratiæ Instrumentum tum *Morale* seu *fœderale*, tum *Reale* seu *effectivum* est. Utrumque simul connectit *David*, Psal. 51. 9. *Expiato me Hyssopo*, &c. תחטאני, *Expiabis*, vel *Asperges*, vel *Purificabis me*, pro *Expiato*, *Asperge*, *Purifica me*. Inde Targ. זרי עלי, *asperges super me*. Idem LXX. Radix est, חטא, *peccavit*. In *Pih.* חטא (notione contrariâ) significat, *peccatum expiavit*, à *peccato absolvit*. Petit *David* & *Reatûs* expiationem, & *maculæ* ablutionem. Psal. 51. 9. 10.

Alluſio ſit ad Aſperſionem legalem, quæ Hyſſopo fiebat. Ita Chald. *Aſperge ſuper me, ſicuti ſacerdos, qui aſpergit Hyſſopo ſuper immundum, aquam Aſperſionis, de cinere Vaccæ.* Vide *Lev.* 14. 4, 6. *Num.* 19. 6. Inde ſequitur; אזוב, *In Hyſſopo*, i. e. *Hyſſopo*. Hyſſopus eſt planta hortenſis ſatis nota, quæ, ut dicunt, in expurganda pleuritide, ac morbo quovis lethali, ſingularem effectum obtinet: ideòque, cùm vel leproſi luſtrandi eſſent, aut ſcelus aliquod expiandum, Hyſſopi faſciculus, cum ſanguine paſſerculorum, vel vitulorum adhibebatur, uti *Lev.* 14. 4, 6. Ex Hyſſopo fiebat *Aſpergillum*, ſeu *Aſperſorium*, ita ut faſciculus, tribus caulibus conſtans, filo coccineo ad baculum cedrinum alligaretur; & baculus cedrinus cubiti, faſciculus Hyſſopi verò palmi unius longitudinem habebat. Hoc *Aſperſorio* aſpergebatur tum ſanguis victimarum, tum Aqua Luſtrationis, uti *Exod.* 12. 21. *Lev.* 14. 4. *Num.* 19. 6. Quia autem Aſperſio hæc in legali purgatione erat ultimum, ideo *David*, idque in ſignum impetratæ peccatorum remiſſionis, ita orat, *Expia me*, &c. uti *Schindlerus*. Per *Hyſſopum* hanc, aliqui intelligunt ipſum *ſanguinem* Chriſti, cujus illæ aſperſiones typi erant, *Hebr.* 9. & 10. 1 Pet. 1. 2. Sed, ut mihi videtur, per *Hyſſopi Aſpergillum*, intelligenda ſunt fœderis gratiæ promiſſa, per quæ conſcientia ſanguine Chriſti aſpergitur. Deinde ſequitur; *Lava me*, i. e. aquâ luſtra-

li

li Gratiæ tuæ. Respicit hîc quoque ad *aquam Asperſionis*. Idem explicatur Ezech. 36. 25. *Ut pra nive albeſcam*. Peccata cum rubro colore conferuntur; quia rubri coloris macula veſti aſperſa tenaciter adhæret. Sic *Eſa.* 1. 18. Inde ſequitur v. 10. *Audire me fac gaudium & lætitiam*, i. e. *Audire faciam*, per prophetam condonaſſe te mihi peccatum, erítque gaudium & lætitia animæ meæ dolenti, & lugenti peccatum, uti Kimhi. Unde addit: *exultent* vel *exultabunt oſſa*. Per *oſſa*, indigitat ingentem animi angorem, ex metu iræ divinæ acceptum. *Solomon* ait, Prov. 15. 30. *Nuntium bonum impinguat oſſa*. Tale *nuntium bonum* accepit *David*, ex ore *Nathan*, 2 *Sam.* 12. 13. Tam dulcis eſt Remiſſio peccati verbo Dei annunciata.

(2.) Verbum Dei ſanctis ſuaviſſimum eſſe, ex eo liquet, quòd nulla calamitas eos ab ejuſdem ſtudio ac obſervatione depellere poſſit. Talis fuit *Davidis* ſpiritus, Pſal. 119. 141. *Parvus ego & contemtus; attamen mandatorum tuorum non obliviſcor.* Pſal. 119. 141. Quaſi dixiſſet: Etſi contemnor, quòd leges tuas magno honore & voluptate proſequar, nunquam tamen illarum memoria ac obſervantia mihi tædioſa erit. *Parvulus* hoc loco non ætatem, ſed conditionem reſpicit. Ita 143. *Oppreſſiones & angustiæ mihi obvenerunt, attamen præcepta tua ſunt oblectationes meæ.* 143. Senſus eſt: Nulla me adhuc oppreſſio, aut anguſtia depellere potuit à legis tuæ ſtudio ac obſervantia.

161. ſervantia. Idem 161. *Principes perſecuti ſuere me immeritò, ſed à verbo tuo pavet animus meus*: i.e. Formidavit cor meum, ne mandatorum tuorum aliquod tranſgrederer, magis quàm à principibus me perſequentibus. Immo legis Dei ſtudium *Davidi* charius fuit, quàm vita ipſa, Pſal. 119. 109. *Animâ meâ in manu meâ jugiter verſante, tamen legis tuæ non obliviſcor.* Quaſi dixerat: Etſi ſemper verſor in ſummo vitæ periculo, nondum tamen legis tuæ oblitus ſum. Apud Hebræos *animam in manu habere*, eſt vitam ad omnes caſus, ac diſcrimina exponere. Sic *Jud.* 12. 3. *Poſui animam meam in manu meâ, & tranſivi ad filios Ammon*, i. e. cum vitæ diſcrimine trajeci ad Ammonitas. Ita 1 Sam. 19. 15. *Poſuit animam ſuam in manu ſuâ*, &c. Iterum Job. 13. 14. *Et animam ponam in manu meâ?* i. e. cur ſubibo vitæ periculum? Ita hîc *Anima mea* בכפי, *in manu mea ſemper*, idem valet ac in perpetuo vitæ verſari periculo. Inde Chaldæus mentem *Davidis* in ſua paraphraſi ita appoſitè expreſſit: *Anima mea periclitatur, ut ſi in manu mea eſſet ſemper.* Forma verò hujus Idiotiſmi Hebraici videtur tranſlata ab iis, qui cum hoſtibus congrediuntur: Hi dicuntur *animam in manu gerere*, quia tamdiu ſolùm vitam ſervant, quamdiu fortiter manu periculum depellunt. Alii tamen Idiotiſmum inde depromtum volunt, quòd quicquid in manu eſt, non ſatis ſit tutum; cùm facilè auferri

auferri & excidere possit. Utrumque interpretamentum ostendit, Legis Divinæ studium ac observantiam *Davidi* chariorem fuisse vitâ ipsâ. Quò pertinet & sequens comma 110. *Ponentibus improbis laqueum mihi, à mandatis tuis non aberro.* Exegesis commatis præcedentis.

(3) Verbum Dei sanctis maximè arridere, abunde constat ex *dolore*, quem concipiunt ob ejusdem violationem: Illius meditatio & observantia dubio procul est suavissima, cujus violatio maximum affert dolorem: Et tale quidem est verbum Dei, ex cujus violatione maximus occurrit dolor piis animis. Quot ac quanta fracta ossa habuit *David* ob violationem legis Divinæ, cujus ipse reus fuit? Quot Psalmos pœnitentiales hanc ob rem scripsit? Immo nonne fuit tota ejus vita una ac continua pœnitentia? Quàm altè cor ejus vulneratum fuit, ob vulnera quæ dedit Divinæ legi? Quot gemitus, quot lachrymas effudit? Ita Psal. 38. 4, 5, 6. *Non est pax in ossibus meis, propter peccatum meum*, &c. Titulus hujus Psalmi, לְהַזְכִּיר *ad recordationem*, præ se fert *Davidis* altam tristitiam ob violationem legis Divinæ: compositus enim fuit ad memoriam sui peccati conservandam. Ac ut tantum dolorem concepit *David*, ob propriam legis Dei violationem, ita non minimo dolore affectus fuit ob aliorum violationem, uti Psal. 119. 136. *Rivi aquarum descendunt ex oculis meis, propter eos, qui non observant*

Psal. 38. 4, 5, 6.

Psal. 119. 136.

obſervant legem tuam. Rivi aquarum, &c. Hæc loquendi formula lachrymarum plenitudinem ac efficaciam deſignat. Idem
139. v. 139. *Conſicit me zelus meus, quòd obliviſcantur verbi tui hoſtes mei.* Datur emphaſis efficax in, צמתתני; ſignificat enim
158. propriè *ſuccidit me.* Itemque 158. *Simul ac video perfidè agentes, faſtidio meipſum torqueo; quòd ſermonem tuum non obſervent. Faſtidio me torqueo.* Radix קוט ſignificat propriè *faſtidire, ſe radere, diſſecare*, quod ſummum dolorem exprimit. Et ſanè tantus dolor ob violationem legis notat dulcedinem Legis maximam eſſe.

(4) Denique nihil dulcius eſt vitâ: nullâque vita dulcior meditatione ſtudióque verbi Dei. Inde *David*, Pſal. 119.
Pſal. 119. 77. 77. *Obveniant mihi miſericordiæ tuæ, ut vivam: quia lex tua eſt omnis oblectatio mea.* Senſus eſt: Non alia de cauſa cupio vivere, quàm ut in tua lege perpetuò *meditet*, ac me oblectem: immo Legis tuæ meditatio ac obſervantia mihi optima ac unica vita eſt: ſine hoc vita ipſa, quam mihi per *Nathan* promiſiſti, nihil eſſet niſi mors miſerrima. Tam ſuavis ac delectabilis vita eſt legis Dei ſtudium ac obſervantia. Notatu digniſſimum eſt, *vivere* hîc, ut alibi in S. Pagina, deſignare *vitæ*, non ſolùm *exiſtentiam*, ſed & *conditionem tranquillam, lætam, proſperam, florentem* ac omnimodè beatam. Sic Pſal. 22. 27. *Vivet animus veſter*, i. e. *hilaris erit*. Et

1 Theſ.

1 Thes. 3, 8. *Nunc vivimus*, i. e. *læti & fælices sumus.* Hinc cor mœrore obstupefactum dicitur mori, 1 *Sam.* 25. 37. Hujus phraseologiæ sacræ rationem reddit *Augustinus*: *Quia nulla est vera vita, nisi ubi fœliciter vivitur.* Tota *Davidis* vita fuit in lege Dei, &c.

2. Pulchritudo S. Scripturæ maximè arridet fidelibus. *Socrates*, apud *Platonem*, *Phædr.* ita loquitur: *Sapientia est res pulcherrima, cujus facies, si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sui. —— Pulchritudinem splendidissimam tunc videre liceret.* Hoc sapientiæ encomium optimè convenit S. Scripturæ; ubi resplendet, ut in speculo, pulchritudo splendidissima, utpote facies Dei in Christo pulcherrima. Quare necesse est, ut oculis prorsus careat, qui nullam in hoc speculo illustrissimo pulchritudinem contemplari potest. Quid pulchritudine illustrius & amabilius est? Et ubi major pulchritudo, quàm in verbo Dei emicat? Quare impossibile planè est, ut S. Scriptura non magnopere arrideat fideli ac pio animo. Inde *David*, Psal. 119. 129. *Mirabilia sunt testimonia tua: idcirco custodit ea anima mea.* פלאות, Psal. 119. 129, 131. omnem cogitationem humanam transcendunt. Vel, *præstantissima*, & supra omnes leges humanas perfecta, Deut. 4. 6, 7. Inde addit, v. 131. *Os meum aperio, [vel distendo] & anhelo, quia mandata tua desidero*: q. d. omnibus nervis contendo, ut assequar præcepta tua. Metaphora ab anhelis

anhelis & fessis Viatoribus: vel, à famelico, sive sitibundo animali, sive homine, qui præ æstu interno auram captat, *Job.* 29. 23. qui, cùm cibus ipsi offertur, præ desiderio aperit os, priusquam cibus illud contingat, aerémque antè attrahit, quàm cibum: vel, qui ore distento & anhelans cupit restingui sitim. Non accessi ad verbum tuum comesturus vel bibiturus cum fastidio vel nausea; sed vacuo & latrante stomacho, cum fame & siti spirituali, quæ aliunde non poterat satiari. Nihil fuit in Mundo, quod animam *Davidis* satiare, tranquillare, & recreare poterat, nisi Dei verbum. Sic 1 Cor. 2. 6. *Sapientiam verò loquimur inter adultos.* ἐν τελείοις. No-
1 Cor. 2. 6. tio hæc transferri videtur à superstitione Paganorum; qui ad secretiora sua mysteria non admiserunt, nisi tales, qui post multos annos bene dispositi & probati fuere: hos τελείους, *perfectos* nominarunt. Aliter τέλειος hic referre potest ad plenam ac maturam hominis ætatem, uti *Heb.* 5. 14. & sic opponitur τοῖς νηπίοις *infantibus.* Sensus idem est: nimirum, Evangelii doctrinam sapientiam maximam esse, maximéque arridere eis qui rebus fidei perfectè instructi sunt. Plura hac de re videas, *cap.* 8. *sect.* 6. *pag.* 185. &c.

13. Corol. *Infideles & profani maximas inimicitias fovent contra S. Scripturam.* Nec mirum sanè, quum Carnis leges, Legibus Dei maximè oppositæ sint. Dicit

Paulus,

Paulum, Rom. 8. 7. Quòd *Intelligentia carnis inimicitia eſt adversùs Deum*: & ratio ſequitur: *Legi enim Dei non ſubjicitur.* Nihil ſanè magis opponitur à ſpiritu mundi, quàm pura & illibata doctrina Evangelii: Et rationem hujus inimicitiæ contra verbum Dei reddit *Lutherus*: ‘Niſi, inquit, Diabolus iſtas virtutes verbi ſentiret, & agnoſceret, non ſic furet, & ſæviret, tam verbis quàm factis, i. e. tam mendaciis, blaſphemiis, ſectis; quàm vi, cæde, perſecutione. Aliis enim doctrinis non facit talia: Quia novit tales non eſſe virtutes, quales in verbo Dei. Vetus fuit obſervatum noſtri *Tyndal*, *fol.* 97. ‘Quòd mundus verbum Dei odio ſemper proſecutus fuit; nec unquam fuit ſine perſecutione, ut patet ex tota S. Scripturæ hiſtoria. Nec novum eſt verbum Dei blaſphemari, &c.’ Hinc philoſophi olim, & ſuperſtitioſi hodiè totis viribus contra S. Scripturam militarunt. Ita *Tyndal*, *fol.* 265. ‘Sicut enim deſtruunt (ſcil. Pontificii) verum S. Scripturæ ſenſum ſuo fermento, & ejuſdem prædicatores interficiunt; ita & ipſam ſcripturam deſtruerent, ſi potuiſſent. *Iterum*; ‘Mallent, inquit, mille librorum edi contra abominandas ſuas Doctrinas & Actiones, quàm quòd S. Scriptura in lucem ederetur &c.

14. Corol. *Contemtus & Rejectio verbi Dei, in ipſum Deum reflectit.* Ita 1 Sam. 8, 7.

1 Sam. 8. 7. 8. 7. *Non enim te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt.* *Non* ſumitur hîc ἀλλὰ μᾶλλον pro *Non ſolùm*: & per particulam adverſativam *ſed* quædam eminentia præ priori intelligenda eſt; ac ſi dictum fuiſſet, *ſed potiſſimùm me ſpreverunt.* Hoc loquendi genere innuitur, contemtum verbi Dei Annunciatoribus exhibitum, in ipſum Deum redundare: ſicut ignominia quâ afficitur Legatus, in ipſum Legantem reflectit. Quare negatio hîc non tam negat, quàm exaggerat: potiùs αὐξητικῶς, quàm ἀκαλυπτικῶς ſumenda eſt. Hoc

1 Theſ. 4. 8. explicat *Paulus*, 1 Theſ. 4. 8. *Proinde qui hæc dedignatur, non dedignatur hominem, ſed Deum, qui etiam dedit nobis ſpiritum ſuum ſanctum.* Negativum adverbium hîc pro particula comparativa ponitur: Qui dedignatur verbum Dei, dedignatur etiam hominem, qui idem annunciat; ſed Deum potiſſimùm & primariò: Quare negativa particula *Non* accipienda eſt hîc (ut in priori loco) ἀλλὰ μᾶλλον pro *non ſolùm*: & in altero, quod per adverſativam opponitur, quædam præeminentia præ priori intelligitur. Unde ſatis luculenter patet, totum contemtum, quo verbum Dei afficitur, potiſſimùm in ipſum Deum cadere. *Quàm magnum igitur eſt verbum, tam magnum etiam eſt peccatum, quod contra verbum admittitur*, ait *Lutherus*.

15. Corol. *Dei Judicia contra verbi ſui contemtores ſunt tremenda.* Heu! quam prodigi-

prodigiosa fuere Dei judicia contra verbi sui contemtores in qualibet Ecclesiæ ætate? Unde primi mundi *Diluvium*? Unde Ecclesiæ Judaicæ prima captivitas ultimáque ruina, nisi à verbi Dei contemtu? Nonne etiam Ecclesiæ Asiaticæ, & Græcanicæ eidem contemtui suas ruinas debent? Immo, annon totum Antichristianismi Diluvium spirituale originem suam à verbi Dei contemtu dukerit? Uti 2 Thes. 2. 10. *Et cum omni seductione injustitiæ in iis qui pereunt; propterea quòd amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent.* Et *Paulus*, 1 Cor. 14. 37. mentionem faciens de *Domini præceptis*, addit v. 38. *Qui verò ignarus est, ignarus esto*, i. e. suo periculo: Nam spretum verbum Dei Deum habet vindicem. Ita Heb. 2. 3. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Judicia Dei in mundum Antichristianum, ob contemtum verbi Dei, optimè describuntur, *Præfat. ad Marsi. Patavin. Defens. Pacis*: ‘Nihil igitur mirum, ‘neque novum, si Evangelicæ lucis con‘temptæ pœnam meritò luimus; si in ‘densissimis humanarum superstitionum ‘tenebris (velut profundis tempestatibus) ‘infœliciter, idque indies magis ac magis ‘naufragi jactamur, bellis atterimur, ‘latrociniis obsedemur, novis & inauditis ‘ægritudinum fœditatibus vexamur, fa‘me laboramus, Tyrannis opprimimur, ‘prodigiis ac monstris exagitamur, fera‘rum ac bestiarum improvisis incursioni‘bus

'bus infestamur, eruptionibus aquarum 'delemur, hiatu & voraginibus terræ ab-'sorbemur; Quoquo denique versùm 'oculos animúmque intendimus, omnia 'sæva occurrunt. Tot ac tanta sunt Dei prodigiosa judicia contra verbi sui contemtores.

16. Corol. *Providentia Dei ad scripturam conservandam est miranda.* Quot & quanti, in omni sæculo, fuere vanæ hominum imaginationes & conatus, ad verbum Dei corrumpendum saltem, si non totaliter subvertendum? Sed, en! verbum Dei purum ac illibatum adhuc manet, immo manebit ad finem mundi. Nonne hoc inter maxima Dei miracula censendum est, quòd, non obstantibus Satanæ stratagematibus, ac carnalis rationis conatibus indefatigatis contra verbum Dei, semper tamen suâ nativâ puritate, ac vigore floret? Immo quid hoc miraculosius, quòd Deus, Pontificiorum ac Judæorum, qui S. Scripturæ inimici infestissimi sunt, operâ usus fuit, ad ipsam S. Scripturam sartam tectam conservandam? Quantâ enim Religione ac industriâ Judæi Veteris Testamenti codices conservarunt? Nonne Textûs Hebraici integritati & res suas, & vitam ipsam semper posthabuere? Immo quàm ridiculè superstitiosi sunt aliqui inter Judæos ad corticem externum S. Scripturæ conservandum?

17. Corol.

17. Corol. *Optima S. Scripturæ Impressio sive Editio, est ea, quæ digito Dei facta est in animam, cujus matrices sunt in cœlo.* Talis fuit Impressio verbi Dei Corinthiorum animis, 2 Cor. 3. 2, 3. *Epistola nostra vos estis, &c.* Quibus vult, verbum Dei, ejus ministerio impressum & inscriptum fuisse eorum animis, non atramento, sed spiritu Dei vivi. γινωσκομένη, καὶ ἀναγινωσκομένη· priùs agnoscitur manus, deinde legitur Epistola: Sic omnes sciebant *Pauli manum*, sive Evangelii doctrinam cordibus & vitæ Corinthiorum fidelium impressam. Hinc verbum Dei dicitur, Jacob. 1. 21. *Sermo insititius.* ἔμφυτον, i. e. qui inseritur & plantatur animis fidelium, ministrorum videlicet operâ. Eandem etiam ob causam verbum Dei nominatur *semen immortale*, 1 Pet. 1. 23. *Regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili*, i. e. *per sermonem Dei vivi, & manentis in æternum.* Verbum Dei *semen immortale* dicitur, quatenus cordibus fidelium impressum in æternum manebit: Et hoc privilegio gaudet verbum Dei animis inscriptum, ultra illud quod codicibus inscribitur: Plusquam enim probabile videtur S. Scripturam libris impressam ultimâ mundi conflagratione perituram esse; at sermo Dei quatenus animis fidelium imprimitur, *semen immortale* nunquam periturum est. Tam firma ac inviolabilis est S. Scriptura cordibus fidelibus impressa.

2 Cor. 3. 2, 3.

Verbum Dei cordi renovato impressum ac insitum habet se ut *speculum limpidissimum*, in quo relucet viva Dei Imago. Nulla sine verbo Dei insito mens bona est. Imago Dei sanctissima *objectivè* delineatur in verbo scripto; sed nullibi *subjectivè*, & vivis coloribus depingitur, nisi in corde, cui verbum Dei imprimitur. τιμήσεις τὸν θεὸν ἄριστα, ἐὰν τῷ Θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς. *Qui Deo similis est, is Deum magis colit*, inquit *Hierocles.* Quis autem Deo similis est, nisi qui Dei verbum cordi suo insitum habet? Veluti homo perfectiùs videtur & cognoscitur per speculum, in quo expressiùs Imago ejus resultat; ita Deus clariùs videtur & intelligitur per speculum verbi Divini animo fideli impressum.

impreſſum. Verbum Dei cordi fideli impactum cognitionem præbet maximè experimentalem ac familiarem; intellectúmque ſemper paſcit & recreat, novis Divinæ Gratiæ Experimentis. Porrò è verbo Dei Animo impreſſo oriuntur Ideæ ac Notiones rerum Divinarum, (1) Magis *congeneres* & *connaturales*: Notiones enim experimentales, eò quòd ſenſibiles ſint, maximè arrident intellectui renovato. (2) Animo, intimè *unitæ* ac *inſcriptæ*. (3) Maximè *Reales*, ac ſuo modo *Intuitivæ*. (4) Magis *diſtinctæ* & *evidentes*. (5) Perquàm *Affectivæ* & *Efficaces*. (6) *Stabiliſſimæ* & maximè *Permanentes*. Breviter; Verbum Dei Animo impreſſum in *Contemplativis* ſapientiam; in *Moralibus*, Dexteritatem & Vigorem; in *Politicis*, Prudentiam; in *myſteriis*, fidei ἐγχύτον, ſive ſagacitatem; in *Eccleſiaſticis*, ἕξιν διακρίσεως, ſive *Diſcretionem Boni ac Mali*, uti *Hebr.* 5. 14. præbet.

18. Corol. *Verbum Dei eſt Vinculum ac Medium Efficaciſſimum, quo Unio ac Communio piæ Animæ cum Deo peragitur ac promovetur.* Homo fidelis habet Arctiſſimam ac Indiſſolubilem cum Chriſto Unionem; immo talem, qualis longiſſimè tranſcendit omnes alias uniones creatas. Totus enim Chriſtus unitur toti fideli, arcanâ Spiritûs S. Virtute ac Inhabitatione: Inde Chriſtus & ipſe fidelis conſiderantur, tanquam una eadémque perſona, ad indicandum quàm intima ac inſeparabilis eſt hæc Unio. Ac in hac cum Chriſto Unione malis noſtris omnibus remedium invenitur. Inſtrumentum autem efficaciſſimum, mediante quo Unio hæc perficitur, eſt verbum Dei. Ita 2 Cor. 11. 2. *Aptavi enim vos, quos uni viro, ut virginem puram, ſiſtam, nempe Chriſto.* 2 Cor. 11. 2. *Paulus* hîc de ſe loquitur, ut miniſtro Chriſti, Corinthios, mediante verbo Dei, Chriſto agglutinante. Perſequitur cœptam ſimilitudinem, & explicat myſticum ſenſum *Cantici Salomonis*, & legis illius, *Levit.* 21. 14. uti *Grotius*. Elegans eſt metaphora ſive alluſio in voce, ἁρμοσάμην, ἁρμόζειν, apud *Euclidem* in 4. Propoſ. primi Element. ſignificat duarum figurarum applicationem

cationem seu contactum ejusmodi, ut & latera lateribus, & anguli angulis, & spacia spaciis, sive, ut Græci dicunt, ἔμβαδα ἐμβάδοις, præcisè congruant. Non potest autem hæc ἁρμονία sive concinnitas esse, nisi inter duas figuras omnino æquales: Sic *Paulus* vult Corinthios, mediante verbo Dei, Christo unico sponso ἐφαρμόζειν, uti *Strigelius*. *Paulus*, Dei minister, fuit, tanquam ἁρμόσυνος, sive γυναικόκοσμος, apud Græcos, qui Corinthios Virginem incorruptam Christo sponso adaptavit, & coadunavit.

2. Ac ut Unio sic & Communio piæ animæ cum Christo mediante verbo Dei perficitur. Magna loquitur *Thomas à Kempis*, seu potiùs *Joannes Gerson*, de *Communione cum Christo*, homine Christiano digna. ‘Veniet, inquit, ad te Christus, ostendens ‘tibi consolationem suam, si dignam illi ab intus ‘paraveris mansionem: frequens illi visitatio cum ‘homine interno, dulcis sermocinatio, grata con‘solatio, multa pax, &c. Si scires te bene ab ‘omni creatura evacuare, Jesus deberet libenter ‘tecum habitare. Si quæris in omnibus Jesum, ‘invenies utique Jesum. Quid potest mundus con‘ferre sine Jesu? Esse sine Jesu gravis est infernus; ‘& esse cum Jesu dulcis Paradisus. Magna Ars ‘est, scire cum Jesu conversari; & scire Jesum tene‘re magna prudentia. Esto humilis & pacificus, & ‘erit tecum Jesus. Potes citò fugare Jesum, & ‘Gratiam ejus perdere, si volueris ad exteriora ‘declinare. Diligantur omnes propter Jesum; ‘Jesus autem propter seipsum. Talis debet esse piæ animæ communio cum Jesu: Et quid efficacius ad talem communionem promovendam, quàm verbum Dei? Variæ sunt Dispositiones spirituales, variáque media, quæ apprimè conducunt ad communionem cum Christo, quæque omnia spiritum vitalem à verbo Dei, Gratiâ Divinâ inspirato, hauriunt.

(1) Dispositio radicalis, mediante quâ Anima Devota communionem cum Christo obtinet, est *Fides* Divina. Fidei autem Radix & Vita unde, nisi à verbo Dei? In S. Scriptura, quæ est generale fidei objectum Doctrinale, inest unum speciale & principale

prinçipale fidei objectum Reale; quod à fideli primariò reſpiciendum eſt, nimirum Jeſus Chriſtus, ad quem omnes Typi, omniáque promiſſa ἐχόμενα ſive reſpectum habent. Hunc Prophetæ delineabant, hunc ſymbola legalia adumbrabant, hunc denique, cum Officiis ac Beneficiis Mediatoriis, promiſſa Evangelica nobis exhibent. Annon igitur ſequitur, nullam fidem, nullámque communionem cum Chriſto mediatore eſſe, niſi verbi Evangelici mediatione?

(2) Divina contemplatio ac meditatio medium eſt efficaciſſimum, quo promovetur communio piæ animæ cum Chriſto. Verbum autem Dei non ſolùm Regula, ſed & *Palulum* eſt Divinæ contemplationis ac meditationis. *Animus*, inquit *Plato*, *qui Deum ſequitur alis contemplationis beatus evaſit.* Animi autem alatio nutritur & augmentatur verbo Evangelico. Plures reperiuntur, qui contemplationem Dei efflagitant, ſed perpauci eandem acquirunt; quia in rebus aut ſignis ſenſibilibus hærent, & ſuavitates verbi Evangelici non guſtant. Quàm ſuavem communionem cum Deo habuit *David*, dum meditatus eſt de verbo Dei, ipſe ſæpiùs enarrat. Ita Pſal. 119 148. *Prævenium oculi mei excubias, ad meditandum de ſermone tuo.*

(3) Magna pars communionis piæ Animæ cum Deo conſiſtit in firmiſſima Adhærentia Voluntatis ad Deum: Et quid efficaciùs allicit ac attrahit Voluntatem ad Deum, quàm verbum Dei? Ita, Hoſ. 2. 14. *Propterea ego alliciam illam, &c.* פתה ſignificat verbis uti ad perſuadendum mollibus, qualibus nimirum Amatores utuntur ad fœminam, cujus nuptias ambiunt. Inde addit Dominus, *Et loquar ad cor ejus. Loqui ad cor*, idem eſt, quod *loqui amatoriè* ac *blandè*, & talia denique verba, quæ cor capiant, & ad redamandum alliciant. Verbum Dei ſuaviter & fortiter cordi impactum, illud inviſtiſſimè, tanquam fœlix pondus, inclinat, ad Deum redamandum ac fruendum.

Hoſ. 2. 14.

MVSEVM BRITANNICVM

FINIS.